



CASUS

CONSCIENTIÆ.

—

TOMUS I.

CASUS

CONSCIENTIÆ

DE MANDATO OLIM EMINENTISSIMI S. R. E. CARDINALIS

PROSPERI LAMBERTINI,

BONONIÆ ARCHIEPISCOPI, ETC. ETC.

DEINDE SANCTISSIMI D. N. PAPÆ

BENEDICTI XIV.

PROPOSITI AC RESOLUTI.

OPUS CONFESSARIIS OMNIBUS ATQUE ANIMARUM CURAM GERENTIBUS PERUTILE AC NECESSARIUM.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

NOVA EDITIO.

TOMUS I.

Property of
CLoA
Please return to
Graduate Theological
Union Library
FATHERS' LIBRARY ST. JOSEPH'S CHURCH, SANTA ROSE, CAL. California
ALMA COLLEGE 239.6 LIBRARY L 176 Alma, California

LEODII,
EXCUDEBAT H. DESSAIN,
CANCELLARIÆ EPISCOP. TYPOGRAPHUS.
MDCCCLIII.

4811

Reimprimi permittimus.

Datum Leodii, 15â Julii 1853.

H. NEVEN, *Vic.-Gen.*



LECTORI STUDIOSO

THEOLOGIÆ MORALIS

BIBLIOPOLA.

Casus Conscientiæ jussu BENEDICTI XIV. pene in unaquaque re propositi, atque sapientissime resoluti, cum ita passim ab animarum Curatoribus fuerint excepti, ut jam desiderari viderentur, placuit eosdem, ex multorum impulsu, mea opera, tuoque commodo, Benevole Lector, elegantioribus

typis iterum describi, atque aliquot etiam mendis, quæ irrepserant, repurgari. Maximum certe tibi ad assequendam metam Theologiæ Moralis conferent pondus, si eo, quo assoles, studio, et assiduitate excuties, et evolves. Interea conatus hosce meos æqui bonique consulas meque solito tuo favore complecti pergas, obnixe rogo. Vale.

CASUS CONSCIENTIÆ.

ANNO MDCCXXXII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Parochus parum studiorum amans et nesciens quid agere debeat primis horis nocturnis, frequentat domum cujusdam Parochiani, in qua coram pluribus instituit sermones scurriles. Quæritur, an graviter peccet, et in quot speciebus?

Resp. ad 1 quæsiti partem, Parochum, attenta præcise scurrilitate sermonum, per se peccare solum venialiter. Ratio est, quia scurrilitas per se loquendo, sive in verbis, sive in gestibus sita sit, dicit semper aliquam inhonestatem, sicque per se semper importat culpam venialem; ergo, attenta præcise scurrilitate verborum, peccabit venialiter. Ita La Croix, Escobar, etc. dixi : *attenta præcise scurrilitate verborum*, quia si per exiguum amorem erga studium redderetur Parochus ad sua ministeria obeunda insufficiens, clarum est peccare lethaliter. Dixi etiam *per se*, quia per accidens poterit mortaliter peccare, ut ex Responsione ad secundam p. quæsiti.

Resp. ad 2 p., Parochum peccare peccato scandali, et contra illam virtutem, cui scurrilia opponuntur. Ratio est, quia cum Parochus teneatur pascere populum exemplo, et sit lux super candelabrum posita; scurrilia proferendo coram Parochianis, idem est, ac illos ad talia, vel similia allicere, et invitare, in quo consistit scandali malitia, et proxima occasio ruinæ spiritualis proximi. Hoc peccatum scandali mortale erit, si Parochiani ex prolatione scurrilium occasionem sumant mortaliter peccandi, ut docent DD. de verbo jo-

coso a Religioso coram fœminis, quæ inde occasionem mortalis peccati sumere possint, quod facile evenire posset in Parocho tum attenta obligatione pascendi populum exemplo, tum quia nugæ in ore sæcularium, blasphemiæ sunt in ore Sacerdotum, ait S. Bernardus. Veniale vero peccatum erit, si Parochianis occasio ruinæ venialis tantum præbeatur. Ultra peccatum scandali peccaret contra castitatem Deo promissam, si verba scurrilia fierent causa delectationis venereæ, et sic semper esset mortale; peccaret contra justitiam, si scurrilitas proximi famam denigraret, vel venialiter, vel mortaliter, attenta qualitate materiæ, et sic discurrendo de aliis materiis, circa quas scurrilitas versaretur. Hæc communia sunt apud omnes.

CAS. II. — Capellanus raras habens eleemosynas pro Missis celebrandis, sæpe suadet Pœnitentibus, medium tutius ad consequendam æternam salutem esse dationem eleemosynarum pro celebrandis Missis in suffragium Animarum Purgatorii. Qu. An recte agat, vel sit reprehendendus?

Respondeo. Capellanum esse reprehendendum. Primo quia falsum docet; licet enim datio eleemosynæ pro Missis celebrandis in suffragium Animarum Purgatorii sit medium valde utile ad salutem consequendam, cum sit opus charitatis, et misericordiæ, consequenter opus meritorium, si concurrant circumstantiæ ad meritum requisitæ, ut docent DD. agentes de eleemosyna; attamen non est medium tutius ita, ut præferendum sit observantiæ mandatorum Dei. Tutius enim est ad salutem consequendam mandata servare, quam ex liberalitate eleemosynas impertiri, cum dixerit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Secundo est reprehendendus, quia ex circumstantiis casus, cum raras habeat eleemosynas, satis aperte colligitur, talem eleemosynarum suasionem, et quidem frequentem, non procedere ex pura charitate erga Animas Purgatorii, sed potius ex motivo cupiditatis, et avaritiæ, a qua quam maxime abhorrere debent Clerici juxta sacros Canones. Hinc S. Carolus in institutionibus, quas habet

in ordine ad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, exprobrat pœnitentias Missarum celebrandarum a Confessario impositas, cum facile valeant avaritiæ suspicionem generare. Similiter in ultima Synodo Diœcesana de Sacramento Pœnitentiæ habetur : *Sint cauti Confessarii in imponendis pœnitentiis pecuniariis, ne venalis Sacramenti suspicio nascatur.* Dicendum ergo, esse reprehendendum.

CAS. III. — Confessarius simplex ex incuria circa suum ministerium non advertens expirasse tempus potestatis sibi concessæ ad excipiendas Confessiones Sacramentales, per duos Menses plures excepit. Qu. An ullam incurrerit pœnam Ecclesiasticam?

Resp. Nullam pœnam Ecclesiasticam incurrisse. Ratio est, quia non est in Jure communi, neque in Synodo Diœcesana expressa aliqua pœna Ecclesiastica contra Sacerdotes audientes Confessiones sine jurisdictione, et approbatione sui Ordinarii, consequenter neque erit contra Confessarium, de quo in casu. Est tamen certum, quod posset graviter Episcopus punire Sacerdotem audientem Confessiones sine jurisdictione, et approbatione ab ipso reportata, ut testatur Pignat. tom. 6, conf. 1, q. 4, dicens, transgressorem esse castigandum arbitrarie ab Ordinario, sicque posset graviter etiam punire Confessarium in casu, si ei constaret de incuria graviter culpabili.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Sacerdos pulsabat Citharam, vel aliud Instrumentum alliciens ad choreas ducendas in domo cujusdam amici; quod dum audirent Juvenes et Puellæ vicinæ, convenerunt ad instituendas varias saltationes, et iste tum precibus, tum oblatione munerum victus, pulsationem prosecutus est usque ad finem noctis. Qu. An peccaverit, et ullam censuram incurrerit?

Resp. Sacerdotem in casu peccasse mortaliter, et pœnam suspensionis ipso facto incurrisse. Ratio primæ p. est, quia licet pulsare citharam in domo cujusdam amici

non sit peccatum, in Sacerdote tamen pulsare citharam ad instituendas saltationes Juvenes inter et Puellas a gravi peccato non potest excusari. Etenim cum sit prohibitum Clericis choreis interesse, et quidem sub gravi, ut colligitur ex Trid. sess. 21, cap. 2, ubi statuit sancta Synodus, *ut quæ alias a Summis Pontificibus et sacris Concil. de Clericorum vita, et honestate retinenda, de luxu, Clericis, etc. sancita sunt, in posterum iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis observentur*, sequitur a fortiori, prohibitum esse Clericis choreis interesse citharizando, cum sic idem sit choreas, tot malorum origines, procurare, et promovere. Si autem est prohibitum, et quidem sub gravi, ut patet ex sensu verborum Tridentini, jam graviter deliquit noster Sacerdos, cum fecerit contra prohibitionem sub gravi obligantem. Neque dicatur, per accidens Juvenes, et Puellas ad saltationes accessisse, per quod videtur a peccato excusandus noster Sacerdos, Cont. est. Do per accidens accessisse, attamen statim ac Sacerdos advertit ad chorearum institutionem, debebat citharæ pulsationi finem imponere, non vero precibus, et munerum oblatione flecti ad annuendum Juvenum, et Puellarum votis de choreis instituendis, reclamante conscientia, per quod magis apparet Sacerdotis grave peccatum.

Ratio secundæ partis aperte constat ex Synodo Diœcesana lib. 3. de vita, et honestate Clerici cap. 1, ubi habetur : *Musica instrumenta in choreis pulsare nec audeant sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda.* Quare si hujus pœnæ notitia non caruit Sacerdos, illam incurrit.

CAS. II. — Diaconus vocatus a Parocho in die Purificationis B. M. ad obeundum munus suum, renuit obedire; unde cum populi admiratione omittitur cantus Miss. cum Min. Qu. An graviter, et in qua specie peccati deliquerit ?

Resp. Graviter peccasse Diaconum saltem peccato scandali, et inobedientiæ. Ratio est, quia cum Clerici aliquando teneantur exercere actus Ordinis suscepti, ut omnes DD. una voce fatentur; sequitur specialem

obligationem exercendi actum Diaconatus habuisse Diaconum nostrum vocatum in die Purificationis ad munus suum obeundum; cum ex una parte tunc nullus alius adesset, qui tale munus posset præstare, ut colligitur ex terminis casus, et ex alia parte omnia jam essent parata propter Missæ cantum de more. Si autem, attenta tali circumstantia, habuit specialem obligationem exercendi munus suum, sequitur ipsum peccasse, cum a Parocho vocatus officium suum præstare renuerit : et quia tale peccatum ex natura sua præbuit occasionem Parochianis male judicandi de Ecclesiasticis, et detrahendi de personis Deo dicatis, et parvi imo nihil pendendi functiones Ecclesiæ, et sacras Cæremonias, sequitur etiam peccasse graviter, et quidem peccato scandali, ut patet, et inobedientiæ, cum Parochus sit Pastor, et Superior. Dixi *saltem*, quia secundum diversas circumstantias, quæ in facto possent occurrere, posset esse etiam alterius peccati reus.

CAS. III. — Dum duo Tonsura initiati luderent aleis, jurgium ex fraudibus invicem in ludo patratis, inter se excitarunt, et se percusserunt, non advertentes pœnam censuræ, quam incurrebant. Qu. An revera illam incurrerint?

Resp. Cum distinctione, (prius tamen supponendo illos tonsura initiatos esse puberes, consequenter non exemptos a pœna excommunicationis, ut sunt impuberes per cap. 1 et 2, *de delictis puerorum*) vel percussio talis fuit, ut fuerit peccatum mortale; tum interne, tum externe; vel non. Si non, censuram non incurrerunt, quia excommunicatio, cum sit pœna gravis, grave peccatum supponit; et cum sit pœna Ecclesiastica, supponit peccatum externe grave, cum peccata mere interna soli Deo punienda relinquuntur; si vero peccatum fuit mortale, tum externe, tum interne, iterum distinguo : vel non advertentia fuit vincibilis vel invincibilis. Si invincibilis, quatenus antecedenter nullam habuerint advertentiam ad statum Clericalem, vel nullum subortum fuerit dubium tempore rixæ; tunc censuram non incurrerunt; quia ut testantur Sanchez, et Suarez, quæ dicuntur

de ignorantia excusante a peccato, et a pœna, valent etiam de inadvertentia, et oblivione; unde si ignorantia invincibilis excusat, ita et inadvertentia invincibilis, cum qua non stat contumacia; si vero inadvertentia fuit vincibilis, excommunicationem incurrerunt propter oppositam rationem.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Cum quidam Concionator in omnibus Ecclesiis, ad quas missus fuerat in Montanis, ardore magno semper prædicaret Jejunium; Parochus, apud quem sumere debebat refectionem, præparavit ipsi pro prandio solam polentam ex Farina Castanearum confectam, dicens, nullum alium esse cibum in Montanis; unde Concionator sequenti die, nedum desiit consuetam concionem facere, sed et laxavit habenas, dicendo, Montium incolas ad nullum Jejunium teneri. Qu. An sit laudandus Parochus, et condemnandus Concionator?

Resp. Parochum laudandum, concionatorem reprehendendum. Primæ partis ratio est, quia, stando terminis casus, Parochus pure ex joco ita se gessit cum Concionatore, ut hic practice cognita qualitate ciborum, quibus communiter vescuntur habitantes in Montanis, populum suum miserum, et sola polenta ex necessitate contentum, solita rigida concione jejunii scrupulis non angeret; si autem ex joco ita se gessit, et ut sic consuleret quieti suæ paræciæ, quis non videt esse potius laudandum? Ratio secundæ partis est, quia concionator generaliter asserendo Montium incolas ad nullum jejunium teneri, falsum docuit; etenim licet Montium incolæ, qui unice Castanearum polenta vescuntur, non teneantur ad jejunium, sicuti non tenentur, ut docet Tambur. cum aliis, qui unice pane, et aqua, vel etiam vino vescuntur; cum tales sufficiens prandium habere non videantur, quod a fortiori videtur militare de sola polenta, quæ quidem cibus est satiativus, sed experientia parum nutritivus; tamen dantur aliqui in Montanis, qui cum unica polenta non sint contenti, aliis cibis vescantur,

certe a lege jejunii non eximuntur. Reprehendendus est ergo Concionator, quia sic generaliter loquendo falsum dixit.

CAS. II. — Fures, nocte præcedenti diem Festum, furati sunt a Sacrario omnia Indumenta sacra, præter illa coloris nigri. Qu. An Parochus, mane sequenti, ad satisfaciendum votis Populi, possit illis uti, imo an teneatur?

Resp. Præmissa narratione furti, ad tollendam admirationem in populo, et data impossibilitate habendi Vestes, die festo secundum Rubricas proportionatas, posse, et teneri celebrare.

Ratio primæ partis est, quia ex una parte quoad colores paramentorum, non apparet latum esse grave præceptum, teste Suarez de Sacr. et Homob. de exam. Eccl. p. 1, quæst. 144; quod si in Missali certi colores pro certis temporibus statuuntur, est solum regula directiva; ex alia parte adest rationabilis causa, quæ est obligatio satisfaciendi præcepto in ordine ad Sacrum tum in Parocho tum in populo, quæ causa sufficit, ne Parochus etiam venialiter peccet, ut peccaret rationabili causa non existente, cum faceret contra Rubricas ratione magnæ convenientiæ receptas, et per ipsum bonus ordo turbaretur. Ita Gavant. Diana. Tambur.

Ratio secundæ partis est, quia si rationabili existente causa, nec venialiter Parochus peccaret tali utendo paramento, jam urget Præceptum audiendi Sacrum; si urget, non est, cur Parochus non teneatur cum talibus paramentis Missam celebrare pro præcepti adimpletione.

CAS. III. — Ceciderat ex rupe Saba, cum esset ebrius, vocatur Confessarius ad eum, sensibus destitutum, et creditum proxime moriturum, absolvendum. Qu. An, si iste illum intelligat ebrium, possit eum absolvere?

Resp. Cum distinctione, vel Parochus est moraliter certus, quod Saba, qui est sensibus destitutus, et titulo ebrietatis rationis impos, e rupe ceciderit in peccato, puta quia solitus fuit se inebriare, et pluries correptus noluit emendari, et tunc dico neque sub conditione

esse absolvendum, eo quia Saba nullo modo potest prudenter præsumi attritus, et sine attritione saltem præsumpta nullo modo impendi potest absolutio, ita communiter teste Tambur. qui tamen quasi oppositum sentit. Vel non est moraliter certus, quod Saba ceciderit in statu peccati, eo quia, cum christiane vixerit, nec ebrietatis vitio fuerit devictus, præsumi potest non culpabiliter se inebriasse, sed per accidens, tunc secundum benigniorem sententiam Recentiorum ex præsumpta attritione, posita conditione, *si es capax:* dico posse absolvi.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — In Brevi sacræ Pœnitentiariæ committitur Viro discreto, vel supplicanti Confessario, facultas dispensandi super impedimento affinitatis, orto ex copula cum Matre mulieris ducendæ; at dum Commissarius exequitur commissionem, detegit copulam fuisse cum Sorore, et ex errore Scribentis fuisse supplicatum pro dispensatione super impedimento orto ex copula cum Matre. Qu. An possit exequi Breve, vel aliud debeat procurari?

Resp. Posse exequi. Ratio est, quia licet ad valorem dispensationis exprimi debeat, an affinitas sit in linea transversali, ut docent Sanchez, De Just, et Reinf. eo quia vel non datur dispensatio in linea recta affinitatis ex copula licita, vel ducere affinem in linea recta indecentius sit, quam in linea transversali; quando tamen affinitas oritur ex copula illicita, non est necessaria expressio lineæ rectæ, vel transversalis, cum ex copula illicita non oriatur major notabiliter reverentiæ obligatio ex linea recta, quam ex transversa, ut docent cit. DD. sed in casu affinitas orta est ex copula illicita, ergo non fuit necessaria expressio lineæ; si autem hæc expressio non fuit necessaria, sequitur expressionem unius lineæ pro alia non vitiare dispensationem, cum sic vitium non sit circa necessario in supplicatione exprimenda. Reinf. tom. 4, p. 181, n° 198.

CAS. II. — Drusilla sciens, Maritum suum coitum habere frequentem cum Belluis, vellet ab eo separari; unde consulit Confessarium, an sibi liceat procurare divortium. Qu. Quid iste debeat illi respondere?

Resp. Pro veritate debere respondere Drusillæ, ei licere procurare divortium, quoad thorum, et habitationem. Ratio est, quia etiam per copulam bestialem, et bestialitatem, sive activam, sive passivam, caro dividitur in aliam carnem contra Matrimonii fidem, exigentem, ut sint duo in carne una. Ita Sanchez, Pont., Covar., Cirib. Dixi *pro veritate*, quia Confessarius debet mulierem hortari, ne divortium procuret propter inconvenientia, quæ inde sequuntur.

CAS. III. — Syrus novit, Uxorem suam fuisse vi, et dolo corruptam a Pasquali, unde minis ab hoc exigit pretium adulterii. Qu. An Pasqualis in conscientia teneatur hoc dare?

Resp. Non teneri. Ratio est, quia injuria irrogata Marito, non est pecuniæ restitutione comparabilis, sed solum satisfactione exhibenda per signa doloris, et per veniæ petitionem, ita exigente Marito, secus non exigente, cum talis satisfactio potius pudorem, et verecundiam affert Marito, unde nihil solvere tenetur Marito, maxime cum hoc in jure reprobetur, ne Maritus videatur suæ Uxori lenocinium facere. Lef. Lug. Girib. de rest. tract. 2, dub. 8.

MENSE MAII.

CAS. I. — Parochus in Diœcesi sciens, Parochianum suum largiri quotannis eleemosynam pinguem Templo B. M. dicto de S. Luca, propriæ vero Ecclesiæ nil fere conferre, ipsum acriter objurgat, dicens, ejus obligationem esse erga istam, non erga illud. Qu. An ullam patraverit culpam, et in qua specie, si patravit?

Resp. Generaliter loquendo, et præscindendo a particularibus circumstantiis, cum sermo sit de eleemosyna libera, ut patet, cum sit de eleemosyna pingui, peccare

Parochum. Ratio est, quia Parochus noster, acriter objurgando Parochianum, absque causa illum offendit; etenim talem eleemosynam elargiendo Templo B. V. dicto de S. Luca, nulli faceret injuriam, sed ex mera devotione hoc ageret, maxime cum etiam Ecclesiæ Parochiali aliquam, licet tenuem, faceret eleemosynam, ut colligitur ex illius verbis *propriæ Ecclesiæ nil fere conferre;* si autem nulli faceret injuriam, clare constat non esse objurgatione dignum, sicque Parochum illum acriter objurgando male agere, et peccare. Hoc peccatum esset contra justitiam, ut patet; esset contra mansuetudinem, cum sit Parochus; alias etiam specie malitias habere posset juxta diversum objurgandi finem, cum finis specificet actum.

CAS. II. — Sacerdos nullam fere præparationem Sacro præmittens, ut plurimum hoc distracte celebrat, et raro habet intentionem actualem consecrandi. Qu. An lethaliter aliquando peccet?

Resp. Nullam Sacro præparationem præmittendo, cujus nomine orationes juxta rubricam Missalis intelliguntur, per se loquendo non peccare graviter, eo quia illa verba *pro temporis opportunitate*, quæ habentur in Rubrica, satis denotant nullum adesse præceptum illas preces recitandi, ut not. Girib. et Tamb. de Sacrificio Missæ; si autem non est præceptum, neque est peccatum. Dixi per se loquendo, quia si ex omissione talis præparationis per accidens sequatur distractio in celebratione, ut colligitur ex terminis casus, tunc posset graviter peccare, si distractio esset notabilis, eo quia nolens se præparare, sciens ex tali omissione oriri notabilem distractionem in celebratione Sacrificii, idem esset, ac velle talem notabilem distractionem in causa, quod est velle peccatum: etenim si in Missa notabilis distractio actualiter voluntaria in Canone, vel consecratione, aut sumptione, est peccatum grave, ut DD. afferunt Tamb. tum propter magnam irreverentiam in Sacrificio, quo quis profitetur Deum esse summe venerandum, tum propter periculum errandi, quod practice vix abfuerit; ita erit peccatum grave talis notabilis dis-

fractio voluntaria solum in causa. Quod tamen non militat de intentione actuali, cum ad Eucharistiam valide, et licite conficiendam sufficiat, juxta communissimam, intentio mere virtualis, qua sane etiam deficiente, nedum graviter peccaret, sed nec Eucharistiam conficeret.

CAS. III. — Parentes cujusdam Viduæ clausam eam tenent in domo, et aliquando eam verberant, ut desistat a proposito ducendi Maritum Juvenem pauperem, et conditione infamem. Qu. An possint excusari a gravi?

Resp. Posse excusari. Ratio est, quia ex una parte cum non possit sine peccato filia contrahere cum infami, ex cujus matrimonio sequitur familiæ dedecus, et ad dedecus consequuntur scandala, et discordiæ, ita Parentes illud possunt impedire, absque violatione libertatis Matrimonii, cum filii liberi tantum sint ad contrahendum sine peccato, ut expresse docet Layman, de spons. tract. 10, p. 1, c. 2, et ex alia p. cum parentes habeant naturalem potestatem, et jus moderatis coercitionibus filios corrigendi, etiam in vinculis privatim detinendo, et moderate verberando, ut sentit cum D. Thom. Leand. in 4, præcep. Decal. disp. 7, quæst. 6 et 7, satis infertur, posse etiam tenere clausam filiam in domo, et aliquando moderate verberare, ne peccet sic contrahendo. Neque obstat filiam esse Viduam, quia si potestas taliter coercendi extenditur ad filios emancipatos, et hoc jure sanguinis, ut testatur Bossius innumeros allegans DD. etiam extenditur ad filiam licet Viduam, quæ parentibus subjecta supponitur. Melius tamen agerent Parentes Judicis auctoritatem implorando, cum difficile sit, agendo de verberibus, moderate se gerere erga filiam, tum attenta qualitate sexus, tum attenta parentum indignatione.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Archipresbyter, propter expensas factas in Visitatione sui Ordinarii, voluit a Parochis sui Plebanatus, titulo majoris incommodi a se passi, plus

quam justa taxa permitteret. Qu. An possit retinere, quod obtinuit?

Resp. Non posse retinere. Tum quia illud majus incommodum est onus annexum honori Archipresbyteratus; unde illud de jure pati tenetur; tum quia ex terminis casus habetur, quod taxa fuerit justa, et quod aliquid voluit supra justam taxam: hoc dato clare constat, illud plus esse injuste volitum, et retentum, cum omne volitum supra justum, sit injustum, injuste autem volitum nequit juste retineri.

CAS. II. — Unus ex dictis Parochis obligavit suos Parochianos sibi aliquid contribuere pro præfatis expensis. Qu. An licite?

Resp. Illicite se gessisse. Ratio deducitur ex Barbosa de offic. et potest. Episc. alleg. 73, referente Decretum S. C. in quo habetur, *si esset consuetudo, ut communitates procurarent Episcopum visitantem, servanda est, quamdiu voluerint, ipsæ tamen cogendæ non sunt, si recusent.* Ex quibus verbis infertur. si illicite agerent Parochi obligando Laicos ad ministranda victualia Episcopo visitanti, si adesset ministrandi consuetudo, multo magis illicite ageret Parochus, ubi talis consuetudo non est.

CAS. III. — Alter ex eisdem dixit pluribus, et in Diœcesi, et in Civitate, quemdam ex Convisitatoribus deputatis fuisse nimis rigidum, scrupulosum, et malo animo affectum contra se in Decretis conditis, licet revera decreverit solum, quod ejus officium, et necessitas Parœciæ postulabat. Qu. An graviter peccaverit, et sit obligandus ad canendam palinodiam, seu se retractandum?

Resp. 1. Parochum dicendo quemdam ex Convisitatoribus fuisse nimis rigidum, et scrupulosum, non peccare graviter, quia sic potius laudat, quam offendit Convisitatorem, cum talia verba apud homines communiter idem sonent, ac esse attentum, et delicatæ conscientiæ.

Resp. 2. Parochum addendo, Convisitatorem esse male affectum contra se in Decretis conditis, graviter

peccare. Ratio est, quia idem est ac dicere, fuisse injustum; et ex odio injusta edidisse Decreta, quod est famam proximi denigrare, tum ratione injustitiæ appositæ, dum decreverit solum ea, quæ Parœciæ necessitas postulabat, ut patet ex terminis casus, tum attenta dignitate personæ, morum integritate, et doctrina præstantis, utpote in partem ardui negotii pastoralis Visitationis ab Ordinario delectæ; quod maxime in detractione attendendum est, cum sæpe detractio levis in se, gravis evadat attenta personæ qualitate, ut ex Less. Andrea a M. Dei.

Resp. 3. Obligandum esse ad se retractandum, cum hæc sit detractoris obligatio.

MENSE JULII.

CAS. I. — Distulit Agricola contra voluntatem domini metere triticum; interea cecidit grando, quæ totam fere devoravit messem. Qu. Ad quam compensationem Agricola sit obligandus?

Resp. cum distinctione: Vel Agricola fuit in mora theologice culpabili, sufficiente ad grave peccatum; vel non. Si primum, obligandus est Agricola ad compensandum damnum ad ratam partis speratæ messis, arbitrio viri prudentis et periti, quia fuit vera causa damni. Ita communiter. Si non fuit in mora culpabili, quatenus triticum nondum esset aptum ad messem, vel quia impotens esset ad habendos operarios, et similia, et sic ad nihil est obligandus Agricola, quia damnum mere ex accidenti evenit, et domini imperium de tritico metendo erat irrationabile : ad damnum autem mere casuale neminem teneri, est sententia communis.

CAS. II. — Callistus egens mille libris Censum constituit super prædium reddere solitum triginta dumtaxat annuas, et obligat se ad dandum quotannis alias decem, vel viginti, quas eruet ex industria sua. Qu. An iste contractus sit licitus?

Resp. Esse illicitum. Ratio est, quia ille contractus

est illicitus, in quo committitur usura, sed in præfato contractu ita est; etenim census iste saltem partialiter fundatur super personam, considerando industriam, ut fructum personæ, census autem fundatus supra personam fœneratitius est, ut constat ex Bulla Pii V. *Cum onus apostolicæ servitutis*, quæ fœneratitios judicat census non fundatos supra rem immobilem; cujusmodi sane non est persona.

CAS. III. — Mutuaverat Proculus Floriano centum aureos, et accepit ab eodem in pignus prædiunculum, ex quo mutuatarius nullum capiebat fructum; at mutuans ita coluit, ut non paucos perciperet. Qu. An iste, deductis expensis, et labore, debeat illos in sortem sibi debitam computare?

Resp. Fructus prædiunculi debere computare in sortem sibi debitam: sunt enim fructus naturales agri, qui detractis expensis pertinent ad dominum agri, qui in casu est Florianus mutuatarius, qui unice prædiunculum tradidit in pignus Proculo ob sui crediti securitatem, non alia ratione. Ita communiter Cont. Sotum.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Capellanus cujusdam Oratorii jussus a Patrono procuravit tempore Visitationis commodari sibi varia indumenta sacra ab aliis, ne Visitatores conderent aliquod Decretum indecorum Patrono. Qu. An, et cujusnam criminis reus sit Capellanus?

Resp. Peccasse primo, contra justitiam, quia cum Patronus Oratorii, in quo fieri debet Sacrum, teneatur ex justitia providere indumenta sacra apta, et decentia ad Sacrum faciendum, ut ex Barbos., et Diana, et illa non providerit, cum vestes Oratorii supponantur attritæ, ut colligitur ex mandato Patroni, et ex timore Capellani, ne Visitatores conderent aliquod decretum Patrono indecorum, jam Capellanus commodando alia indumenta, cooperatus est injustitiæ Patroni, sic cooperando, injuste se gessit, et injustitiam commisit, ut docent DD.

de Cooperante. Secundo, contra Religionem, quia cum Religio respiciat cultum Dei, et res sacræ, ut sunt indumenta Sacerdotalia, ad cultum Dei pertineant, sequitur Capellanum alia Indumenta commodando, egisse contra cultum Dei, impedimentum apponendo, ne Visitatores debito decreto cultui Deo per sacras vestes debito consulerent, quod sane est contra Religionem peccare. Tertio, etiam peccato simulationis, cum taliter egisse, fuit Superiores decipere.

CAS. II. — Confessarius, vocatus ad excipiendam Confessionem Moribundi, invenit ipsum esse illaqueatum excommunicatione reservata Summo Pontifici; unde nolebat absolvere, nisi juraret, se præsentaturum si convalesceret, quod Juramentum nolens ille facere, inabsolutus decessit. Qu. An Confessarius graviter deliquerit?

Resp. Negative. Ratio est, quia a pœnitente non puero, qui in mortis articulo absolvitur a Sacerdote alias non habente facultatem absolvendi extra mortis articulum, extorquendum est, si fieri potest (hoc est, nisi pœnitens sit sensibus destitutus) juramentum sese, sublato impedimento non perpetuo, præsentandi, quamprimum commode poterit Superiori, ut colligitur ex cap. cor. de sententia excommunic. in 6. Hæc sunt verba Bonac. de cens. disp. 1, quæst. 5, num. 11. Ex quibus infertur in Confessario esse obligationem exigendi tale juramentum, consequenter in pœnitente esse debitum; si autem adest debitum, et non vult jurare, cum possit, signum est, non esse paratum ad obediendum, sicque esse indispositum, si autem est indispositus, non male se gessit absolutionem denegando.

CAS. III. — Parochus non habens nisi famulam, nescientem pulsare Campanas, omittit dare signum Salutationis Angelicæ in Aurora, et in Meridie. Qu. An sit excusandus, vel graviter delinquat in officio suo, post concessionem Indulgentiæ Benedicti XIII?

Resp. Graviter non delinquere in officio. Ratio est, quia nullibi reperitur hoc præceptum obligans sub

gravi. Curare tamen debet Parochus, quantum potest, ut suo tempore dentur signa Salutationis Angelicæ, cum Pastori debeat cordi esse, mediis non solum necessariis, sed etiam utilibus, ut sane sunt Indulgentiæ, populum suum ad æternam salutem dirigere.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Quidam Clericus mensibus præcedentibus Augustum lusit pluries ludo alearum cum Cauponario ea conditione, ut quoties fuisset lucratus, toties ei fuisset paratum splendidum prandium, et toties hoc solveret, quoties amitteret. Semper vicit Clericus; at Cauponarius intelligens, Clericis ludum alearum esse interdictum, recusavit prandia, de quibus convenerant, parare. Qu. An juste recusaverit?

Resp. Juste recusasse. Ratio est, quia, qui ludo vetito aliquid perdidit, stando in jure communi, solvere non tenetur, ut colligunt, *ex L. Alearum* Less., Covar.. Molin. sed in casu Cauponarius lusit ludo vetito Clericis, et quidem sub gravibus pœnis; etenim, licet Clerici aleis ludentes moderate, et recreationis gratia excusentur a peccato, ut docent Bonac., Rosign., Layman. cum in hoc sensu jura etiam quoad Clericos videantur a suo rigore cessasse, tamen Clerici sæpe aleis ludentes, ita ut attenta consuetudine vere dicantur aleatores, graviter peccant, cum hoc sit specialiter prohibitum Clericis in cap. Cleric. de vit. et honest. Cleric. et in Trid. sess. 22, de reform. cap. 1, non obstante quacumque consuetudine, quæ corruptela potius dicenda est cum Sanchez, et Molin. quam consuetudo: porro Clericus noster aleis lusit *pluries*, et sic habetur consuetudo ludendi: lusit *splendidum prandium*, et sic habetur ludus immoderatus, ergo Cauponarius lusit ludo prohibito Clericis, adhuc prohibitione vigente, sicque non tenetur solvere, sicuti nec debuisset solvere Clericus, si perdidisset: debet enim quoad solvendum esse æqualis utriusque conditio; si autem non tenebatur solvere, juste etiam solvere recusavit.

CAS. II. — Præfatus Clericus non potens prandia lucrata obtinere, timens exprobrari a Superiore, si ad ipsum haberet recursum, procuravit sibi in bonis Cauponarii compensationem. Qu. An tuta conscientia id fecerit.

Resp. negative. Ratio deducitur ex resolutione primi casus. Ad validam compensationem debet inter alias conditiones creditum esse certum, et liquidum, ut docent fere omnes cum Diana. Less. Molin., at in casu, dato, quod Cauponarius non habuerit obligationem solvendi, constat creditum nedum non esse liquidum, sed nullum adesse; ergo Clericus non tuta conscientia sibi compensavit.

CAS. III. — Sciens Cauponarius quod fecit Clericus, recursum habuit ad Superiorem, ut ejus officio bona, in quibus ille sibi compensavit, redderentur. Qu. An justa foret petitio talis restitutionis?

Resp. affirmative. Ratio deducitur ex dictis. Si Clericus non potuit valide compensare, quia nullum habebat creditum erga Cauponarium, et sibi compensavit, jam læsit jus reale Cauponarii, læsum autem in jure suo reali quis non videt, posse juste in judicium agere, ut ei fiat ablati restitutio?

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Archipresbyter habens pro certo, omnes obstetrices ignaras esse formæ baptizandi, vel intentionis necessariæ, baptizat omnes Parvulos, qui ad se feruntur pro Cæremoniis, sub conditione, nulla facta interrogatione circa baptismum collatum. Qu. An licite?

Pro resolutione hujus Casus legatur eruditissima Notificatio Eminentissimi, et Reverendissimi Principis nostri Archiepiscopi ad Parochos transmissa in ordine ad obstetrices, circa materiam Baptismi, et ibi clarissima habetur ad Casum responsio.

CAS. II. — Parochus nullum Librum servat Confirmatorum, sub prætextu, quod multi suæ Parœciæ ducantur a Parentibus ad suscipiendam Confirmationem, ubi ministratur absque sui participatione. Qu. An sic delinquat graviter, vel leviter in officio?

Resp. cum Possevino de offic. Parochi cap. 12, n° 42, delinquere graviter. Ratio Possevini est, quia idem judicium ferendum est de libro Confirmatorum, sicuti de Baptismo, et Matrimonio, si negligente Parocho omnes negligant adnotare confirmatos, et confirmatorum Patrinos, sed Parochum non habere librum de Baptismo, et Matrimonio est peccatum grave, cum sit contra Præceptum Trident. sess. 24, de ref. cap. 2, ergo est peccatum grave non habere librum Confirmatorum, et sicuti non excusaretur Parochus a gravi culpa dato quocumque prætextu in primo casu; ita nec excusatur in secundo; cum sit ejus officium. Major propositio non probatur a Possevino, potest tamen sic probari, quia tam oritur impedimentum dirimens ex Confirmatione, sicuti ex Baptismo etc. tam est irreiterabile Sacramentum Confirmationis, ac Baptismi.

CAS. III. — Dum Venditor musti nocte hoc duceret ad Emptorem; prope civitatem advertit, per medietatem fluxisse; unde, ne Emptor conqueratur, implevit continens aqua. Qu. An sit obligandus ad aliquam, et quam refectionem?

Supponendo venditorem musti habuisse obligationem ducendi talem musti mensuram, ita ut emptio fuerit conditionata, nempe dabo tot nummos pro tali mensura musti domum meam ducta, ut communiter practicatur, *Resp.* 1. Certissime teneri ad aliquam refectionem, tum quia vendit aquam pro musto, tum quia per talem aquæ mixtionem mustum fit deterius, quod sane est Emptorem culpabiliter damnificare; ex damno autem culpabili ad refectionem teneri nemo est ex Moralistis, qui hoc inficiatur.

Resp. 2. Vel mustum per aquæ mixtionem ita deterioratur, ut inutile sit Emptori, qui mustum emit, vel

ad conservandum vel ad alios effectus, ad quos habendos requiritur mustum perfectum, et sic tenetur ad refectionem integram, cum Emptor in integrum damnificetur. Ita Girib. de empt. D. Th., vel mustum per aquæ mixtionem non redditur totaliter inutile Emptori, et sic tenetur reficere ad ratam damni pretium pro aqua reportatum Emptori, restituendo, ut servetur æqualitas inter datum, et acceptum.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Duo Juvenes inter se amici anhelabant ad nuptias cujusdam Puellæ, et ne læderent amicitiam, convenerunt ad invicem, ut qui primus fuisset illam osculatus, illas procuraret, et alter cederet. Uterque ivit, at qui primus oscula tentavit infigere, illa renuente, non potuit. Unde alter jus ad nuptias procurandas prætendit. Qu. Cuinam sit adjudicanda prælatio?

Resp. Nulli adjudicanda est prælatio. Ratio est, quia conventio fuit de osculo infigendo, non de pura tentatione osculum infigendi, cum autem et de eo, qui osculum infigere tentavit, et de eo, qui non tentavit, verum sit dicere, non est puellam deosculatus, neuter posuit conditionem in esse, sicque nulli adjudicanda est prælatio.

CAS. II. — Dum quis venaretur in nemore alieno sine Canibus, creditus fuit a Domino nemoris grassator viarum, unde et occisus. Qu. An occisor possit absolvi a simplici Confessario?

Resp., posse absolvi. Ratio est, quia homicidium quod cadit sub reservationem, est homicidium voluntarium, scilicet appensatum, et studiose procuratum: tale autem non est homicidium in casu, eo quia Dominus nemoris credens venatorem esse grassatorem viarum, hic timens, licet ex falsa apprehensione de sua vita, illum occidit potius ex vitæ timore, et quodammodo in defensionem, licet cum excessu moderaminis inculpatæ tutelæ, quam ex malo animo, dolo, et studio; qui autem ita occidit,

non incidit in casum reservatum, notat Girib., Rotar. cum Mazzuch., unde potest a simplici Confessario absolvi.

CAS. III. — Habens quidam Canem mansuetum deambulabat per montium cacumina, ubi cum essent plures Oves, Canis eas deterruit, et ruerunt præcipites de vertice montium. Qu. An teneatur damna reficere Ovium Domino?

Resp. negative. Ratio est, quia, ut quis teneatur damnum reficere, damnum debet esse culpabiliter illatum, et non mere per accidens, ut cum Rebel. Less. etc. sed in casu damnum illatum Domino ovium est absque culpa, et mere per accidens; etenim cum Canis supponatur mansuetus, Dominus Canis nullo modo prævidit, nec potuit prævidere terrorem ovibus incussum, cum oves deterrere non sit Canis mansueti, sed ferocis, ergo non tenetur Domino ovium damna reficere.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Obtenta a Confessario, et executioni demandata facultate dispensandi Bertam super impedimento dirimente ante Matrimonium contracto, cum sit conjugi, postquam eam conduxit, invisa. Qu. Quid sit ei suggerendum ad Matrimonium de novo ineundum, vel convalidandum?

Resp., necessariam esse renovationem consensus, et cum litt. Apost. apponatur clausula; *ut alter conjux certior fiat de nullitate primi consensus, et tunc ab utroque conjuge renovetur*, suggerendum est etiam debere certiorare maritum de nullitate primi consensus, non tamen causa talis nullitatis recensita, et deinde novum mutuum consensum habere. Hæc est sententia practicanda, et quam communiter tuentur DD. ut videre est apud Girib. de matr. tom. 7, cap. 18 de disp. impedit. matr. Neque obstat; quod fœmina de præsenti sit viro invisa, quia hoc solum probat, magna dexteritate vel per amicum, vel per Confessarium debere virum certio-

rari de nullitate Matrimonii, non vero probat, ad incundum, vel revalidandum Matrimonium sufficere uti quibusdam formulis a DD. relatis, et multo minus copulam habere affectu maritali, cum hic modus nullo modo sit litt. Sac. Pœnitentiariæ conformis. Quidquid dicat P. Sanchez cum aliis oppositum tanquam probabile sustinentibus.

CAS. II. — Parochus vocatus ad ministranda Sacramenta graviter infirmo invenit eum esse phreneticum, et non posse ei ministrari nisi Extremam Unctionem, ad quam etiam ministrandam necesse est vinculis constringere. Qu. An Parochus debeat ejus Domesticos compellere ad tale officium peragendum ?

Resp., debere compellere. Ratio est, quia ex una parte, Parochus tenetur ministrare Extremam Unctionem infirmo, qui absque ullo Sacramento est proxime moriturus, quia in tali casu hoc Sacramentum est illi necessarium juxta Dianam, Sanchez, Palao, et ex alia parte Phreneticus, qui habuit perfectum usum rationis, est capax hujus Sacramenti, ut ex Rit. Rom., si absit periculum irreverentiæ, ad quam cavendam posse Phreneticos ligari notant gravissimi DD. cum Aversa, teste La Croix de Extrema Unctione num. 2110; eo autem ipso, quod Phreneticus est capax hujus Sacramenti, et ligari potest ad cavendam irreverentiam, et Parochus ministrare tenetur, potest, et debet compellere domesticos ad illum ligandum, quia est unicus modus, unicumque remedium et quidem licitum, quo obligationi suæ valeat satisfacere, et infirmi salutem procurare.

CAS. III. — Silvester pauperrimus, et habens copiosam familiam, ut cum hac possit pellere rigidum tempestatis frigus, quærit modo in uno, modo in alio prædio ligna comburenda : at, cum non inveniat arida, et infructifera, cædit, et aufert fructifera ; vel quæ post paucos annos essent valde utilia Domino. Qu. An sit tolerandus, vel acriter reprehendendus ?

Resp. cum distinctione. Vel familia Silvestri indigens lignis ad pellendum frigus est constituta in extrema necessitate lignorum, ita ut sine talibus lignis habeatur

probabilis timor periculi vitæ, vel est constituta solum in gravi necessitate; si primum, tolerandus est Silvester, quia in tali necessitate omnia sunt communia, et sicuti in simili casu Dominus arborum illas cæderet, et combureret, quamvis essent fructiferæ, cum nullo alio modo suæ extremæ indigentiæ valeret occurrere, ita tolerari debet Silvester, si alias cædit, et combussit. Si vero secundum dicatur; est reprehendendus, ut clare constat ex propositione damnata ab Innoc. XI, quæ est trigesima sexta in numero.

ANNO MDCCXXXIII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Titius providit venenum Bertæ conjugatæ, cum qua plura scienter patraverat adulteria, firmiter tenens eo uti velle ad occidendos mures, quos ei valde noxios esse sciebat. Berta, cum esset quadam die graviter a Marito verberata, ei tradidit tale venenum, ex quo periit: modo vellet contrahere Matrimonium cum Titio. Qu. An possit?

Resp. Vel Berta habuit animum ducendi Titium, vel non: si habuit, non potest; si non, potest. Ratio primæ partis est; quia sic habetur tum Viricidium effectu secuto, ut ex ly *ex quo periit*, tum adulterium formale, ut ex ly *scienter*, tum animus contrahendi matrimonium cum adultero, ut supponitur, consequenter habetur quidquid requiritur ad impedimentum criminis, quod dicitur Viricidium, seu uxoricidium cum adulterio, sicque Berta non potest cum Titio matrimonium inire. Ratio secundæ partis est, quia si non habuit talem animum, jam deest unum ex requisitis ad tale impedimentum contrahendum, absolute enim requiritur cum Viricidio, et adulterio animus ducendi, ex cap. *Significasti*, et *si quis vivente*, cum sit impedimentum ab Ecclesia inductum, ne Conjuges sibi invicem mortem machinentur,

sicque Berta potest Titium ducere. Ita communiter omnes agentes de impedimento criminis, de quo unice dubitari potest in præsenti.

CAS. II.— Parochus vocatus ad Vetulam moribundam pro excipienda ejus Confessione, invenit ipsam ignorantem Articulos Fidei, et periculum est in mora. Qu. Quomodo se geret?

Resp. Si pœnitens Vetula ignoret essentialia requisita ad valorem Sacramenti, v. g. dolorem, vel propositum, aut Trinitatem, et Incarnationem, juxta propositionem 64 damnatam ab Innoc. XI, debet Parochus illam eo meliori modo, quo potest, instruere, secus Sacramentum esset nullum, et Sacrilegium committeretur: si vero Vetula laboret ignorantia vincibili, vel invincibili Mysteriorum, quæ non sunt necessaria necessitate medii, sed tantum necessitate præcepti credenda, tenetur monere Vetulam de ignorantia, et si non possit tunc illam instruere, tenetur tum exigere ab ipsa propositum ignorantiam emendandi, tum curare, ut emittat actum fidei de articulo ignorato, dein illam absolvere, præmissis cæteris ad Sacramenti validitatem requisitis. Ita cum Viva in explicatione citatæ propositionis.

CAS. III. — Berta honestis Parentibus nata, ipsis invitis, contraxit Matrimonium cum satellite, quare parentes recusant tum ejus colloquium, tum ejus aspectum, etiam post petitam veniam. Qu. An graviter peccant?

Resp. Vel parentes, quos rusticos suppono, colloquium Bertæ filiæ, et ejus aspectum ad longum tempus recusant, et in perpetuum recusare parati sunt, vel solum ad breve tempus; si primum, peccant graviter, nec possunt absolvi, quia permanent in odio, ac vindicta excedente delictum filiæ plebeiæ post petitam veniam; si secundum, non peccant, quia id honeste fieri potest in emendationem filiæ et in pœnam sui criminis, et ad aliarum filiarum cautelam; licet enim filia non teneatur obedire parentibus, quoad status electionem, tenetur tamen statum illis non indecorum eligere, et indecorum eligendo, ut in casu, cum infamia propria, et paren-

tum, sane delictum committit ea punitione dignum, ut ad breve tempus ejus aspectum, et colloquium Parentes recusent. Ita cum Girib. Diana, Laym. de Charitate proximi.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Titius, contractis Sponsalibus validis cum Rosa, cognovit Franciscam Rosæ sororem ex parte Matris, nunc sciens neutram ducere posse, vellet saltem ducere, vel consobrinam, tantum consanguineam Rosæ ex parte Patris, vel consobrinam, tantum consanguineam Franciscæ similiter ex parte Patris. Qu. An possit pro libito unam ex istis ducere?

Resp., posse ducere Consobrinam Rosæ, non vero Franciscæ, si sit Consobrina prima, et copula fuerit completa apta ad generationem. Ratio primæ partis est, quia cum Rosa, et ejus Consobrina non sint in primo gradu consanguinitatis conjunctæ (inter istas enim, et stipitem debet necessario mediare altera persona, quæ primum gradum constituit) sequitur, sponsalia valida inita inter Titium, et Rosam non causare impedimentum publicæ honestatis (de quo unice potest dubitari) inter Titium, et Consobrinam Rosæ, cum tale impedimentum ortum ex sponsalibus valid[illegible]ultra primum gradum non extendatur; potest ergo Titius Rosæ Consobrinam ducere: Ratio secundæ partis est, quia inter Titium et Consobrinam primam Franciscæ ab ipso complete cognitæ militat impedimentum affinitatis ortæ ex copula illicita, quod dirimit usque ad secundum gradum; talis enim Consobrina est consanguinea Franciscæ, cum ambæ descendant ex eodem stipite ex parte Patris, et quidem in secundo gradu, cum inter has, ac stipitem mediet una tantum persona, quæ primum gradum constituit, et copula cum Francisca fuit perfecta, ut supponitur; ex quibus sequitur, Consobrinam primam Franciscæ esse affinem cum Titio in secundo gradu, in eo enim gradu, quo Consobrina est consanguinea Franciscæ, evadit affinis Titio, qui Franciscam perfecte cognovit, unde non potest illam ducere; dixi, si sit Consobrina prima, quia

si esset secunda, esset in tertio gradu, ad quem non extenditur impedimentum affinitatis ex copula illicita; dixi, si copula fuit completa, quia ex hac solum nascitur affinitas. Nec dicatur, hac ratione Titium neque posse ducere Consobrinam Rosæ contra dicta, quia si Francisca est Soror Rosæ, per copulam habitam cum Francisca, est etiam affinis in secundo gradu cum Consobrina prima Rosæ, quæ debet esse consanguinea Franciscæ. Contra: Consobrina Rosæ solum ex parte Patris non est consanguinea Franciscæ Sororis Rosæ solum uterinæ, cum Consobrina Rosæ, et Francisca non descendant ex eodem stipite, ut reflectenti patebit, et Titius per talem copulam nullo modo evasit affinis Consobrinæ Rosæ solum ex parte Patris, sicque illam poterit ducere, non vero Consobrinam tantum ex parte Patris Franciscæ ab ipso cognitæ. Ita omnes agentes de affinitate, ex justitia publicæ honestatis.

CAS. II. — Petrus videns alterius animalia possessionem suam damnificare, ut servet se indemnem, illa occidit. Qu. An peccet mortaliter, et teneatur restituere?

Supponendo casum procedere de Columbis, aliisque similibus animalibus, ut contingit de via ordinaria. *Resp.* Vel Petrus nulla alia via potest damnum impedire, vel potest; Si non potest, non peccat, nec tenetur restituere, et ratio est, quia cum quilibet habeat jus ad servanda, quæ sua sunt, habet et Petrus jus, ne damnificetur in iis, ad quæ percipienda jus habet, unde si nulla alia via potest damnum reparare, poterit absque peccato, et restitutionis onere, talia occidere: si enim ad defendendas res suas, magni tamen momenti, cum moderamine inculpatæ tutelæ potest quis absque peccato occidere volentem illum injuste talibus bonis spoliare, a fortiori poterit animalia occidere, si nulla alia via valet damnum impedire, quod in praxi tamen moraliter impossibile censeo; si vero alia via potest damnum impedire, ut ordinarie loquendo fieri potest tum clamando, tum artibus ingeniosis animalia arcendo, tum satisfactionem exigendo, ut practicare solent viri timorati, tunc Petrus injuste occidit animalia, et injuste

Dominum illorum damnificavit, et quidem graviter, si gravis fuit materia, ergo tunc graviter peccavit, et modo tenetur ad ratam damni restituere. Ita Felix a Potest. de 7 præcept. Decal.

CAS. III. — Franciscus, postquam confessus est peccata sua, interrogatus a Confessario de sua professione, respondet: exerceo professionem periculis plenam; *merces prohibitas modo introducendo*, modo frumentum, modo vinum de uno ad alium locum asportando. Qu. An hic nolens desistere a tali exercitio sit capax absolutionis?

Resp. negative. Ratio est, quia, etiam præscindendo a gabellarum defraudatione, et a periculo notabilis damni familiæ, hujus furfuris homines, experientia magistra, semper habent pravam voluntatem saltem habitualem injuste resistendi, et vim inferendi, si opus fuerit, ministris publicæ potestatis, usque ad effusionem sanguinis, et mortem; si hoc, jam sunt indispositi ad gratiam in Sacramento reportandam, sicuti habentes domi concubinam, quam propter utilitatem nolunt ejicere; consequenter si nolint ab exercitio desistere, non sunt absolvendi. Ita in terminis Bonac. Navar. et Giribal. de pœnit.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Titius vitricus vellet contrahere Matrimonium cum Uxore Petri Privigni, mortuo Privigno. Qu. An possit?

Resp., posse. Ratio est, quia affinitas extenditur solum ad consanguineos fœminæ cognitæ respective ad virum; et ad consanguineos viri, qui fœminam cognovit respective ad fœminam, sublata modo quacumque affinitate mediata, remota; Titius autem vitricus in casu non est consanguineus Petri Privigni, sed tantum affinis in primo gradu per copulam habitam cum ejus Matre, quam duxerat in uxorem, unde per affinitatem cum Petro contractam non est affinis uxori Petri, quæ ut talis esset, deberet esse consanguinea cum Matre Petri a Titio cog-

nita, quare Titius potest uxorem Petri Privigni, mortuo Petro, sibi in matrimonium conjungere. Ita omnes teste Reinff. et Sanchez, agentibus de affinitate.

CAS. II. — Rusticus assuetus laboribus, quadam die jejunii non jejunavit, licet non laboraverit. Dum autem de hoc se accusat in Confessione, graviter objurgatur a Confessario firmiter tenente, et asserente esse peccatum in rustico non jejunare illa die, qua non laborat. Qu. An bene se gesserit, et verum docuerit Confessarius?

Resp., male se gessisse, et falsum docuisse. Ratio est; quia exempti a jejunio ratione laboris cum jejunio incompatibilis, quales sunt omnes rustici laborantes, et specialiter rusticus noster, qui dicitur assuetus laboribus, vere excusantur a jejunio, si quadam die non laborant, non tamen si pluribus diebus successivis a labore cessarent; æquitas enim, et ratio postulat, ut vires ex præcedenti die defatigatas reficiant, et ad sequentem laborem comedendo componant, et sic ad opus suum exeuntes in opere non deficiant. Ita Diana, Giribal. et communiter DD. agentes de jejunio, ergo rusticus noster tali die a jejunii lege est exemptus; consequenter et falsum docuit, et male se gessit Confessarius pœnitentem ultra debitum gravando.

CAS. III. — Petrus se accusat sæpius audivisse amicos inter se graviter detrahentes famam modo Franciscæ, modo Catharinæ, non se retrahendo a tali auditione præcise ob humanum respectum, absque eo, quod tamen illos excitaverit ad detractionem vel de hac sibi complacuerit. Post Confessionem petit a Confessario, an sic detrahentes audire sit peccatum mortale. Qu. Confessarii responsum?

Resp., Confessarium, ut veritatis magistrum, teneri respondere negative. Cum D. Th. q. 73, art. 4, in corpore dicente: *Si non placet ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus quam detrahentes, et plerumque venialiter.* In casu enim Petrus detrahentes non repulit ex verecundia quadam, cum idem sonet ly *ob humanum respectum,* unde

venialiter tantum peccavit nisi verecundia orta fuisset ob magnam auctoritatem detrahentis, in quo sensu nec venialiter peccasset; ut docet La Croix in 8 decal. præcep. Licet sic respondere debeat Parochus, ut verum dicat, monere tamen debet tanquam medicus pœnitentem, ut faciat, quantum potest ad detractionis peccatum impediendum cohærenter ad ea, quæ in similibus casibus docent DD.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Titius se accusat decies habuisse rem cum fœmina intra mensem. Qu. An sit ei statim deneganda absolutio, an vero præmissis debitis interrogationibus possit absolvi ?

Resp., debitas præmittendas esse interrogationes, et cohærenter ad responsa, esse Titium absolvendum, vel non absolvendum. Ratio est, quia si ex Titii responsionibus colligat Confessarius ipsum esse in occasione proxima voluntaria, eo quia alias promiserit Confessario fœminam dimittere, cum potuerit, et non dimiserit, et eumdem numerum peccatorum exponat in Confessione præsenti, ac in aliis Confessionibus, nec multum temporis transierit ab ultimo peccato commisso, non potest illum absolvere juxta propositionem 61, ab Innoc. XI damnatam, cum nequeat efformare judicium practicum de proposito pœnitentis, ejusque dispositione ad Sacramentum requisita. Similiter si colligat Confessarius, Titium alias non peccasse cum tali fœmina, sed interrupte hoc mense decies solum peccasse, tum ne vires enervaret, tum quia defuit ulterius peccandi commoditas, et posse fœminam dimittere ; non debet illum absolvere, nisi prius dimittat, eo quia licet aliqui DD. asserant talem pœnitentem pro prima vice absolvi posse, cum nequeat prudenter dubitari de efficacia illius propositi, sicuti non dubitatur de prima vice promittente restitutionem facere, tamen omnes advertunt caute procedendum esse, quia fœmina domi existens ad objectum præsens, quod nimis movet, et experientia docet, pœ-

nitentem absolutum ante fœminæ dimissionem, cum qua solet peccare, statim ad vomitum redire, unde stante illa occasione proxima est absolutionis incapax. Pariter si agnoscat Confessarius, pœnitentem esse in occasione proxima, sed involuntaria, quam nequit physice, vel moraliter dimittere, alias tamen eadem peccata exposuisse in confessione, ita ut nec adsit emendatio, nec spes emendationis, non debet illum absolvere, sed differenda est absolutio, ut de habente consuetudinem peccandi loquuntur DD. cohærenter ad propositionem 60, ab eodem Innoc. damnatam, eo quia non potest efformari practicum judicium de efficacia propositi. Si vero Confessarius ex pœnitentis responsis colligat, esse quidem in occasione proxima involuntaria, sed alias non fuisse talia peccata confessum, vel adesse emendationem, aut emendationis spem, sicuti si colligeret, non esse in occasione proxima, vel ex quo multum temporis transierit ab ultimo peccato, vel paucis diebus, peccata compleverit, alias non solitus delinquere, vel ex quo fœminam dimiserit, vel ex quo quotidie fœminæ domum petierit, et potuerit quotidie peccare, sed solum decies peccaverit, vel quid simile; tunc si ei denegaret absolutionem, saltem contra charitatem peccaret, quia nullum est fundamentum dubitandi de efficacia propositi; sequitur ergo non esse statim tali Pœnitenti absolutionem denegandam, sed præmittendas esse interrogationes, et sic cohærenter ad responsa dandam esse, vel retinendam absolutionem.

CAS. II. — Mulieres, dum se accusant diebus Festis laborasse per plures horas sine necessitate, a Parocho redargutæ de lethali, respondent, putare se non peccasse lethaliter, quia non laborarunt lucri gratia. Qu. An huic responsioni acquiescere possit Parochus?

Resp. negative. Ratio est, quia ad rationem operis servilis prohibiti die festo impertinens est, utrum fiat ex lucro, aut recreatione; sicuti enim intentio, et animus lucrandi non facit opus esse servile, ita ab opposito intentio non lucrandi non tollit ab opere servili rationem servilis; ut docent Nav. Suar. Facund. de obser-

vatione festorum ; quare licet fœminæ, de quibus in casu, possint a gravi peccato excusari titulo ignorantiæ, si fuit invincibilis, tamen illarum dicto debet illas instruere, ut deinceps talibus operibus etiam sine lucro exercendis abstineant, nisi alia urgeat vera causa talibus operibus vacandi.

CAS. III. — Petrus per annum retinuit rem alienam, quam pluries potuisset commode restituere. Qu. Quot peccata commiserit ?

Resp. cum Giribal. de rest. tract. 2, c. 5, dub. 4. Vel Petrus tali tempore expresse, et directe renovavit propositum non restituendi, vel habito proposito restituendi non restituit, data opportunitate restituendi, licet crederet Dominum esse rationabiliter invitum, vel neutro ex his modis se gessit non restituendo; si primis duobus modis se habuit, toties peccavit Petrus, tum quoties expresse renovavit propositum non restituendi, fuit enim novus actus contra præceptum, sicque novum peccatum; tum quoties habito proposito restituendi: data opportunitate cognita non restituit ; sic enim saltem implicite novam habuit voluntatem non restituendi virtualiter retractivam primi propositi restituendi; si vero neutro ex his modis se gessit Petrus, per dilationem restitutionis ejus peccatum evasit gravius, non multiplex, quia nec novus habetur actus, nec novum urget præceptum, nec sola physica interruptio sufficit ad novum peccatum; unde solum est perseverantia moralis in primo peccato, quod certe peccatum aggravat, novum vero non constituit.

MENSE MAII.

CAS. I. — Titius conjugatus solitus habere rem cum Berta, quadam die sic ei dixit : si morerctur Uxor mea, ducerem te in Uxorem; cui illa respondit. Et ego ducerem te in Maritum. Moritur Uxor Titii. Qu. An possit contrahi tale matrimonium ?

Resp. posse. Ratio est, quia non militat species illa impedimenti criminis, quod dicitur adulterium cum

promissione futuri Matrimonii, de quo unice dubitari potest in præsenti. Etenim, ut tale impedimentum contrahatur, requiritur adulterium formale, et promissio futuri Matrimonii, prout expresse loquuntur Canones, qui contenti non sunt simplici animi, et amoris ostensione, sed in casu habetur quidem adulterium, quod supponitur formale, at non habetur promissio: illa enim locutio *ducerem te in Uxorem, ducerem te in Maritum,* est vellcitas Matrimonii, desiderium promittendi, et simplex ostensio animi, et expressio amoris, non vero Matrimonii promissio, unde non obstat tale impedimentum, quod obstaret, si dixissent, *ducam te in Uxorem*, *ducam te in Maritum.* Ita omnes, ut videre est apud Rossignol.

CAS. II. — Confessarius, audita cujusdam pœnitentis Confessione, illum interrogat, quomodo eliciat actum doloris de peccatis suis, cui respondet : Sic dico in corde meo. Diligo te Deum meum super omnia, quia summe bonus es, parce peccatis meis. Qu. An audita hac responsione possit pœnitentem absolvere ?

Resp. negative. Ratio est, quia dolor requisitus ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, cum sit pars materialis ejusdem ex Trid. sess. 14, cap. 3, et can. 4 debet esse expressus, et formalis, nec sufficit virtualis, sicuti materia Eucharistiæ debet esse formalis, cum non sufficiat uva, aut triticum, quæ virtualiter sunt vinum, et panis; at dolor, ut in casu, licet sit virtualis, contentus in actu dilectionis Dei super omnia, non tamen est formalis, cum non habeatur expressa detestatio peccatorum; actus enim amoris non est formalis actus doloris, nec talis redditur per illa verba *parce peccatis meis*, cum in suo rigoroso sensu sumpta significent tantum precationem, et orationem Deo factam, quæ formalem dolorem non important; unde Confessarius, ut pœnitentem absolvat, curare debet, ut formalem peccatorum dolorem emittat. Dixi in suo rigoroso sensu sumpta, ut debent verba sumi in casibus conscientiæ resolvendis, quia si per talia verba rusticus intendat exprimere dolorem, et vere doleat, in re habebitur

dolor formalis apud Deum, non sic apud Confessarium, qui ex talibus verbis secundum communem intelligentiam non posset illum inferre.

CAS. III. — Petrus ante annum decimum quartum completum habuit rem cum Uxore fratris sui: dum tale peccatum confitetur, complevit annum decimum quartum requisitum ad incurrendam reservationem, quod ad casum numeri quarti. Qu. An simplex Confessarius possit illum absolvere?

Resp. negative. Ratio est, quia in absolutione reservatorum respicitur tempus, quo datur absolutio, cum reservatio afficiat Confessarium, ita Possev. de Pœnitentia, et sane si peccatum heri commissum, quando non erat reservatum, hodie fiat reservatum, et hodie in confessione exponatur, non potest a communi Confessario absolvi, quia hodie restricta est in Confessario jurisdictio, ut docent Tambur. Diana, Felix a Potest. de Pœnitentia c. 5, n. 338, quare idem judicium non erit ferendum in casu nostro, cum militet eadem ratio?

MENSE JUNII.

CAS. I. — Berta assueta labori, sæpe de nocte e somno excitatur a puero lacte indigente, hæc, ut minori incommodo infantem nutriat, sistit se super lectum, et sic puero lac præbet. Interim gravi somno correpta in lecto puerum suffocat. De mane lacrymans cum Marito suo accedit ad Parochum pro confessione talis infanticidii instituenda. Parochus, audita pueri suffocatione, dimittit sive fœminam, sive virum ad Pœnitentiarium pro absolutione. Qu. An Parochus potuerit absolutionem impendere?

Resp. affirm. Ratio est, quia si dubitari potest, unice est vel titulo excommunicationis appositæ in Synodo Diœcesana lib. 2. c. 2. de Baptismo contra tenentes infantes in proprio lecto intra annum, vel ratione homicidii voluntarii; sed neutrum impedit absolutionem; non excommunicatio, quia est solum ferendæ sententiæ, ut

videre est in Synodo ; non homicidium voluntarium, quia ad incurrendam hanc reservationem homicidium debet esse studiose, data opera, et malo animo ex proposito causatum vel directe, vel indirecte, in causa proxima ; tale sane non est infanticidium in casu : licet enim potuerint peccare, et peccaverint parentes in lecto infantem suffocando, si sufficientem non adhibuerint diligentiam tamen talis suffocatio, cum non fuerit ex animo deliberato causata, non est voluntaria in se, vel in causa proxima voluntarietate ad reservationem requisita ; unde nulla in casu habetur reservatio, consequenter Parochus poterat illis, si peccarunt per omissionem debitæ diligentiæ, absolutionem impendere. Ita Girib. Gabrin. Graf. de reservatione.

CAS. II. — Titius graviter tentatus consentit, efficaciter peccare proponit, occasionem peccandi quærit, et invenit. Interim dum servet opus, hanc suam perversam voluntatem millies repetit, nullo modo tamen illam revocando. Qu. Quot peccata Titius commiserit ?

Resp. unicum. Ratio est, quia omnes actus, et motus sequentes uniuntur moraliter cum primo consensu efficaci in ordine ad externam ejusdem actus consummationem. Quod si actum internum Titius moraliter interrupisset, et reassumpsisset, tunc tot essent numero peccata, quot interessent reassumptiones, vel formales, vel interpretativæ. Ita communiter DD. agentes de peccatis.

CAS. III. — Petrus sic se accusat : Sæpius juravi falsum ; interrogatur a confessario, quomodo falsum juravit, respondit *in mea conscientia, in fide mea ita est*, et sciebat non esse. Quæritur, an Confessarius debeat efformare judicium de juramento in re, vel solum ex conscientia erronea ?

Resp., non debere efformare judicium de juramento. Ratio est, quia præscindendo ab intentione talia proferendi, non invocatur Deus nec immediate, ut requiritur ad rationem juramenti ex ejus definitione ; sensus enim illorum verborum est, hoc est verum, ut dictat

mea conscientia, aut humana fidelitas, in quorum verborum expressione nullo sane modo Deus invocatur, unde non habetur juramentum in re. Potest tamen Confessarius, et debet efformare judicium de perjurio peccaminoso ex conscientia erronea, si Petrus putans vere jurare, talia dixerit, cum apud Petrum idem sit, ac si vere jurasset. Ita Giribal. de juramento, et Leander, qui plures citat.

MENSE JULII.

CAS. I. — Titius, cognita Catharina, ignorans contraxisse impedimentum ad ducendam illius Sororem Rosam, iniit cum Rosa Sponsalia : modo cum venerit in notitiam, non posse contrahere cum Rosa ob impedimentum affinitatis, vellet saltem contrahere cum Catharina. Qu. An possit?

Resp., posse. Ratio est, quia si non potest ducere Rosam, est, quia habuit veram copulam completam licet illicitam cum Catharina illius Sorore, ex qua oritur impedimentum affinitatis dirimens matrimonium usque ad secundum gradum inter Titium, et consanguineos Catharinæ, intra quem gradum includitur Rosa, quæ utpote Soror Catharinæ est illi consanguinea in primo gradu : at inter Titium, et Catharinam per Sponsalia inita cum Rosa post copulam habitam cum Catharina nullum habetur impedimentum dirimens, et maxime non habetur impedimentum publicæ honestatis, de quo solum apparere potest dubium; nam talia Sponsalia cum Rosa post copulam habitam cum Catharina illius Sorore sunt invalida, utpote contracta cum habente impedimentum affinitatis dirimens matrimonium; ex Sponsalibus autem invalidis nullo modo nascitur impedimentum publicæ honestatis, ut videre est apud Pon. Reinf. et alios de hoc impedimento agentes; unde Titius optime in casu ducere potest Catharinam.

CAS. II. — Cajus inivit pacem cum inimico, attamen ipsum videndo non salutat, data occasione alloquendi ipsum non alloquitur. Qu. An peccet contra præceptum diligendi proximum?

Resp., regulariter loquendo non peccare. Ratio est, quia regulariter loquendo homo privatus ex præcepto charitatis solum obligatur ad exhibenda proximo signa communia, qualia sane non sunt salutatio, et allocutio: talia enim exercere inter æquales, sunt actus liberi, illa omittere inter inæquales sunt signa inurbanitatis; unde regulariter loquendo censendum est Cajum in casu contra præceptum Charitatis non delinquere. Dixi regulariter loquendo, quia si ratione alicujus circumstantiæ, puta, si cederet in scandalum, si pluribus occurrentibus cæteros salutaret, et alias inimicum a salutatione excluderet, vel quid simile contingeret, tunc Cajus graviter peccaret, quia in talibus circumstantiis salutationis, et allocutionis omissio esset manifestum odii interni signum. Ita Felix a Potest. decal. præcept. num. 502. et seq.

CAS. III. — Franciscus ex malitia non communicavit in Paschate, seu tempore Paschali, modo tali elapso tempore putat quidem peccasse, non satisfaciendo Ecclesiæ præcepto, attamen non teneri sumere sacram Synaxim pro satisfactione præcepti annuæ Communionis. Qu. An bene vel male sentiat?

Resp., male sentire, ita cum D. Th. Navar. Suar. contra non paucos. Ratio est, quia tempus Paschale est ab Ecclesia determinatum non ad finiendam obligationem, ut contingit in præcepto audiendi Sacrum die festo, et recitandi Officium in die, sed ad sollicitandam obligationem sumendi sacram Synaxim, quod colligitur ex verbis præcepti Ecclesiæ *ad minus in Pascha*, unde tenetur Franciscus quamprimum moraliter Ecclesiæ præcepto satisfacere, Eucharistiam sumendo.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Berta, cum esset Virginis intercessione liberata a quadam infirmitate, juravit in honorem Virginis, quotidie ter recitare Salutationem Angelicam flexis genibus, brachiisque extensis. Cum quadam die ex pigritia tales Salutationes non recitasset, interrogata a

Matre, an illas recitasset, respondit advertenter, et cum intentione jurandi, *juro per Deum, illas recitasse*, sciens tamen illas non recitasse. Qu. An mortaliter peccaverit Berta, sive Salutationes non recitando, sive jurando, illas recitasse?

Resp., Bertham lethaliter peccasse jurando, venialiter vero non recitando, ita Sporer, et la Croix. Ratio primæ partis, quia in juramento assertorio, quale est in casu, defectus veritatis importat semper peccatum lethale, cum idem sit invocare Deum in testem falsi in re sive magni, sive parvi momenti; veritas enim, et falsitas consistunt in indivisibili, nec datur magis aut minus verum, aut falsum, at in casu deficit veritas, et quidem cum advertentia, et animo jurandi, ut patet ex terminis casus; ergo Berta jurando se recitasse Angelicas Salutationes, cum illas sciverit non recitasse, lethaliter peccavit. Ratio secundæ partis est, quia in juramento promissorio, quale est velle recitare Salutationes Angelicas, quoad veritatem de futuro non invocatur Deus in testem veritatis, vel falsitatis, sed solum quasi in sponsorem obligationis ponendi rem cum juramento promissam: obligatio autem rei promissæ est modo major, modo minor ad rationem materiæ majoris, vel minoris momenti, at in casu materia, seu res promissa est levis momenti: nemo enim prudens tres Angelicas Salutationes tanquam quid leve non reputavit; ergo illas Salutationes non recitando, venialiter tantum Berta peccavit.

CAS. II. — Fœmina quædam robusta habens cibum nedum sufficientem, sed sufficientissimum pro unica refectione, quia tamen lac præbet infanti, nollet servare jejunium, quod tamen sine incommodo posset servare, ut alias est experta. Qu. An in his circumstantiis excusetur ab observantia jejunii?

Resp. excusari. Ita cum Diana, Leand. Girib. de præcept. decal. Ratio est, quia talis fœmina inter lactantes vere locum habet, quæ cum pleniori indigeant cibo ad nutriendum tum se ipsas, tum parvulos, a jejunio excusantur; unde non est, cur communi lactantium privilegio privetur per hoc, quod sit robusta, et habeat

sufficientem cibum pro unica refectione, et absque incommodo possit jejunium servare; sicuti qui in serotina collatiuncula unica saturatur, non privatur privilegio comedendi sex, vel septem circiter uncias, ut omnes fatentur apud Giribald. de jejunio dub. 8. num. 66. consequenter dicendum est a jejunio excusari.

CAS. III. — Confessarius audiens confessiones Juvenum et Puellarum se accusantium omnibus diebus festis amori profano vacare, mutuo se aspiciendo, nec non plura colloquia per aliquas horas inter se habendo, exigit ab eis promissionem se a tali amore abstinendi, quod cum nollent promittere, absolutionem denegat. Qu. An bene se gerat talis confessarius?

Resp., practice loquendo bene se gessisse. Ratio est, quia licet aspectus sint honesti, et colloquia indifferentia (de quibus casum procedere supponendum est, cum de turpibus nulla sit difficultas) speculative loquendo nullum peccatum intersit sic amori profano, maxime quando tales actiones ad honestum finem ordinantur, hoc est ad Matrimonii Sacramentum; tamen practice loquendo cum ita se gerere maxime nimia cum frequentia, ut in casu *omnibus nempe diebus festis per aliquas horas*, esse soleat occasio mortaliter peccandi, nec non multorum malorum origo, et causa; homo enim et mulier ignis sunt, et palea, diabolus nunquam cessat insufflare, ut accendatur, ut advertit S. Hieronymus, et difficile sane sit in praxi a morosa delectatione, vel a pravo desiderio abstinere, experientia pluries hoc comprobante non sine gravi animarum detrimento, sequitur Confessarium animarum zelo præditum debere totis viribus incumbere, ut suos pœnitentes a tali amore divertat, vel saltem ut illi tali amoris frequentiæ moderentur; quod si abstinentiam, vel moderationem promittere recusent, uti amatores periculi animarum suarum, juxta illud, qui amat periculum, peribit in illo, non sunt absolvendi, sed dimittendi. Ex quibus constat practice loquendo bene se gessisse Confessarium.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Rusticus multis miseriis oppressus negat in animo, et in corde Deum esse providum, et justum, sed tunc hæresim hanc externe non profert; dum tamen paulo post factus sit ebrius, claris verbis dicit: *Non credo Deum esse providum, et justum.* Qu. An incurrerit excommunicationem Bullæ Cœnæ?

Resp. negat. Ita communiter cum Spor. in primum decal. præceptum. Ratio est, quia ad incurrendam excommunicationem Bullæ Cœnæ requiritur, ut quis hæresim animo conceptam voce, vel actione externa distincte significativa, et moraliter mala assertive manifestet, et profiteatur, ut cum Sanch. lib. 2, c. 8, n. 7, et 17, docent alii; at rusticus in casu hæresim manifestans in ebrietate, illam non manifestat actione distincte significativa, et moraliter mala assertive: tali enim tempore cum sit usu rationis destitutus, talis vocis, aut actionis usus incapax est, ergo excommunicationem non incurrit.

CAS. II. — Titius Matri suæ rixas, et jurgia sive cum domesticis, sive cum exteris tum in ebrietate, tum extra ebrietatem sæpe excitanti mortem felicem, et beatam exoptat, ut tandem sit finis jurgiorum, et peccatorum. Qu. An peccet?

Resp. negat., ita Azor. Sanch. et Spor. in primum decal. præcep. Ratio est, quia objectum talis actus non est malum: optat enim Titius mortem Matri, quæ illi melior est quam vita tot peccatis plena. Neque hic locum habet 14 propositio damnata ab Innoc. XI., quia ex morte Matris nullum ex terminis casus temporale commodum filius sperat, in quo sensu damnata est citata propositio, cum vita Patris præferenda sit cuicumque commodo temporali proprio juxta rectum charitatis ordinem; bene vero Filius solum commodum spirituale Matris ex ipsius morte sperat, et quidem solum ex suppositione, quod sit a Deo in utilitatem Matris mors disposita, quare, stando terminis casus, Titius non peccat.

CAS. III. — Petrus annorum quatuordecim, famulus cujusdam Rustici, sæpe non audit Sacrum in die festo, quia dominus illum relinquit domi ad custodiendum sive domum, sive armentum. Qu. An adsit causa sufficienter excusans ab auditione Sacri?

Resp. affirm. Ratio est, quia impotentia moralis, et officium custodiendi domum, vel armentum per omnes sunt causa sufficiens ad excusandum ab auditione Sacri. Neque dicatur teneri dimittere famulatum. Contra : Alicui permissum est domum, et armentum custodire non audiendo Sacrum die festo, si aliter nequeat haberi talis custodia, quare ergo non erit permissum Petro? Hoc tamen solum procedit, si alter nequeat armentum custodire, vel licet plures essent famuli, plures non haberentur Missæ, vel in paræcia, vel viciniis. Ita communiter.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Dum privato Baptismo ob vitæ periculum baptizatur Infans, eum tenet Cajus cum intentione agendi munus Patrini, illumque baptizat Sergius; nunc mortuo Patre Infantis, Mater libenter Matrimonium contraheret vel cum Cajo, vel cum Sergio.

Resp., non obstare cum Cajo, obstare cum Sergio. Ratio primæ partis est, quia Cajo non obstat impedimentum cognationis spiritualis, de qua unice dubitari potest, etenim adhibitio Patrini est cæremonia instituta ab Ecclesia pro solo Baptismo solemni; et ex usu Ecclesiæ constat non requiri in privato Baptismo, qua ratione nomina patrinorum, qui privatim infantem tenuerunt, a Parochis in libro non describuntur, nec illis ab eodem cognatio contracta inculcatur, quod tamen præscribit Trid. sess. 24, c. 2, de reform. quando solemniter in Ecclesia Baptisma ministratur. Nec obstat intentio Caji, quia intentio pura agendi munus Patrini non constituit solemnitatem ab Ecclesia requisitam pro tali cognatione contrahenda; sequitur ergo Cajum in casu ducere posse matrem infantis. Ita Sanch. lib. 7, disp. 62, Silv. v. Matrim. Ratio secundæ partis est, quia Sergius vere

Baptismum administravit Infanti, et hoc sufficit ad contrahendam cognationem spiritualem, nec solemnitas aliqua desideratur, unde Sergius non potest valide cum talis infantis Matre Matrimonium inire. Ita communiter.

CAS. II. — Nobilis quidam timoratæ conscientiæ ruri commorans vellet venationi operam dare die jejunii, sed quia prævidit ob fatigationem se impotentem redditurum ad servandum jejunium, consulit prius Parochum, an possit licite venari. Qu. Parochi consilium?

Resp., teneri Parochum nobili viro respondere, non posse licite venari; ita cum Alef. Asten. cum quibus monet etiam Diana esse sentiendum. Ratio est, quia venari cum tali prævisione non est uti jure suo, sed esset voluntarie impedimentum apponere observantiæ præcepti jam urgentis, contra obligationem non apponendi tale impedimentum, eo quia Ecclesia, jejunium ut finem præcipiens, præcipit etiam id, quod est ad talem finem, jejunium nempe, necessarium: sed venari in casu esset impedimentum apponere fini ab Ecclesia præcepto, scilicet jejunio, ergo vir nobilis non potest licite venari, ne jejunio impedimentum apponat, ad quod voluntarie apponendum jus non habet. Hæc responsio virtualiter continetur in 51 propositione ab Alex. VII damnata.

CAS. III. — Titius furto surripiens a Cajo decem coros tritici, motivum furandi adeo efficax dedit Sempronio, ut alias Sempronius non esset furaturus. Qu. An Titius teneatur restituere, Sempronio non restituente?

Resp. negat. Ratio est, quia Titius non fuit causa furti relate ad Sempronium nec positiva, nec negativa, sed tantum occasio furandi; distinguitur enim causa ab occasione in hoc, quod causa vel producit effectum, vel influit in effectum physice, aut moraliter; occasio vero movet affectum, ut notat Panor. in c. *Si quando*, unde occasio objective solum, non causaliter movet, sed in casu Titius non influxit in furtum Sempronii positive: non enim intervenit mandatum, vel consensus, vel palpatio, vel recursus, vel participatio: nec similiter negative, non enim ex officio tenebatur furtum

Sempronii impedire, ergo fuit tantum occasio, quatenus suo pravo exemplo Sempronium ad furandum induxit, quod est quidem contra Charitatem, non tamen contra justitiam peccare, ut requiritur ad restitutionis obligationem contrahendam, sicque non tenetur. Est communis. Neque obstat propositio 39 damnata ab Innocentio, quia intelligenda est de vera causa, non de occasione, ut docet Carden.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I.— Berta, gravi habita contentione, et quidem contumeliosa cum Catharina, juravit serio, nolle amplius alloqui Catharinam, illiusque domum frequentare; cum quadam die esset a Catharina ad jentaculum habendum invitata, domum illius intravit, ipsamque est allocuta. Qu. An Berta fuerit perjurii rea?

Resp. negat. Ratio est, quia tale juramentum fuit nullum, quia de re mala. Etenim ex inimicitia nolle alloqui inimicum, aut ejus domum frequentare, est peccatum contra proximi charitatem, consequenter quid malum, hinc et de re mala juramentum talia non præstandi, sicque nullum, cum juramentum nequeat esse vinculum iniquitatis; unde non fuit Berta perjurii rea, vicinam alloquendo, et ejus domum frequentando, nisi ex conscientia erronea talia præstiterit. Ita Sporer de juramento.

CAS. II. — Dum nascitur infans, Obstetrix dubitat, an vivat necne, attamen sub conditione, *si es vivus*, debita materia, forma, et intentione illum baptizat et in pede. Extracto infante, nullum Obstetrix vidit vitæ signum. Res defertur ad Capellanum absente Parocho. Qu. An sepeliat, vel non, talem Infantem in loco sacro?

Resp., sepeliendum esse in loco sacro, ita cum Hom. vol. 2, cas. 67, consul. mor. Possev. Gobat. La Croix, lib. 7, n° 250. Ratio est, quia in dubio de valore Baptismi, Baptismus stat pro Infante, sed in casu dubitatur tantum de valore Baptismi, cum dubitetur tantum de

vita Infantis tempore collationis Baptismi; quod enim Infans natus visus fuerit mortuus, solum probat natum esse mortuum, non vero non vixisse, dum fuit baptizatus; ergo pro Infante stat Baptisma, sicque clare constat esse in loco sacro sepeliendum.

CAS. III. — Titius injuste occidit Cajum Patrem Sempronii, modo petit veniam a Sempronio paratus ad ei satisfaciendum, prout justitia exigit. Respondet Sempronius, ex corde offensam dimitto, in scriptis tamen pacem dare nolo, ut publica justitia locum habeat. Qu. An Sempronius tali animo accedens ad pœnitentiæ tribunal sit capax absolutionis?

Resp., practice loquendo, non esse absolutionis capacem, ita cum Beja prima parte, casu 10, qui pro se citat D. Th. Alens. et alios. Ratio est, quia licet speculative loquendo, stet vera dimissio injuriæ ex corde cum puro zelo justitiæ, quod sufficit pro inimicorum dilectione a Christo præcepta, in quo sensu explicari possunt auctoritates Scripturæ, et Conciliorum, quæ a Beja adducuntur ad probandum obligationem pacem in scriptis concedendi inimico veniam petenti, et parato ad satisfaciendum, prout justitia exigit; tamen quia practice loquendo, nimis difficile, ac rarissimum est, quempiam invenire, qui, dimisso odio, ex puro amore justitiæ, non potius ex affectu vindictæ velit in scriptis pacem denegare, cum propter humanæ naturæ corruptionem ulciscendi libido hominum mentibus fere insita sit, ut loquitur Catechism. Rom. de 5. præc. Decal. cap. 6, nº 19, sequitur in praxi nolentem inimico, servatis aliis servandis, pacem in scriptis concedere, esse in statu peccati, sicque absolutionis incapacem.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Titius confitetur se in priori confessione oblitum fuisse trium fornicationum. Confessarius dixit ei, teneri repetere Confessionem, quod nolens Titius præstare, inabsolutus a Confessario dimittitur. Qu. An bene se gesserit Confessarius?

Resp., vel talis oblivio contigit ex defectu sufficientis examinis, vel præcise ex defectu memoriæ. Si primum, bene se gessit Confessarius. Ratio est, quia sic prior Confessio fuit nulla, et peccavit Titius illam instituendo: omisit enim culpabiliter id, ad quod obligabatur; si hoc, sane ut consulat animæ suæ, tenetur et priorem confessionem repetere, et negligentiam, quæ causa fuit sacrilegæ confessionis, exprimere, unde bene se gessit Confessarius. Si secundum dicatur, male se gessit Confessarius, quia omissio alicujus peccati mortalis in confessione per simplicem memoriæ defectum non invalidat confessionem: fecit enim pœnitens, quod debuit; et in tali confessione valida directe remissa fuerunt peccata exposita, indirecte vero peccata oblita, et solum tenetur pœnitens oblita confiteri ad directam reportandam absolutionem, non vero priorem confessionem validam repetere; unde in hoc casu male se gessit Confessarius non absolvendo absolutionis capacem. Ita Spor. de Pœnitent.

CAS. II. — Berta videns Catharinam, habentem tres filios, semper blandiri Petro et Joanni, e contra semper etiam levi de causa objurgare, et verberare Franciscum, firmiter judicat, Franciscum esse ex adulterio natum. Qu. An hoc sit temere judicare cum peccato mortali?

Resp. affirmative. Ratio est, quia habetur firmus assensus de gravi malo proximi ex levibus indiciis, ut requiritur ad judicium temerarium lethaliter peccaminosum. Habetur assensus firmus, dicitur enim in casu *Berta firmiter judicat;* habentur levia indicia, quia Matrem blandiri uni filio, alterum levi de causa objurgare, oriri potest ex alio disparato motivo, quam ex adulterio, et sæpius filii ex adulterio concepti a matre præ aliis legitimis diliguntur; est etiam assensus de malo proximi, et quidem gravi, licet enim judicare esse ex adulterio natum etiam ex levibus indiciis præscindendo a particularibus circumstantiis, non sit quid grave sufficiens ad lethale, ut tenet Lef.

lib. 2, c. 29; dub. 2, n° 29, quod docent etiam Nav. et Giribal. quia talis defectus utpote naturalis non est culpabilis, tamen in casu, cum judicium sit de adulterio Catharinæ Matris Francisci, quod est quid maxime culpabile in fœmina, eique indecorum, clare constat, judicium esse de malo gravi, consequenter Bertam temere judicasse cum peccato lethali.

CAS. III. — Conjugatus Conjugatam cognovit, et ut de tali peccato confessionem faciat, putat satisfacere suæ obligationi, dicendo, confiteor me commisisse adulterium. Qu. An bene sentiat pro valore Confessionis?

Resp., male sent. Ratio est, quia talis conjugatus duo adulteria commisit ob duas injurias, et injustitias, unam contra propriam Uxorem, alteram contra Maritum fœminæ cognitæ; quas injurias et injustitias Confessario non exponeret, dicendo: *Confiteor me commisisse adulterium*, unde male sentiret pro valore Confessionis. Ita Filiuc. Felix a Potest. de adult.

ANNO MDCCXXXIV.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Rusticus quidam, post valida sponsalia inita cum Berta, ei tradidit rem, ex qua sibi vestem conficeret; modo cum absque causa velit ille a Sponsalibus resilire, Berta rem acceptam dare recusat. Quæritur, an licite?

Resp. affirm. Ratio est, quia licet res illa non fuerit arrha, quæ amittitur ab eo, qui fidem non servat per sponsalia promissam, cum non fuerit tradita in ipsa celebratione sponsaliorum; tamen vel titulo sponsalitiæ largitatis, quæ transit sub dominium sponsæ, si sponsus absque justa causa, ut in casu, a sponsalibus resilit, ut cum communi tenet La Croix, lib. 6, c. 3, n° 136, vel titulo damni sive temporalis, sive moralis,

quod ex tali injusta resilientia pati Berta cogetur ; difficilius enim alterum inveniet , cui nubat, et per talc repudium famæ detrimentum obveniet, licite Berta rem acceptam dare recusat.

CAS. II. — Uxoratus rem habuit cum Consobrina secunda Uxoris suæ , putans , se idcirco privari jure petendi debitum ab Uxore; modo consulit Parochum pro remedio, ut absque culpa debitum conjugale valeat petere. Qu. Parochi responsum?

Resp. , Parochum teneri respondere uxorato , nullo indigere remedio , sed posse licite ab uxore sua debitum petere. Ratio est, quia in jure privatio juris petendi debitum est solum taxata pro committente incestum cum persona consanguinea conjugis in primo , vel secundo gradu , ut colligitur *ex c. de eo , qui cognovit consang.*, etc., cum solum intra talem gradum copula illicita dirimat matrimonium cum consanguineis personæ cognitæ, sed in casu copula fuit cum consanguinea uxoris suæ in tertio gradu; qualis est consobrina secunda , eo quia inter hanc , et stipitem , a quo istæ fœminæ descendunt, mediant aliæ duæ personæ , ut regulam pro gradibus agnoscendis a jure canonico assignatam considcranti patebit; ergo talis uxoratus jure petendi debitum non fuit privatus , sicque nullo indigeret remedio. Neque obstat , ipsum putasse jus amittere ; quia putare, legem pœnam constituisse , non est pœnam esse a lege determinatam , et effective illam incurrere, ut docet Sanch. lib. 9, disp. 27, nº 14.

CAS. III. — Titius cum suspicetur, uxorem suam cum Petro adulterium patrasse , cogit illam ad jurandum , quod adulterium cum Petro non commiserit , Uxor sic coacta jurat : non peccasse cum Petro , intelligens intra se , *non peccasse peccato furti*. Qu. An in re fœmina sit perjura?

Resp. negat. Ratio est. In casu non habetur pura restrictio mentalis damnata ab Innoc. XI , quæ includit mendacium ab intrinseco malum , sed tantum habetur restrictio realis ; cum significatio conformis conceptui

interno mentis loquenti percipi possit a Titio, reflectendo ad verba, quibus fœmina jurat, dicit enim *non peccasse cum Petro*: quæ verba cum latitudinem habeant, ut patet, a prudenti intelligi possunt etiam de alio peccato, adulterio excepto; et quidem talis restrictio realis fuit tantum ad occultandum peccatum, ad quod celandum jus habet uxor: hoc autem dato, fœmina non fuit perjura, quia talis restrictio in omnibus casibus, in quibus aliquis jus habet ad secretum occultandum, licita est, nec mendacium includit, ut post propositiones damnatas scripserunt Viva, Felix a Potestate: unde dicendum, non pejerasse.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Rusticus per multum tempus ignoravit Mysteria Trinitatis, et Incarnationis. Qu. An tenetur repetere Confessiones tali tempore factas?

Resp., probabil. negat. Ratio est, quia ex una parte probabilius est, fidem explicitam Trinitatis, et Incarnationis non esse necessariam necessitate medii ad salutem, ut tenet etiam Eminentissimus Gotti inter Recentiores, et ex alia parte propositio 64 ab Innocent. XI, damnata solum in hoc sensu procedit, quod possit licite absolvi, qui culpabiliter ignorat talia mysteria, non tamen quod valide nequeat absolvi: ex quibus sequitur, Confessarium, qui talem ignorantiam advertisset, illicite, non invalide Rusticum absolvisse, et Rusticum eo tunc incapacem fuisse licitæ, non tamen validæ absolutionis. Si autem erat pro tunc capax validæ absolutionis, dicendum, ejus confessiones fuisse validas, sicque non teneri illas repetere, ut jam docuit Marchant. tract. 5, de Pœnitentia, et etiam post citatam propositionem damnatam docet Viva. Optimum tamen erit talem repetitionem Rustico consulere ad omnes scrupulos sedandos, præmisso explicito actu fidei circa Incarnationis, et Trinitatis Mysterium.

CAS. II. — Berta sponsalia iniit cum indigno, cujus

Matrimonium in familiæ dedecus vergit. Qu. An talia Sponsalia sint valida ?

Resp. negat. Ratio est, quia tale matrimonium contrahere, esset contra pietatem, et charitatem parentibus, et consanguineis debitam, quia probrum, et dedecus illis inique inferre, eosque graviter constristari, est charitatis leges violare, imo esset contra justitiam, quia in præjudicium aliorum vergeret ; si autem tale matrimonium inire, esset contra charitatem, et contra justitiam, nemo ad illud tanquam ad illicitum, et cum peccato exequendum potest obligari ; in malis enim promissis fidem non expedit servari, *cap. in malis de reg. jur. in* 6, consequenter promissio in casu non est obligatoria, sicque invalida.

CAS. III. — Titius exponit Parocho, ex errore concomitanter se habente ipsum contraxisse Matrimonium cum Francisca, qua ratione modo putat nullum esse. Qu. Parochi responsum pro foro conscientiæ?

Resp., Parochum teneri respondere, esse nullum. Ratio est, quia cum error concomitans ille dicatur, quo quis contrahens cum Francisca, putando esse Bertam, paratus esset etiam contrahere cum Francisca, si illam cognovisset, sequitur, sic contrahentem non ponere consensum actualem in matrimonium, sed tantummodo paratum esse ad illum ponendum, si scivisset esse Franciscam ; sed ad matrimonium utpote contractum indissolubilem non sufficit dispositio contrahendi, sed actualis consensus desideratur, ergo tale matrimonium Titii cum Francisca ex errore concomitanter se habente contractum fuit nullum : ita cum Sanch. disp. 18.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Rusticus in actu Confessionis interrogatur a Parocho circa Symbolum, orationem Dominicam, præcepta Decalogi, et Sacramenta, quæ recitare prorsus ignorat. Quare præcipit ei Parochus, ut prius illa memoriæ mandet, deinde ad illum pro absolutione revertatur. Pro viribus elaboravit rusticus, etiam aliorum

adjutorio, ut illa memoriter addisceret, sed frustra, unde ut antea, ignarus ad Parochum rediit. Qu. An possit illum absolvere?

Resp. affirm., si credat singulos articulos, quando sibi ab Ecclesiæ Ministris proponuntur, et sciat de illis, ac de præceptis Decalogi, et Sacramentis respondere, quando interrogatur; et deprecetur Deum intendens saltem confuse, quæ in oratione *Pater noster* continentur. Ratio est quia præceptum Ecclesiæ de supradictis ordinate addiscendis, et memoria tenendis, quod expressum habetur in c. *vos ante* de consecr. dist. 4, et in Concil. tam Tolet., 4 et 5, quam in Rhemen., cap. 2, obligat solum prout ferunt hominum vires: nemo enim ad impossibile tenetur, et in omni præcepto legis positivæ admittitur exceptio causæ rationalis cap. *Si quando de rescript.* sed in casu nequit rusticus absolute supradicta memoriæ mandare; ergo, licet peccaverit, illa memoriæ non tradendo tempore juventutis, vel illorum obliviscendo, quia raro, vel nunquam recitaverit, tamen, si respondeat, ut Christianum decet, ut supra dixi, potest, et debet absolvi: ita cum D. Thom. 2, 2. p. 2, art. 8.

CAS. II. — Parochus, audito in Confessione peccato perfectæ Bestialitatis, jussit Pœnitenti, ut Superiori se præsentaret. Obedit Pœnitens, et a Superiore facultatem obtinuit, ut per Parochum suum a tali peccato absolvi posset. Qu. An Parochus tali Pœnitenti ad se pro absolutione revertenti teneatur credere, et illi absolutionem impendere?

Resp. affirm. Ratio est, quia, cum Superior, ut bene notat meus Homob. de refer. facilis esse debeat in hujusmodi facultatibus concedendis, non est, cur possit prudenter Parochus dubitare de obtenta facultate illum a reservatis absolvendi, illumque velle mentiri, et sacrilegium facere; unde illi tenetur credere, et absolutionem impendere, maxime cum in hoc judicio pœnitens sit reus, testis, et accusator. Ita cum meo Giribal. de refer.

CAS. III. Confessarius Pœnitentem, quia a Superiore

facultatem pro absolutione ab incestu cum Sorore uxoris suæ commisso obtinuerat, nedum a peccato absolvit sed etiam scienter amissum jus petendi debitum conjugale illi restituit. Qu. An bene se gesserit?

Resp., male se gessisse. Ratio est, quia facultas restituendi amissum jus petendi debitum est quid disparatum a facultate absolvendi a reservatis, et certe, si Ordinarius nullum incestum reservaret, quilibet simplex Confessarius posset a qualibet incestuosa copula Pœnitentem absolvere, nec tamen eo tunc haberet facultatem restituendi amissum jus petendi, utpote quia esset a facultate absolvendi disparata; ergo Confessarius, qui pœnitentem, præcise obtenta facultate a Superiore pro absolutione ab incestu, nedum absolvit, sed amissum jus ei restituit, male se gessit. Neque obstat regula juris *minus includitur in majori*, quia valet tantum in rebus ejusdem generis, non vero diversi generis, ut in casu, in quo valet alia regula *a diversis non fit illatio*.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Rusticus in confuso exponens in Confessione, se turpia cum Sociis habuisse colloquia, pluries jurasse, et similia, interrogatur a Parocho recenter promoto circa gravitatem, et numerum peccatorum; cui respondet, nunquam se in aliis confessionibus talia expressisse, nec de iis a Parocho defuncto fuisse interrogatum. Qu. An novus Parochus debeat Pœnitentem obligare ad præteritas confessiones repetendas?

Resp. negat., si bona fide taliter confessus sit, ut suppono. Ratio est, quia, cum Rustici fere uniformem vitæ modum habeant, ex his, quæ una hebdomada commisisse fatentur circa talia colloquia, et similia, facile Parochus valet dignoscere, quantum toto anno in simili materia peccaverint, prout requiritur ad rectum judicium efformandum, et peccatis remedium apponendum: quare, si Rusticus, de quo in casu, peccata sua solitus fuerit apud proprium Parochum fateri, ut ex illis verbis *nec sic a Parocho defuncto fuisse interrogatum*, clare

colligitur, sequitur, parochum defunctum rectum judicium de gravitate, et numero peccatorum hujus Rustici efformasse, sicque inquietandum non esse, ut utar terminis Marchantii, nec teneri præteritas confessiones repetere. Ita cum de Lug.

CAS. II. — Berta in Paschali Confessione difficulter ob magnam verecundiam turpia quædam exposuit in Confessione Sacerdoti ei prorsus ignoto : modo dubitat, an ex motivo verecundiæ tacuerit peccatum incestus cum Fratre; quare maxime angitur, teneatur ultimam Confessionem repetere, an vero peccatum, quod omisisse dubitat, confiteri ei sufficiat. Qu. Quid dicendum ?

Resp., teneri ultimam confessionem repetere. Ratio est, quia statim, ac fœmina dubitat, an voluntarie, ut colligitur per ly *ex verecundia*, omiserit in Confessione aliquod lethale, dubitat de culpabili invaliditate Confessionis : si autem ita dubitat, jam Confessio illa est reiteranda, quia in dubio de culpabili invaliditate Confessionis possessio stat pro præcepto integre confitendi, quod certe urget post peccata commissa, sicque etiam possessio stat pro nova confessione talium peccatorum. Neque dicatur, omittentem aliquam circumstantiam, vel peccatum in confessione non teneri præteritam confessionem repetere, ita et in casu. Contra est ; non tenetur sane præteritam confessionem repetere, qui bona fide aliquod peccatum in confessione omisit; at in casu, cum dubitet Berta, an peccatum omiserit ex verecundia, non bona sed mala fide omisit ; ideo tenetur ultimam confessionem repetere : ita Sylvester v. *confessio.*

CAS. III. — Petrus annorum circiter duodecim absque Parochi examine, et sine ejus licentia præsentat se linteo Altaris, ut cum aliis Paschalem sumat Communionem. Qu. An Parochus teneatur illi sacram Synaxim ministrare ?

Resp. negative. Ratio est, quia Parochus tenetur bene Eucharistiæ Sacramentum ministrare, quod nequit præstare erga pueros, nisi illos ante primam sumptio-

nem examinet, aut de illorum idoneitate per prudentem Confessarium ei innotescat. Quod si ex non ministratione Sacramenti in casu oriri posset admiratio in populo, aut periculum infamiæ in puero, huic malo obviam ibit Parochus alta voce dicens puero se sistenti linteo altaris. *Nondum Eucharistiam suscepisti, venias cras, examen habebo super tuam idoneitatem, si idoneus eris, sacramentum tibi ministrabo.* Per hæc verba admiratio, et infamiæ periculum cessabit. Ita cum Possev. quoad substantiam.

MENSE MAII.

CAS. I. — Titius juravit, nolle se aliam personam carnaliter cognoscere præter Amasiam, attamen aliam cognovit. Qu. An in re sit perjurus?

Resp. negative. Ratio est, quia licet tale juramentum adimpleri possit absque peccato, ad aliam fœminam non accedendo, ratione cujus videtur obligatorium, ut docet Sanch. tamen, quia tale juramentum tanquam finem habet magis ac magis pravam amicitiam inter Titium, et Amasiam fovere, et conservare, non tenet, quia esset vinculum iniquitatis, ut clare constat, unde illud non servando, Titius non pejeravit. Ita cum Fagund. in decal. tom. 1, præcept. 2, l. 2, c. 24, nº 19.

CAS. II. — Petrus, videns apertam Sempronii officinam, dicit Cajo : Si nunc ex mercibus Sempronii acciperes, nemo sciret. Quo audito, Cajus plura furatus est. Qu. An, non facta restitutione, per Cajum Petrus ad aliquid teneatur?

Resp. ad nihil teneri. Ratio est, quia per tale dictum Petrus non influxit in furtum, cum nec dederit mandatum, aut consilium, aut alio modo se habuerit ut causam furti. Neque dicatur, si talia Petrus non dixisset, Cajus furtum non commisisset, unde est causa furti. Contra enim est. Etiam objectum non amatur, nisi ab intellectu cognoscatur, nec tamen intellectus est

causa amoris; ita nec in casu. Ex quo Cajus non fuisset furatus, si Petrus talia verba non dixisset, solum infertur, Petrum fuisse occasionem furti, non vero causam, cum non sit explicabilis influxus proprius in tale furtum : si autem fuit occasio, non vero causa, jam non tenetur restituere, quia solum contra charitatem, non contra justitiam peccavit. Neque obstat propositio 39 damnata, quia hæc procedit de causa damni, non de simplici occasione, ut docet Card.

CAS. III. — Berta ratione metus gravis nulliter cum Petro Matrimonium contraxit, eique postea copiam fecit corporis sui absque reluctantia. Modo volens Matrimonii nullitatem apud Judicem intentare, dubitat, an stante tali copula ejus matrimonium pro foro conscientiæ adhuc sit invalidum. Qu. Quid dicendum?

Resp., vel copula habita fuit animo conjugaliter vivendi, vel non : si primum, dicendum, matrimonium modo esse validum, dummodo Berta sciverit ante talem copulam, invalidum ratione metus gravis fuisse matrimonium : et ratio est, quia talis copula æquivalet consensui; novus consensus liber conjugaliter vivendi reddidisset matrimonium validum, ut patet; ergo et talis copula, si fuit libera, ut supponitur, cum dicatur in casu *absque reluctantia*, et si fuit animo conjugaliter vivendi, dummodo tamen Berta sciverit, suum matrimonium per metum contractum ab initio fuisse nullum, quia data nullitatis ignorantia matrimonium non esset ratificatum; nihil enim est tam contrarium consensui, quam error, et forsan copulam non habuisset, si nullitatem matrimonii scivisset, ita Sanch. lib. 4, disp. 18, num. 2, et lib. 2, disp. 44, num. 2, et Reinf. Si vero dicatur, copulam non fuisse habitam animo conjugaliter vivendi, dicendum est, etiam de præsenti esse nullum, quia, si ad validitatem matrimonii non fuit sufficiens consensus expressus metu gravi extortus, multo minus consensus tacitus, per copulam habitus ex tali metu, aut etiam præscindendo a metu, si fuit præcise causa libidinis.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Confessarius audiens mulierculam quamdam se unice accusantem divinis non consensisse inspirationibus, illam absolvit. Qu. An bene, vel male se gesserit?

Resp., male se gessisse. Ita communiter cum Card. de Lugo disp. 16, de pœnit. num. 103. Ratio est, quia divinis inspirationibus non consentire, dummodo non sit transgressio inspirationis oblatæ, quando offertur occasio frangendi præceptum, licet sit imperfectio, non est peccatum, neque veniale; eo quia sicuti sequi consilia non cadit sub præcepto etiam venialiter obligante, sed solum cadit sub consilio, ita non operari juxta consilium, nullum erit peccatum; sed non respondere divinis inspirationibus, dummodo non offerantur in occasione frangendi præceptum, est præcise non operari juxta consilium, ergo nullum erit peccatum : si nullum peccatum, jam constat male se gessisse Confessarium, quia impendit absolutionem, ubi nulla erat materia absolutionis. Dixi, dummodo non sit transgressio inspirationis oblatæ, quando offertur occasio frangendi præceptum, quia in tali casu esset peccatum talibus inspirationibus non consentire; non tamen peccatum distinctum ab ipsa transgressione præcepti.

CAS. II. — Sacerdos, postquam Hostiam consecravit, meminit, se non consecrasse Hostiam pro solemni Processione ad Vesperas habenda, nec alium esse Sacerdotem Sacra facturum; quare Hostiam consecratam in Sacrario reponit, et ex præconsecratis particulis unam extrahit sumendam, et sumit. Qu. An bene se gesserit?

Resp., male se gessisse. Ratio est, quia Sacerdos debet participare de suo Sacrificio, ut colligitur ex Concil. Tolet. 12, c. 5, relato in *c. relat.* 22, *de consecrat*, *dist.* 2, nam *quale*, inquit, *erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?* Constat etiam ex rubricis Missalis, quibus Ecclesia docet, si post consecrationem contigerit venenum in Hostia appa-

rere, debere Sacerdotem aliam Hostiam consecrare; quod necessarium non esset, si Sacerdos, relicta propria Hostia, posset aliam ab alio consecratam, et in Pyxide existentem sumere; imo nec etiam licitum esset, quia solum licet aliam Hostiam consecrare ad Sacrificium perficiendum, quod sumptione Hostiæ ab alio consecratæ perfici posset. Ex his sequitur, Sacerdotem in casu male se gessisse.

CAS. III. — Titius furatus est equum viri nobilis perdivitis, illumque sex annorum spatio locavit. Qu. An etiam totum locationis pretium, detractis tamen necessariis expensis, restituere teneatur?

Resp., teneri solum restituere equum, et id, in quo equus per usum factus est deterior, non vero fructus locationis. Ratio est, quia equus clamat ad dominum, et cum Titius per usum equi illum culpabiliter fecerit deteriorem, culpabiliter dominum damnificavit; unde tenetur et equum restituere, et id, in quo equus factus est deterior, domino compensare: fructus vero locationis in casu sunt pure industriales, cum non sit censendum, virum nobilem, et perdivitem velle equum locare, ut docet Less. de just. lib. 3, cap. 12. Quod si dominus equi fuisset vir plebeius, teneretur sane Titius fructus locationis restituere, quia essent pretium usus rei, non mera industria, ut bene docet Sanchez in sum. tom. 1, lib. 2, cap. 23.

MENSE JULII.

CAS. I. — Petrus de nocte absque lumine domum divitis ingreditur ad furandum vas argenteum, sed interim pedibus vasa vitrea, et speculum magni momenti fregit. Qu. An tale damnum teneatur domino compensare?

Resp. affirmative cum Molina tom. 3, disp. 278, Navar. et aliis. Ratio est, quia damnum, quod per talem fractionem sequitur, non est per accidens, sed per se; hujusmodi enim mala ex talibus actionibus sequi

solent, et ut plurimum fit, quod in abscondito furari tentantes pedibus in aliquod offendant, et dominum ultra furtum intentum, per fractionem alicujus rei culpabiliter damnificent; quod totum quilibet rationis capax tenetur prævidere; unde si damnum fuit illatum per se in casu, sane tenetur Petrus illud domino compensare.

CAS. II. — Cum nobilis ruri moraretur, ei nascitur Infans, quem vult in Baptismo nominari *Sfortiam*. At renuit Parochus, dicens, non esse imponendum abluendo unda salutari nomen hominis in Sanctorum catalogum non relati; cui rationi acquiescere nolente infantis Patre, Parochus de facto puerum nomine *Petri* insignivit. Qu. An sit laudandus Parochus?

Resp. affirmative; et ratio est, quia, licet nulla lege universali præceptum sit, ut imponantur nomina Sanctorum, attamen, quia sanctus Pius V. in suo Catechismo p. 1, cap. 2, n° 25, et Paulus V. in suo Rituali *tit. de sacril.* petunt, observari morem multis abhinc sæculis retentum a plerisque Christi fidelibus, ut non nisi sacra nomina darentur recenter baptizatis, quod etiam docet cum aliis Barbosa de Parocho, p. 2, c. 28, et præcipit Synodus Diœcesana, sequitur, Parochum monitis Pontificum, et Doctorum sententiæ inhærendo, laudabiliter se gessisse, et, si egit contra Patris voluntatem, non egit irrationabiliter, quia sic egit cohærenter ad Pontificum, et Doctorum documenta, necnon ad legem Synodalem, ut ex lib. 1, cap. 2, de Baptismo.

CAS. III. — Titius, postquam rem habuit cum Berta, scivit, eam fuisse prius a fratre suo cognitam. Qu. An exponens hoc peccatum simplici Confessario possit ab hoc directe absolvi?

Resp. affirmative cum Sanch. lib. 7, Matrim. disp. 15, num. 9, et cum meo Homob. de Casibus reserv. quarto casu, except. quarta. Ratio est, quia incestus in primo affinitatis gradu, qui est reservatus in hac Diœcesi, est incestus formalis, habens nempe veram malitiam incestus, qualis sane non est incestus Titii, qui solum incestum materialem commisit; ignorabat enim,

et quidem invincibiliter, Bertam fuisse prius a fratre suo cognitam; unde ignorabat invincibiliter, accedere ad affinem in primo gradu, qualis in re erat Berta: si autem hoc ignorabat, jam talis ignorantia tollit ab actu malitiam incestus, et facit, incestum esse pure materialem, non formalem, ut ad reservationem requiritur: quare potest Titius a quolibet simplici Confessario directe absolvi.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Titius, cum plurima damna ob calumniam a Petro illi appositam pati coactus fuerit, deliberate, et advertenter in hæc verba prorupit: Crederem, Deum non esse justum, si Petrum calumniatorem non puniret. Qu. An possit absolvi a simplici Confessario?

Resp. affirmative. Ratio est, quia Titius non est reus blasphemiæ hæreticalis, ut unice ratione reservationis dubitari potest in præsenti; etenim per talia verba non intulit injuriam Deo, vel per modum enunciationis continentis formaliter, aut virtualiter falsitatem contra fidem, ut esset *ad despectum Dei*, vel per modum imperantis, ut *sit miser Deus*, vel per modum irridentis, ut dixerunt Salvatori Judæi: *Vah, qui destruis Templum Dei*, vel per modum optativi, ut *utinam Deus non esset Omnipotens*, quibus modis unice blasphemia hæreticalis contingit; sed solum Titius, talia proferendo, indicavit potius velleitatem de futuro, quam voluntatem negandi Deum; quinimo tantum abest, quod Deum negaverit, quod potius confessus fuerit: illa enim verba *Crederem*, *Deum non esse etc.* faciunt hunc sensum, Crederem, Deum non esse justum, si etc. sed, quia credo, Deum esse justum, vindictam faciet de meo calumniatore: quare non fuit reus blasphemiæ hæreticalis, unde potest a simplici confessario absolvi.

CAS. II. — Petrus, et Berta pauperes matrimonium contraxerunt in facie Ecclesiæ; sed, detecta inter ipsos impotentia absolute perpetua, vellent semper simul

cohabitare sub eodem tecto, ut Frater, et Soror, et titulo paupertatis in eodem lecto cubare, unde consulunt Parochum. Qu. Parochi responsum?

Resp., Parochum teneri respondere, posse quidem cohabitare, si volunt, et periculum absit incontinentiæ, ita ut tanquam Frater, et Soror vitam ducant, ut respondit Pontifex *in cap. laudabilem*, at non posse in eodem lecto cubare, tum quia hoc est prohibitum a Sixto V, per motum proprium anno 1587, cujus Decretum per extensum refert Guttierz, tum quia talis cubatio est ex natura sua periculosissima, et vix unquam caret periculo peccandi saltem per tactus, et amplexus, qui inter ipsos prohibentur.

CAS. III. — Infirmatur ad mortem puer, de quo, licet ad annos discretionis pervenerit, dubitatur, an sufficienter Eucharistiæ Sacramentum ab aliis cibis discernat. Qu. An tali Puero possit, et teneatur Parochus Eucharistiam ministrare?

Resp., cum de Lugo de Eucharist. disp. 15, num. 34 et 45, posse, sed non teneri. Ratio primæ partis est, quia, licet habeatur prohibitio de danda Eucharistia puero incapaci, ex quocumque capite hæc prohibitio oriatur, nullibi tamen habetur prohibitio de danda Eucharistia puero in dubio, an hoc Sacramentum ab aliis cibis discernat, sed solum eadem pro talibus pueris habetur prohibitio, ac circa extremam unctionem; sed pueris, de quibus dubitatur, an sint doli capaces, dari potest extrema unctio, licet sub conditione, ut dari debet in dubio vitæ, vel mortis ex Ritual. Rom. Pauli V. ergo et dari potest Eucharistia puero in casu, urgente mortis articulo. Ratio secundæ partis est, quia, licet nullibi constet prohibitio, in casu tamen non constat, puerum hunc esse comprehensum lege de Viatico sumendo, cum non constet de ejus capacitate: si hoc, jam Parochus non tenetur illi Viaticum ministrare; quia in dubio de obligatione legis non tenetur legem servare. Potest ergo Parochus puero nostro Viaticum ministrare, sed non tenetur.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Berta sexagenaria, cum juventutis tempore nunquam labori, et industriæ pepercit, notabile secundum propriam conditionem lucrum fecit, hac intentione, ne, cum dotem insufficientem habeat pro sui sustentatione, post mortem Mariti mendicare cogeretur. Nunc mortuo Marito, qui, quod sibi superfuit Nepotibus suis testamento reliquit, dubitat, an tale lucrum teneatur hæredibus reddere, vel possit illud sibi retinere. Qu. Dubii solutio?

Resp., posse tale lucrum sibi retinere, si illud fecit ex industria extraordinaria præter operas, et laborem debitum in domus administratione: ita cum Less. Bonac. *de rest. disp.* 2, *quæst.* 10, *p.* 2. Gobat, et communiter. Ratio est, quia bona acquisita modo dicto nulla ratione veniunt computanda inter ea, quæ ad Maritum spectant; si enim ad Uxores spectant, quæ subtrahunt expensis juxta propriam conditionem, ut Juristæ, et Theologi docent, potiori ratione poterit Uxor lucrifacta ex industria modo dicto tuta conscientia retinere. Dixi ex industria extraordinaria præter, etc., quia secus, cum industria, opera, et labor juxta propriam conditionem in domus administratione sint quid debitum Marito ad ferenda onera Matrimonii, ita et lucrum ad Maritum spectaret, sicque ejus hæredibus esset tradendum.

CAS. II. — Titius maledicus adeo graviter de Francisca paupere detraxit, ut Petrus, qui pro illius sustentatione solitus erat eleemosynas elargiri, has deinceps illi non erogaverit. Qu. Ad quid Titius teneatur?

Resp. teneri primo restituere famam, vel per retractationem, si apposuit crimen falsum, et etiam medio juramento reprobando quod dixit, si opus sit, vel illam laudando in eo genere, in quo detraxit, si crimen erat verum, sed occultum, quia ad id tenetur detractor; secundo, teneri compensare damna, quæ Francisca patitur ob privationem eleemosynarum, qui-

bus sustentabatur, et si post famæ restitutionem Petrus nolit in posterum eadem præstare eleemosynæ suffragia. Et ratio est, quia injuste impediens aliquem a consecutione alicujus boni, quod erat consecuturus, tenetur ad restitutionem, licet non quanti valet bonum impeditum, sed solum quanti valere potest spes; at in casu, ut patet, injuste Titius impedivit Franciscam a consecutione eleemosynarum; ergo tenetur restituere, quanti spes Franciscæ valebat. De Lugo, Girib. Homob.

CAS. III. — Cajus sciens, accedentem ad consanguineam conjugis intra primum, vel secundum gradum amittere jus petendi debitum, accessit quidem ad consanguineam suæ Uxoris in secundo gradu, sed ignorans, esse illi ullo modo sanguine conjunctam. Qu. An vere jus ad debitum petendum amiserit?

Resp. negative. Ratio est, quia in textu canonico, ubi taxatur pœna privationis juris petendi debitum incestum committenti cum persona consanguinea Conjugis in primo, vel secundo gradu, habetur hæc particula *scienter*; legitur enim in *cap.* 1. *de eo, qui cognov. consang. Si quis cum siliastra sua scienter fuerit fornicatus, nec a Matre debitum petere, nec filiam unquam habere potest in Uxorem:* sed in casu non verificatur ly *scienter*, quia fœminam, quam Cajus cognovit, nequidem consanguineam Uxoris suæ esse sciebat: ergo dicendum, jus ad debitum petendum Cajum in casu non amisisse. Laym. tract. 2, disp. 1, p. 11.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Rusticus cupiens filiam sibi recenter natam in Civitate baptizari, ut frui possit beneficiis, a quibus non Baptizati Bononiæ excluduntur, unius mensis spatio propter pluvias, et glacies differt ad Ecclesiam Metropolitanam pro Baptismo illam deferre, licet commode, etiam statim ac fuit nata, in propria rurali Parœcia potuerit illi Baptismum procurare. Qu. An Rusticus graviter peccaverit?

Resp. affirmative. Ratio est, quia, cum agatur de Sacramento necessario necessitate medii, ratio dictat: summa diligentia curare parentes debere, ne diu baptisma pueris differatur, ita ut diuturna dilatio sit peccatum lethale, ut bene docet cum communi Suar. disput. 51, sect 2, sed in casu habetur ista diuturna dilatio, quæ etiam, omissis variis DD. placitis, quæ videri possunt apud meum Giribaldum de Raptif. cap. 3, num, 18, clare colligitur ex Synodo Diœcesana lib. 2, cap. 2, de Baptis. ubi habetur. *Nefas sit ultra nonum diem Baptismum infantibus differre*; ergo Rusticus in casu graviter peccavit, nedum differendo ultra nonum diem, sed etiam per mensem; quinimo posset affici pœna excommunicationis; quæ in eodem capite Synodali contra parentes ultra nonum diem sic differentes comminatur; quod est clarum indicium, graviter peccasse nostrum Rusticum. Neque excusari potest spe fruendi beneficiis, a quibus excluduntur non baptizati Bononiæ: quia parentibus magis cordi esse debet salus spiritualis infantis, quam commodum temporale, quod ad summum posset esse motivum differendi per aliquot dies, non vero per mensem, propter pericula, quibus Rusticorum infantes subjiciuntur, tum propter parentum miseriam, tum propter Matris inertiam, ratione cujus hyemali tempore sæpius Rusticorum infantes suffocantur.

CAS. II. — Petrus confitetur, se dixisse *in contemptum Dei, Bacchum*.Qu. An simplex Confessarius possit illum absolvere?

Resp. Si ex interrogationibus agnoscat Confessarius, pœnitentem addidisse ly *Bacchum*, ne Deum inhonoraret, potest illum absolvere, quia talis loquendi modus esset tantum blasphemia hæreticalis materialis, quæ non est reservata; si vero comprehendat, talia verba protulisse advertenter, et malitiose addidisse ly *Bacchum* tantum ad vitandas Ecclesiæ pœnas contra hæreticaliter blasphemantes, non vero, ne Deum inhonoraret, non potest illum absolvere, quia sic hæreticalem blasphemiam externam, et formalem, sicque reservatam protulisset; fuisset enim dictum contumeliosum, aufe-

rendo a Deo omnipotentiam, quæ illi necessario convenit.

CAS. III. — Franciscus, ad sibi compensandum quod et juste ei debebatur, et alia via habere non poterat, quam clam, quod suum erat, accipiendo, violenter domum debitoris aperuit, et, extracto, quod ad sui compensationem satis erat, ostium reliquit apertum, unde latrones ingressi plura inde surripuere. Qu. An teneatur damnum per latrones illatum reparare?

Resp. negative. Ratio est, quia solum causa proxima damni, et per se, qualis illa est, quæ per se ad talis effectus productionem ordinatur, obligatur ad restitutionem, ut docent communiter DD. cum Less. de justit. at aperitio januæ non ordinatur per se ad damnum inferendum per latrones, non enim ex aperitione januæ per se, et ut plurimum sequitur furtum; ergo Franciscus non fuit causa proxima, et per se talis damni, sicque ad nihil tenetur. Quod a fortiori certissimum erit, si Franciscus unice intentus ad sibi compensandum inadvertenter ostium domus reliquit apertum.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Confessarius, audito in Confessione incestu affinitatis in primo gradu, Pœnitenti promisit per Epistolam, se petiturum a Superiore facultatem pro directa absolutione; deinde missa pro facultate Epistola, antequam accipiat Responsum illum directe absolvit. Qu. An vere Pœnitens fuerit directe absolutus?

Resp. negat. Ratio est, quia, cum concessio talis facultatis dependeat a voluntate Superioris, qui, licet debeat esse facilis ad illam, et similes concedendas, et solitus sit concedere, tamen potest ex aliqua justa causa sibi nota talem facultatem denegare; quoties enim evenit, ut, quod una, et altera vice conceditur, alia, et alia denegetur? sequitur, Confessarium neque posse esse moraliter certum de benigna Ordinarii concessione: quare sic absolvendo, quantum est in se, invalide ab-

solveret quoad ly *directe*; et quemadmodum Sacerdos, cui esset expirata facultas confessiones audiendi, si hoc populo constaret, ita ut non esset error communis, invalide absolveret absolute ; si, misso nuntio ad petendam facultatis confirmationem, seu prorogationem, statim confessiones audiret, quia non esset moraliter certus, nec esse posset de facultatis prorogatione, ita in casu invalide absolveret quoad ly directe. Puto, sententiam hanc, stando rigori terminorum, esse communem.

CAS. II. — Titio manifestanti in confessione incestum cum Sorore Uxoris suæ, imponit Parochus, ut se præsentet Superiori pro directa absolutione, et interim abstineat a petitione debiti conjugalis : quo audito, respondet Titius, ignorasse per tale peccatum se amittere jus petendi; at perstitit Parochus in sua opinione, et docuit Titium; hoc non obstante, tale jus amisisse. Qu. An verum docuerit ?

Resp., probabilius loquendo, falsum docuisse. Ratio est, quia secundum communissimam sententiam privatio juris petendi debitum censetur pœna, et inter pœnas contra incestuosos inflictas enumeratur, unde excommunicationi, non irregularitati comparatur ; et similiter secundum communissimam sententiam ad incurrendam pœnam excusat ignorantia pœnæ, maxime si invincibilis sit sed ; Titius in casu ignorabat, tali incestui annexam esse talem pœnam, et quidem invincibiliter, ut facile credi potest in Rusticis; ergo probabilius non amisit tale jus; ergo Parochus, probabilius loquendo, falsum docuit. Dixi probabilius, quia non desunt DD. quamvis contra praxim, sententiæ Parochi faventes, oppositum docendo, ut Sanchez de matr. lib. dist. 52, num. 50.

CAS. III. — Petrus dedit mandatum Cajo, ut furaretur centum Sempronio, prævidens, Cajum, data commoditate, plusquam centum fuisse accepturum. Furatus est Cajus nedum centum, sed bis centum, iliaque consumpsit, et impotens est ad restitutionem. Dubitat modo Petrus, an teneatur restituere bis centum. Qu. Dubii solutio ?

Resp., teneri solum ad centum. Ratio est, quia non tenetur in casu, nisi ut mandans, ut patet : sed talis non est, nisi in ordine ad centum, alia enim non est furatus Cajus in gratiam Petri, sed nomine proprio, excedendo jussa mandantis : ergo non tenetur, nisi ad centum. Neque obstat, Petrum prævidisse, fore a Cajo furtum in majori quantitate patrandum, quia per talem prævisionem non est causa damni relate ad Sempronium, sed solum per mandatum; quod cum non fuerit, nisi ad centum, ad solum centum tenetur ; secus, si mandans Francisco prima vice occidere Sergium prævidisset, ut potuisset prævidere, post primum homicidium fuisse Franciscum alia, et alia homicidia patraturum, teneretur ad damnum nedum per mortem Sergii secutum, sed etiam ad ea, quæ sequerentur per mortem cujuscumque a Francisco occisi, dato, quod nullus illatum damnum per injustum homicidium a Francisco patratum repararet, quod sane nemo dicet, ita in casu : ita cum Aragonio, de just. qui plures citat contra paucos.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Titius volenti furare decem, suasit, ut furaretur viginti. Qu. Ad quid teneatur ?

Resp., teneri solum ad decem. Ratio est, quia Titius per talem suasionem non fuit causa prioris volitionis, qua alter furatus est decem, sed solum posterioris volitionis, qua furatus est alia decem ; erat enim Titius jam determinatus ad decem furandum ; unde in ordine ad illa nullum influxum præstitit Titius, bene vero in ordine ad alia decem : unde decem solum restituere tenetur. Ita cum Medina, Soto *de restitutione*.

CAS. II. — Parochus extra tempus Paschale solum in prima Dominica cujuslibet Mensis accedentium ad Ecclesiam Confessiones vult audire. Qu. An satis sit pro munere Parochi ?

Resp., regulariter loquendo, satis esse, eo quia, licet Pastoris officium obliget ad Sacramenta ovibus suis

ministranda, nedum quando adest obligatio in subdito illa recipiendi, sed etiam quoties subditi rationabiliter petunt, cum non solum illorum necessati, sed etiam utilitati ex justitia consulere teneatur; huic tamen obligationi regulariter satisfacit Parochus, si nedum tempore Paschali, sed etiam omnibus primis Dominicis Mensis cujuslibet eorum audiat confessiones; regulariter enim loquendo, si intra Mensem confessionem petant, rationabiliter petunt, secus vero, si sæpius; ergo, regulariter loquendo, Parochus noster satisfacit pro munere suo. Dixi regulariter, quia, si intra Mensem festum solemne occurrat, puta Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. V. aut hujusmodi, vel specialis Indulgentia lucranda, vel si detegeret subditum Sacramento indigere, vel si una, vel altera vice quis illum pro confessione rogaret, tunc rationabiliter subditi Sacramenta peterent, et Parochus ex justitia teneretur taliter petentibus illa ministrare, et si secus ageret, muneri suo non satisfaceret : ita cum Bonac. q. 7. p. 4. § 2. n. 23.

CAS. III. — Franciscus cum pluries oves ad publica pascua duxisset, quadam die vicinum agrum ingressæ, segetes et manducarunt, et conculcarunt cum notabili damno Domini. Qu. An teneatur ad damnum ?

Resp. negat. Ratio est, quia ex damno casuali nemo in foro conscientiæ restituere tenetur, ut generaliter docent Theologi; sed in casu res ita se habet; etenim, cum pluries ad talia pascua Franciscus oves duxisset, et quidem licite, nec alias id evenisset, nec ex ordinarie contingentibus debuisset tale damnum prævidere, sequitur, omissionem diligentiæ in non custodiendis ovibus, quæ damnum intulerunt, non fuisse culpam theologicam saltem latam, bene vero damnum casuale esse reputandum, sicque ad illud Franciscum non teneri. Ita communiter.

ANNO MDCCXXXV.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Titius puellam suæ conditionis sub spe futuri matrimonii defloravit; modo volens eam ducere, obstat illius Pater, damni per defloralionem puellæ illati compensationem prætendens, ut alteri sibi bene viso filiam nuptui tradat. Qu. Utrum justa sit Patris prætensio?

Resp. negat. Ratio est, quia Titius ex vi contractus tenetur puellam ducere, cum ad hanc ducendam, non vero dotandam se obligaverit, hocque puella acceptaverit; unde, si hanc ducere paratus sit, et maxime cum ejusdem sit conditionis, abunde satisfacit : eo modo, quo, si Paulus vendat domum Petro cum pacto, ut intra mensem pretium solvat, et sic intuitu talis pecuniæ sibi debitæ ineat cum Francisco contractum societatis, si Petrus paratus sit tempore præfixo pretium solvere, et Paulus nolit acceptare, non tenetur ad damnum, quod Paulus patcretur, sed esset ei imputandum, quia Petrus præcise tenetur ad pretium solvendum intra mensem, non ad aliud Pauli damnum reparandum; ita Titius tenetur ad matrimonium, non ad compensandum pecunia damnum, quod puellæ per defloralionem sequitur, quia contractus fuit de matrimonio ineundo. Irrationabilis ergo, et injusta Patris prætensio. Ita communiter cum Mazzuch. Disput. 2. cap. 23. num. 59.

CAS. II. — Petrus reus tum perfectæ bestialitatis, tum incestus in primo affinitatis gradu, petiit Superiorem ad facultatem obtinendam, ut a proprio Parocho ab utroque casu absolvatur : at petiit quidem, et obtinuit facultatem circa incestum, nullum vero ex oblivione de bestialitate verbum fecit. Qu. An Parochus, hoc audito, possit directe Petrum a bestialitate absolvere?

Resp. negative. Ratio est, quia, licet facultas pro reservatis a Superiore obtenta extendatur ad similia pec-

cata post obtentam facultatem commissa, ut docet Bonac. de leg. disp. 1, q. 3. p. 7, et similiter facultas indefinite obtenta pro reservatis extendatur ad omnia reservata communia, tamen facultas obtenta pro tali determinato reservato expresso non extenditur ad reservata diversæ speciei, eo quia licentia intelligenda est juxta verba petentis. In casu licentia expresse petita fuit pro incestu : ergo non extenditur ad bestialitatem, sicque Parochus non potest ab hac intuitu facultatis obtentæ pœnitentem directe absolvere. Neque obstat, posse directe absolvere pœnitentem a reservatis, si hic habens reservata confessionem fecit apud Superiorem, vel apud habentem facultatem in reservata, licet ex oblivione, non tamen ex malitia, illi reservata non exposuit in confessione ; et hoc, titulo præsentationis, et oblivionis reservatorum : ita et in casu, cum idem militet motivum. Non obstat, inquam, quia in tali casu Superior, absolvendo pœnitentem, intendit illum absolvere, quantum potest, et per talem Superioris intentionem, posita pœnitentis oblivione, tollitur reservatio : at in casu petitio facultatis pro reservato determinato expresso Superioris intentionem restringit ad illud tale reservatum, cum licentia non extendatur ultra verba petentis; ideo in hoc casu non posset Parochus directe pœnitentem a bestialitate absolvere. Ita cum Lugo de pœnit. disp. 20, sect. 8, num. 122.

CAS. III. — Sacerdos, postquam fœtam reddiderit Bertam, et fœtu animato ei potionem tradiderit ad abortiendum, hinc, effectu secuto, factus sit irregularis, recursum habuit ad sacram Pœnitentiariam pro dispensatione super talem irregularitatem his verbis : *Sacerdos factus irregularis ob procurationem fœtus animati, effectu secuto, petit facultatem, ut a proprio Parocho super talem irregularitem dispensetur.* Obtenta tali facultate, Parochus executor, re ex integro audita, judicat, talem facultatem esse subreptitiam. Qu. An rectum sit talis Parochi judicium ?

Resp. affirmative. Ratio est, quia pro dispensatione super irregularitate ex abortu supplicans debet expri-

mere, si fœtus erat ex se genitus, et hoc ex stilo Curiæ ; quia in hoc casu major ponitur difficultas in dispensando, ut testatur Alphonsus de Leone : at Sacerdos hoc non expressit in supplicatione, ut patet, et vere fœtus erat ex se genitus, ut ex terminis Casus : ergo subreptitia fuit facultas obtenta.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Titius inivit sponsalia cum Berta sub hac conditione, si Pater meus intra annum consenserit; at Pater, antequam fuerit de consensu requisitus, obiit. Qu. An talia sponsalia pro foro conscientiæ sint valida?

Resp. affirmative. Ratio est, quia per mortem Patris fuit purificata conditio; finis enim talem apponendi conditionem fuit, ne Genitor ægre ferret tale matrimonium, eique displiceret; at per mortem Patris totaliter cessat talis conditionis finis, unde conditio habetur ut purificata : sicuti ergo, si Pater consensisset, valida fuissent talia sponsalia, ita et in casu. Sanch. lib. 5 de mat. disp. 7, num. 19.

CAS. II. — Confessarius, audito in confessione peccato cum cognata spirituali, negative dubitat, an in Liberculo, in quo descriptam habet facultatem a quibusdam reservatis absolvendi, descriptum sit et tale peccatum : attamen, tali dubio non obstante, directe pœnitentem absolvit. Qu. An bene ?

Resp. negative. Ratio est, quia Confessarius vere esset dubius de facultate in certo reservatum, et possessio tota esset pro reservato, quod ei certo constat esse reservatum ; unde ; sic directe absolvendo, exponeret se periculo invalidam absolutionem impendendi. Belloch. de cas. reserv. p. 1, q. 2. num. 11, Mazzuch. disp. 1, q. 3, dis. 21, num. 68.

CAS. III. — Parochus venereis culpis assueto pro pœnitentia injunxit, matrimonium contrahere. Qu. An hujusmodi pœnitentiæ genus illi potuerit imponere ?

Resp. negative. Ratio est, quia, licet optimum esset ei consulere matrimonium, juxta illud Apostoli : *Melius est nubere, quam uri;* tamen non est opus a Confessario imponendum tum propter immensum onus, quod secum affert tale Sacramentum, ut ait Fagundez in lib. q. 2, Ecclesiæ præcept. c. 5, num. 4, tum propter maximam libertatem, quam Matrimonium requirit, quicquid in contrarium dicat Diana cum Leandro.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Parochus hujus Diœcesis absque licentia Ordinarii in matrimonium conjunxit cum Petro Bertam, quæ annos vix tredecim nata ex Imolensi Diœcesi ad suam se contulit Paroeciam cum suis Genitoribus, ibique per annos decem, et ultra habitavit cum iisdem, et aliis suis Parochianis fide dignis, qui illum de Bertæ libertate, etiam medio juramento, certum fecerunt. Qu. An bene se gesserit?

Resp., male se gessisse. Ratio est, quia in Instructione S. C. Univ. Inquis. præcipitur tum, quod, si contrahere volentes sint externi, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum doceant de eorum libero statu, tum, quod Ordinarii præcipiant omnibus, et singulis Parochis in eorum Diœcesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus Vicario Generali prius teneantur fidem authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerint examinati Testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium, etc. Si autem hoc aperte præcipitur, contra talem Instructionem, ut patet, egit Parochus, conjungendo in hac Diœcesi Imolensi Bertam cum Petro absque proprii Ordinarii licentia : ergo male egit. Neque Parocho prodesse potest, Bertam se contulisse in suam Paroeciam cum suis Genitoribus, ibique per annos decem, et ultra cum iisdem habitasse, et de ejus libertate per plures Parochianos fide dignos, etiam medio juramento, ei con-

stitisse. Non, inquam, prodesse potest, quia, cum Berta discesserit ab Imolensi Diœcesi in ætate nubili, cum esset annos 13, nata, de hac urget Instructio S. C. adeo ut requirantur tum litteræ Ordinarii Imolensis, quibus doceat de ejus libertate, tum licentia authentica Ordinarii hujus Diœcesis, contra quam Instructionem cum egerit Parochus, male se gessit.

CAS. II. — Paulus exponit Confessario, commisisse quidem incestum cum Nepte sibi consanguinea, sed dubitare, utrum tale peccatum alias fuerit confessus apud Confessarium privilegiatum. Qu. An, stante tali dubio, possit recte per talem Confessarium absolvi?

Resp. negative. Ratio est, quia possessio non stat pro Paulo, sed pro reservatione, in quam certo ei constat incidisse, cum ei certo constet, incestum commisisse in secundo consanguinitatis gradu, qualis est copula cum Nepte sibi consanguinea, qui incestus in hac Diœcesi reservatur; unde tale peccatum Confessario privilegiato ad directam absolutionem obtinendam confiteri tenetur: quemadmodum certus de emissione voti, et dubius de impletione, tenetur votum implere, ut communiter docent DD. de voto, quia possessio stat pro voto. Ita propter eamdem rationem certus de reservato commisso, et dubius de confessione facta apud Confessarium privilegiatum, tenetur apud similem Confessarium illud confiteri. Mazzuch. de reserv. disp. 1, q. 3, disp. 21, num. 73.

CAS. III.— Franciscus pluribus gravatus pœnitentiis alias sibi impositis sciens die festo Titularis Ecclesiæ Parochialis concessam esse Plenariam Indulgentiam omnibus, qui rite confessi, et sacra Eucharistia refecti talem Ecclesiam visitaverint, etc. omnem ad eam lucrandam adhibuit diligentiam, putans, sic ab onere tales pœnitentias implendi esse absolutum. Qu. An verum senserit?

Resp. in praxi male sensisse. Ratio est, quia, licet speculative loquendo, et maxime, si sermo sit de pœnitentiis mere satisfactoriis, et non simul medicinalibus,

per consecutionem Indulgentiæ Plenariæ consequatur etiam quis remissionem cujuscumque pœnæ debitæ peccatis, hoc enim sonat Indulgentia Plenaria, et sic amplius ad Pœnitentiam a Confessario injunctam exequendam non videatur teneri, cum cesset titulus satisfactionis; tamen in praxi adhuc urget obligatio injunctam satisfactionem adimplendi, tum quia in praxi nimis incertum est, an quis plenariam fuerit lucratus indulgentiam, tum quia ordinarie pœnitentia est etiam medicinalis, et a relapsu præservativa, tum quia Pontifices in Bullis Jubilæi præcribere solent Confessariis, ut congruas, et salutares pœnitentias confitentibus imponant. Quæ omnia probant, in praxi explendam esse a pœnitente satisfactionem, etiam in casu, quo quis Indulgentiam Plenariam lucrari conatus fuerit. Ita cum meo Girib. de pœnit. tract. 1., c. 12.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Berta affinis Petro per copulam illicitam habitam cum Petri fratre, cum non nisi cum periculo gravis infamiæ, et notabilis damni, attentis particularibus circumstantiis, posset a nuptiis resilire, illas contraxit cum vera intentione matrimonium ineundi, licet nullum esset tale matrimonium. Qu. An hoc fuerit simulare Sacramentum cum peccato?

Resp., *negative*. Ratio est, quia simulare Sacramentum cum peccato est ponere materiam, ei applicando formam absque intentione conficiendi Sacramentum; quia eo tunc irrogatur injuria Sacramento, sicuti injuriam irrogaret Deo, qui pejeraret sine animo jurandi: in hoc sensu procedit propositio 29, ab Innocent. XI, damnata, ita ut neque urgens metus gravis sit causa justa Sacramentorum administrationem simulandi. At in casu nulla irrogata fuit injuria Sacramento matrimonii, cum propter impedimentum dirimens neque posita sit materia talis Sacramenti, cui forma applicari posset: unde non simulavit Sacramentum cum peccato, adeo ut sacrilegium commiserit, ut tenet Viva in explicatione

citatæ propositionis, et La Croix lib. 6, part. 1, num. 162, ubi testatur, hanc sententiam esse communem. Ad summum dici potest, Bertam simulasse contractum.

CAS. II. — Conjuges extra vas de communi consensu se polluerunt. Qu. Quas circumstantias debeant exprimere pro integritate Confessionis?

Resp., debere exprimere nedum malitiam talis peccati contra naturam, sed etiam circumstantiam conjugii, et quidem conjugii determinati, ita ut debeant in confessione exponere commisisse peccatum pollutionis *cum conjuge:* et ratio est, quia tale peccatum nedum est mollities contra naturam, sed induit speciem adulterii, cum neuter Conjux servet alteri corpus suum caste, quod ad bonum fidei pertinet; nec solum sit adulterium cum aliena Conjuge peccare, sed etiam omne quod non habet potestatem conjugii: et hac ratione exprimenda est circumstantia conjugii. Quia postea per tale peccatum nulla habita fuit injustitia adversus Conjugem, cum vir, et Uxor de communi consensu tale peccatum commiserint, debent exprimere etiam circumstantiam conjugii determinati, quia secus intelligeretur injustitia adversus Conjugem. Ita docent Dicastil. lib. 3, de Sacram. tract. 10, dub. 7, num, 82. Diana tom. 2, tract. 6, resolut. 186.

CAS. III. — Titius impositam a Confessario pœnitentiam bis in mense per annum jejunandi animo adimplendi acceptavit; sed, quia ob fragilitatem, et in jejunando difficultatem jam sex elapsis mensibus illam non adimplevit, petiit alium Confessarium, illumque, ut in aliam pœnitentiam permutaret, rogavit, ne amplius eidem periculo eam violandi sit expositus. Qu. An secundus Confessarius possit eam permutare, non audita ex integro, aut ex parte priori confessione?

Resp., *affirmative.* Ratio est, quia secundus Confessarius non judicaret, causa absolute incognita, ut asserunt DD. contrarii: eo quia licet non cognosceret causam clare, et distincte, ut requireretur, si deberet judicium ferre de justitia, qua prima pœnitentia imposita fuit,

illam tamen cognosceret, quantum sufficeret ad pœnitentiam permutandam titulo difficultatis ad illam implendam, ut in casu : etenim ex qualitate pœnitentiæ in prima confessione impositæ non posset non cognoscere aliquo modo causam, propter quam fuit imposita ; ita, ut si pœnitentia imposita fuerit gravis, et diuturna, cognosceret causam fuisse magni momenti tum intensive, tum extensive consideratam, si gravis, sed brevis causam fuisse gravem solum intensive ; si mediocris, fuisse mediocrem ; quod sufficeret ad proportionem servandam inter pœnitentiam, et peccatum. et sic ad pœnitentiam permutandam absque nova, clara, et distincta omnium peccatorum, confessione : unde etiam sine hac posset secundus Confessarius in bonum pœnitentis priorem pœnitentiam permutare. Ita cum meo Girib. de Pœnitentia tract. 7. cap. 12, dub, 9, num. 80, qui plures citat Doctores.

MENSE MAII.

CAS. I. — Titius tres habens filias ex prima uxore, cum experientia viderit, bis secundam uxorem in partu expertam esse periculum mortis, tum ut liberet uxorem a novo mortis periculo ob affectum ad uxorem, tum ne filiæ necessaria, et utili, qua gaudent, custodia per mortem Novercæ priventur, vellet uxori suæ tradere medicamen sterilitatis causativum. Qu. An licite in talibus circumstantiis hoc possit præstare ?

Resp. negative. Ratio est, quia nullo bono fine cohonestari potest sumptio potionis, qua prolis conceptio impediatur ; hanc enim, quæ nata est sequi ex copula carnali, impedire, est contra naturam, et naturalem generationis finem ; parumque, et solum secundum magis, et minus distaret a seminis effusione extra vas, aut ab homicidio, juxta illud Butri : *Sunt paria occidere, et nasci impedire ;* quare, sicuti in nullo casu licita est mollities, aut fœtum occidere, ita similiter nunquam licebit in fœmina sterilitatem procurare ; quod etiam prohibuit Sixtus V, in bulla de Abortu : conse-

quenter neque in casu, ne filiæ Titii optima priventur Novercæ custodia neque ut ejus uxor a mortis periculo in liberis in lucem edendis liberetur. Est communis contra Torreblancam.

CAS. II. — Petrus, contractis sponsalibus cum Berta sub conditione, si intra sex menses centum habuerit in dotem, nondum elapso præfinito tempore, contraxit sponsalia absoluta cum Francisca Bertæ sorore : at, mortua Francisca, matrimonium de præsenti cum Berta contraxit. Qu. An sit validum?

. *Resp. affirmative.* Ratio est, quia secunda sponsalia absoluta contracta cum Francisca sunt invalida, cum non possint executioni mandari, nisi cum peccato : etenim Petrus nedum peccavit, hæc contrahendo, non expectata conditionis purificatione intra tempus determinatum, ut in conscientia expectare debebat, sed etiam peccasset, si matrimonium cum Francisca post talia sponsalia, licet absoluta, contraxisset, non expectata conditionis purificatione, quia tali tempore obligatio expectandi purificationis eventum non fuisset extincta per sponsalia secunda absoluta, specialiter, quia talia sponsalia non fuerunt contractus ultimus, et indissolubilis, sed dissolubilis, et per modum dispositionis ad Matrimonium : si autem viguisset tali tempore etiam post secunda sponsalia absoluta obligatio expectandi purificationis eventum, jam secunda obligatio fuit nulla, cum non autem hoc aperte præcipitur, contra talem Instructionem, ut patet, egit Parochus, conjungendo in hac Diœcesi Bertam ex Diœcesi Imolensi, cum potuisset non nisi cum peccato exequi, eo modo, quo nulla communiter dicitur obligatio matrimonium contrahendi cum dedecore familiæ, quia esset obligatio ad peccandum, cum tale matrimonium absque peccato non posset contrahi, si secunda obligatio fuit nulla, nulla etiam fuerunt secunda sponsalia absoluta, sicque matrimonium cum Berta contractum fuisset validum, cum non obstaret publicæ honestatis impedimentum ex sponsalibus ortum, utpote quia solum ex sponsalibus validis oriatur. Ita cum La

Croix, lib. 6, part. 3, num. 8, clarius cum Palao ab ipso citato.

CAS. III. — Confessarius juveni venereis assueto ter in hebdomada quindecim Pater, et Ave per annum, extensis brachiis, recitare imposuit. Talem pœnitentiam juvenis acceptavit quidem, sed non adimplevit : quia tamen, Deo favente, a prava consuetudine recessit, ad illam adimplendam putat non teneri. Qu. An bene sentiat?

Resp. negative. Ratio est, quia talis pœnitentia nedum fuit medicinalis, sed etiam satisfactoria, quod colligitur ex quo sit tota pœnitentia juveni imposita ; quare, licet ut medicinalis non esset amplius obligatoria, juxta illud : *Medicina non est opus valentibus, sed male se habentibus :* tamen ut satisfactoria pro peccatis est adhuc obligatoria, ne pœnitentiæ Sacramentum parte careat integrali : quare, quod juvenis sit a prava consuetudine emendatus, sufficit quidem, ut Confessarius talem ei minuere possit pœnitentiam, non tamen, ut sit absolute ab onere satisfaciendi exemptus. Quod, si quis non jejunavit in Quadragesima, aut aliis diebus ab Ecclesia præscriptis, non amplius tenetur jejunare, hoc est, quia Ecclesia in diebus jejunii de præcepto decernit diem pro jejunio : at Confessarius imponens pœnitentiam per annum, præcipit talem pœnitentiam ad satisfaciendum pro peccatis, et ut partem integralem Sacramenti ; unde, etiam elapso tempore præfixo, in rigore præstare debet juvenis, de quo in casu, quod anno elapso noluit præstare. Ita Salmat. et Gobat.

MENSE JUNII.

CAS. I.—Titius ob adulterium uxoris ex Judicis sententia fecit divortium ; modo, cum et ipse adulterium, licet secreto, commiserit, dubitat, an in conscientia teneatur uxori reconciliari, illamque tanquam uxorem habere. Qu. Quid dicendum?

Resp. affirmative. Ratio est, quia in casu habentur

paria delicta, cum uterque conjux alteri per adulterium fidem fregerit, unde mutua compensatio orta est. Neque obstat, delictum uxoris fuisse publicum, illud viri occultum, quia hoc solum probat, delictum uxoris fuisse sufficiens ad petendum divortium per sententiam Judicis, non sic delictum viri; non vero tollit, quin in conscientia delicta sint paria : unde, si vir publicum commisisset adulterium post divortium, teneretur consortem repetere, et ad illam redire juridice compelli deberet, ut colligitur cap. ex. lit. de divortiis, et tenent communiter DD. teste Girib. de matrim. cap. 20, tract. 10, dub. 2, num. 12, ita, quia occultum commisit adulterium, in conscientia ex se tenetur uxori reconciliari, illamque ut uxorem habere.

CAS. II. — Bertæ ex illicito concubitu fœtæ Amasius, ipsa inscia, potionem tradidit abortum fœtus animati causativam; at pœnitentia ductus illam monuit de potione, et facile, si voluisset, recursum habendo ad Medicos, potuisset abortum impedire, sed noluit. Qu. An Berta inciderit in casum reservatum ?

Resp. negative. Ratio est, quia non incidit vel in excommunicationem a Sixto V latam contra abortum procurantes, quæ adhuc viget post Bullam moderatoriam Gregorii XIV si fœtus sit animatus, a quo tamen virtute Bullæ Gregorii potest Ordinarius absolvere, aut alter Confessarius ex speciali delegatione ab ipso obtenta, vel in reservationem Ordinarii de homicidio voluntario. Non incidit in excommunicationem Papalem, quia lata est contra procurantes abortum fœtus animati, quem non procuravit Berta, cum studiose non quæsiverit sive per se, sive per alium, ut fœtus immature ex ejus utero ejiceretur, ut requiritur ad abortum procurandum, bene vero abortum permiserit, mere negative se habendo, unde non incidit in reservationem Papalem, ut docet cum communi Mazzuch. de reserv. disput. 2, cap. 5, quæst. 5, num. 40. neque incidit in reservationem Ordinarii, quia in hanc incidunt solum, qui dolo, malo animo, et studiose aliquem illicite occidunt, aut consulunt, mandant, auxilium, aut favorem præstant; quæ

omnia positivum concursum, aut physicum aut moralem, important, qualem certe non præstitit Berta, quæ mere negative se habuit : quare peccavit quidem graviter, quia ex terminis casus abortum poterat, et tenebatur impedire; at in nullam incidit reservationem.

CAS. III. — Petrus, fracta Capsula Confessionarii in Ecclesia existentis, in qua Capellanus solet Breviarium, aliosque Libros pro Confessionibus audiendis utiles asservare, furatus est tum Breviarium, tum alios Libros. Qu. An, data, et admissa sententia negante, sufficere ad sacrilegium præcise furari rem in Ecclesia, adhuc Petrus sacrilegium commiserit ?

Resp. negative. Ratio est, quia in sententia negante, etc. ad hoc, ut furtum sit sacrilegium ratione loci sacri, ut hic unice dubitatur, requiritur, quod sit de rebus sub jure Ecclesiæ, quia vel illi traditæ sunt ad custodiendum, vel in pignus datæ, vel alio simili modo in Ecclesia depositæ : at ita non se habent in Capsula Confessionarii Breviarium, aliique Libri, quia hæc omnia per accidens sunt in Ecclesia, nec aliquo modo sunt sub jure Ecclesiæ, sed se habent sicuti sellæ, quas pro sui commoditate mittere solent Nobiles ad Ecclesiam : unde, quemadmodum in hac sententia, qui tales sellas in Ecclesia existentes furaretur, non committeret sacrilegium, ut inter alios docet Diana, Girib. de circumst. peccat. dub. 4. Ita nec Petrum per tale furtum ratione loci sacrilegium commisisse dicendum est.

MENSE JULII.

CAS. I. — Mulier, quæ nulliter matrimonium contraxerat ob affinitatem ex copula illicita, monita a Confessario ne debitum redderet, donec, obtenta a sacra Pœnitentiaria dispensatione, matrimonium revalidaretur, cum quadam die non valeret viri importunitatem vincere, ei cum juramento asseruit nullitatem matrimonii, utpote cum prædicto impedimento contracti ; at nolens vir quiescere, adhuc debitum petit. Qu. An adhuc licite potuerit debitum petere ?

Resp. affirmative. Ratio est, quia licet mulier sciens nullitatem matrimonii non possit reddere debitum, Vir tamen adhuc retinet jus, non quidem reale, cum matrimonium in re sit nullum, bene vero putatum ad debitum exigendum: etenim Vir, regulariter loquendo, non tenetur credere Fœminæ asserenti, etiam cum juramento, contraxisse matrimonium cum impedimento dirimente orto ex copula illicita, sicuti regulariter non tenetur filius credere matri alleganti ipsum esse spurium: unde si non tenetur filius credere, deposito dubio, quod ex tali jurata confessione oriri posset de matrimonii nullitate, posset licite debitum petere, licet mulier denegare teneretur. Quod si fœmina gravia, et clara adduceret indicia ad probandum impedimentum, tunc vir ante debiti petitionem teneretur diligentiam adhibere, nec ante istam licite posset debitum petere. Ita cum Diana, tom. 2, tract. 6, resol. 175.

CAS. II. — Berta, vix tribus elapsis horis ab Eucharistiæ sumptione, adulterium commisit. Qu. An teneatur talem circumstantiam in confessione aperire?

Resp. negative. Ratio est, quia licet deberet talem circumstantiam exprimere, si immediate post Sacramenti sumptionem peccasset, cum eo tunc gravissimam commisisset irreverentiam contra Eucharistiæ Sacramentum, non sic, peccando tribus elapsis horis ab Eucharistiæ sumptione; cessavit enim per tale tempus intermedium talis irreverentiæ motivum, ni velimus dicere, durare ad arbitrium: quare, cessante motivo irreverentiæ, nulla esset talem circumstantiam exprimendi necessitas, quæ unice ex tali capite oriri potest. Ita Leand. de Eucharistia.

CAS. III. — Titius bona fide Bovem emit, quem majori pretio vendidit Paulo: at, cum sciverit Titius, furatum fuisse Bovem, et dominum esse Franciscum, dubitat, an teneatur Francisco domino illud plus, quod a Paulo reportavit, restituere. Qu. Quid dicendum?

Resp., non teneri illud plus Francisco restituere, supposito tamen, quod Bos non sit factus intrinsece me-

lior, puta, si adolevisset, sed idem sit absque intrinseca mutatione. Ratio est, quia est fructus industriæ Titii, non fructus Bovis, cujus rei signum est, quod, si Titius iterum eumdem Bovem emisset a Paulo pretio minori, et illum Francisco vero domino restituisset, dominum indemnem servasset, cum nullam in re sua læsionem passus fuisset; si autem illum indemnem servasset, illud plus non ad dominum Bovis, sed ad Titium, ut fructus industriæ spectasset. Ita in casu dicendum est, esse illud plus industriæ fructum, sicque ad illud restituendum non teneri. Ita cum Lugo de just. disp. 16, sect. 1, num. 20, contra Lessium.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Sacerdos apud Judicem laicum cum protestatione etc. Sempronium de gravissimo furto in domo Patrui sui patrato de illius mandato accusavit, unde Sempronius fuit ad mortem damnatus. Qu. An talis Sacerdos sit irregularis?

Resp. probabilius negative. Ratio est, quia in cap. *Prælati* de homicid. in 6, permittitur Clericis, conqueri coram Judice de malefactoribus suis, ne laici scientes, Clericos non posse absque irregularitatis nota querelam coram Judice deponere, audaciores fiant ad illis injurias inferendas; damnificans autem graviter Patruum Clerici ob sanguinis conjunctionem est moraliter Clerici malefactor; cum titulo propinquitatis Patruus, et Nepos unum moraliter in rebus temporalibus computentur, adeo ut damnum uni illatum in alium redundet: quare Sacerdos noster probabilius factus non est irregularis. Dico solum probabilius, quia Textus expresse loquitur solum de malefactoribus suis. Ita Diana, tom. 5, tract. 5, resolut. 82.

CAS. II. — Confessarius audiens Cajum exponentem, rem habuisse cum Uxore fratris sui, illum interrogavit an copula fuerit completa; et licet ex ejus responsionibus cognoverit, non nisi dubitative de complemento co-

pulæ posse confessionem habere, tamen illum pro absolutione ad Pœnitentiarium dimisit. Qu. An bene se gesserit?

Resp., potuisse illum directe absolvere. Ratio est, quia in generali, et ordinaria reservatione non includuntur peccata dubia, nisi hoc expresse explicetur, cum lex reservationis sit stricte interpretanda. Neque dicas, præsumptionem esse pro reservatione, quia ex communiter contingentibus copula præsumitur completa, hinc titulo talis præsumptionis cadere tale peccatum sub reservatione. Contra est : reservatio de incestu, si stricte est interpretanda, comprehendit incestum certum, non vero solum præsumptum, cum autem in casu ad summum incestus esset præsumptus, hunc potuisset Confessarius simplex absolvere, nec debuisset pœnitentem mittere ad Pœnitentiarium. Ita cum de Lugo de reserv.

CAS. III. — Titio se accusanti in confessione, centum fuisse furatum, sed dominum ignorare, imposuit Confessarius, ut illa in pauperes distribueret; cui paruit Titius : at post aliquod temporis spatium scivit, Petrum esse verum dominum. Qu. An denuo teneatur illa centum Petro domino restituere?

Resp. negative, si debitam adhibuerit diligentiam, ut dominum inveniret. Ratio est, quia, cum Alex. 2, in cap. *Dum tu*, *de usur.* jubeat, quæ usuris inique acquisita sunt, si non supersunt illi, quibus debentur, aut eorum hæredes, dari pauperibus, quod præceptum DD. communiter etiam ad furtum extendunt, sequitur Titium, si debitam adhibuit diligentiam, ut dominum inveniret, restitutionem fecisse eo modo, quo potuit, et debuit in tali casu; unde exemptus est ab onere restitutionis, comparente vero domino rei, maxime cum taliter præsumendum est de domini voluntate : et velit, res suas applicari pauperibus, vel locis piis in remedium animæ, quando illis uti non potest. Less. lib. 2, cap. 14, num. 43.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Confessarius, audita Petri confessione, eique pœnitentia imposita, sermonem cum eo habet de rebus spiritualibus quidem, sed impertinenter se habentibus ad illius confessionem; unde inadvertenter inabsolutum dimisit; at taliter errasse meminit, dum Petrum videt prope januam Ecclesiæ, eumque sic distantem absolvit. Qu. An bene?

Resp. affirmative, si talis distantia non fuit nimium excedens. Ratio est, quia ex una parte non contrariatur Decret. Clem. VIII, hoc enim procedit de pœnitente vere, et proprie absenti, qualis non fuit Petrus in casu, cum fuisset in Ecclesia, et sub oculis Confessarii; ex alia parte, si talis distantia non fuit nimium excedens, qualis fuisset, si solum distasset per 20 passus, Petrus fuisset moraliter præsens Confessario, et verum sensum habuissent verba absolutionis, cum designarent Petrum in Confessarii conspectu positum: quare, attenta præcise distantia, valide Confessarius Petrum absolvisset, et etiam licite, si fuisset moraliter certus, Petrum post confessionem in lethale non incidisse, nec potuisset cum dexteritate illum vocare, eique suam negligentiam aperire, et sic absolutionis defectum de more supplere. Ita Diana, et Molfes. p. 1, tract. 7, cap. 6, num. 59.

CAS. II. — Cum Titio se accusanti bis, vel ter in hebdomada fere per annum integrum, rem habuisse cum famula, noluerit Confessarius beneficium absolutionis impendere, nisi prius e domo famulam ejecisset, ille respondit, tali famulæ mutuo dedisse centum, quorum recuperandorum spes nulla supererit, si illam e domo ejiciet. Qu. An hæc sit causa sufficiens ad absolutionem impendendam?

Resp. negative. Ratio est, quia ex una parte, stando terminis Casus, occasio peccandi est diuturna, cum fere per annum integrum cum tali fœmina Titius frequenter peccaverit; ex alia parte nullum apparet emendationis

signum, cum totum fundamentum ad absolutionem obtinendam sit moralis impotentia ad recuperanda centum, si fœmina e domo dimittatur; si autem occasio est diuturna, nec apparet emendationis signum, nolens fœminam dimittere est indispositus, eo quia cum temporali detrimento non vult animæ suæ consulere, ut tenetur juxta illud: *Quid prodest homini etc.* adeoque absolutionis incapax. Ita cum Girib. de Pœnit. tract. 7, cap. 10, dub. 5, num. 26. Si tamen ex illis centum non recuperatis Titius redigeretur ad extremam, vel quasi extremam necessitatem; volunt Cardenas, et Viva, in casu esse causam sufficientem absolvendi, si promitteret occasionem exterminare, vel saltem debitis remediis periculum proximum peccati attenuare, et quia non urgerent Propositiones ab Alex. VII et Innoc. XI, damnatæ, cum causa non dimittendi non esset tantum utilis, et honesta, in quo sensu loquuntur damnatæ Propositiones, sed esset necessaria titulo moralis impossibilitatis.

CAS. III. — Berta, acceptis persæpe muneribus a Francisco, qui ei illa tradiderat sub spe ab ipsa consequendi quod prave concupierat, nunquam voluit consentire; quare dubitat, an talia munera teneatur restituere. Qu. Quid dicendum?

Resp. negative cum Lopez, et Rebel. p. 1, lib. 3, q. 7, num. 6. Ratio est, quia, licet prælata munera amatores donent ob præfixum finem, fœminæ tamen illa non accipiunt sub pacto faciendi copiam corporis sui, nec ut pretium impudicitiæ, sed ut incitamentum, hoc autem dato, clare constat, quamvis Franciscus, quod a Berta prave concupierat, non obtinuit, Bertam non teneri accepta munera restituere.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Parochus die festo carens Hostia majori ad celebrandum consueta, Hostiam minorem in Missa consecravit: at timens, ne inter Rusticos murmur nasceretur, extraxit a Pyxide Hostiam majorem, quæ pro so-

lemni Expositione ostentavit, et populo adorandam exhibuit. Qu. An prudenter hoc fecerit?

Resp. negative cum Jacobo Marchant. *in resolut. post.* de Sacram. tract. 4, cap. 5, q. 3, cujus sunt verba sequentia : Cum in Missa debeat exhiberi populo adoranda Hostia in illo Sacrificio consecrata, et oblata, talem cautelam non esse approbandam. Melius tamen fecisset, si majori isti Hostiæ alteram parvam consecratam per illud Sacrificium simul adjunxisset, quod facile fieri poterat, exhibendo utramque adorandam : sic enim satisfaceret Cæremoniæ huic sacræ, qua Hostia Sacrificii hujus populo ad adorandum exhibenda præcipitur.

CAS. II.—Titius bona fide vendidit Bovem Cajo, pretiumque reportavit : at vix quindecim elapsis horis, Bos periit ex latente morbo, ut fuit post mortem compertum. Qu. An venditor, stante ignorantia inculpabili talis defectus, teneatur pretium acceptum restituere?

Resp. affirm. Ratio est, quia licet, stante bona fide, et ignorantia invincibili, non peccaverit Titius, tamen, quia latens defectus, propter quem Bos quasi statim periit, fuit circa substantiam (Bos enim notabiliter infirmus venditus fuit ut sanus, et quidem taliter, ut fuerit inutilis emptori) sequitur, contractum fuisse nullum ratione talis erroris, qui tollit consensum absolute ad contractus validitatem necessarium, adeoque Titium, qui nequit alio modo, quam per pretii restitutionem, nocumentum Cajo illatum reparare, teneri acceptum pretium restituere. Ita cum Girib. de empt. et vendit. cap. 2. dub. 9. num. 89. Beja. p. 3. c. 24.

CAS. III. — Franciscus, certo sciens Petrum Judicem petere ad injuste amicum suum accusandum, ex qua accusatione gravia pati cogetur damna, alia via accusationem non valens impedire, illum occidit. Qu. An licite?

Resp. negat. Ratio est, quia, cum sit damnata hæc propositio ab Innoc. XI, quæ est 18. in numero, *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam*

judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potuit innocens damnum evitare: clare sequitur, illicite egisse Franciscum in casu : minus enim malum est in casu aliquo rarissimo damnum innocentis permittere, quam talem occasionem defensivam concedere cum magno reipublicæ detrimento ob cædes, et homicidia, quæ passim hoc prætextu contingerent.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Capellanus, fraude et dolo facultatem assistendi matrimonio Bertæ cum Sejo a Parocho absente obtinuit, et de facto astitit. Dubitat modo, an tale matrimonium, ob licentiam assistendi mendacis obtentam, sit validum. Qu. Quid dicendum?

Resp. casus resolutionem ab occurrentibus circumstantiis dependere. Si enim ex his colligatur dolum, et fraudem fuisse totam causam finalem, et motivam, tunc matrimonium fuisset nullum, quia firma non existente causa finali petitionis, licentia esset invalida; nihil enim magis est contrarium consensui, quam error : si vero colligatur, dolum, et fraudem fuisse solum causam impulsivam, validum fuisset matrimonium, quia, firma existente causa finali, valida fuisset obtenta licentia. Ita cum Barbos. de Potest. Episc. allegat. 32. num. 133.

CAS. II. — Rosa cum fere toto tempore auditionis Sacri die festo voluntarie fuerit circa res domesticas distracta, dubitat, an Ecclesiæ præcepto de auditione Sacri satisfecerit; quare consulit Confessarium. Qu. Confessarii responsio?

Resp. probabilius Confessarium teneri respondere, non satisfecisse. Ratio est, quia Ecclesia in auditione Missæ præcipit attentionem moralem, et religiosam ad Dei cultum spectantem; finis enim est, ut colatur Deus: quam attentionem indirecte valet præcipere, cum sit connexa per modum formæ cum actu externo, quem præcipit ad Dei cultum; talem autem attentionem non habuit Rosa in casu : hinc, non satisfecisse, debet Con-

fessarius respondere, ad docendum, quod in praxi docent Viri pii, et quod probabilius est. Dico probabilius, quia non desunt plures DD. oppositum sustinentes.

CAS. III. — Titius furatus est pullum equinum, qui adolevit. Qu. An teneatur restituere, quantum valebat pullus tempore furti, an detractis expensis, quantum valet de præsenti?

Resp. teneri, quantum valet de præsenti. Ratio est, quia in rebus, quæ incrementum habent ab intrinseco, restitutio facienda est pretio summo, si fur illas vendit pretio summo, licet dominus tali pretio res non vendidisset, eo quia, totum illud incrementum, cum sit inseparabile a re furtiva, totum cedit domino, qui nunquam talium rerum dominium amisit, estque velut fructus naturalis, qui semper domino debetur: sed pullus in casu habet incrementum ab intrinseco, cum adoleverit; ergo Titius, detractis expensis, si pullum vendidit, debet domino, quantum valet de præsenti, restituere. Ita cum Less. lib. 2. cap. 12. dub. 16.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Berta vidua, vovit a carnibus abstinere die Mercurii per annos decem, quod quinque annorum spatio in viduitate servavit, at cum transierit ad secunda vota, Maritus hoc ei prohibuit, quin imo tale votum irritavit. Qu. An Vir potuerit tale votum irritare, et Berta absque scrupulo votum non servare?

Resp. negat. ad primam partem, affirmative quoad secundam. Ita cum Pontio Castropalao, Felic. a Potest. licet oppositum doceant Sanchez, et Diana tom. 6, tr. 6, resol. 217. Ratio est, quia tale votum fuit a Berta emissum tempore viduitatis, et sic antequam secundo viro subjiceretur; unde, cum tunc non dependeret a tali viro in suo regimine, Vir non potest titulo præsentis potestatis irritare votum, quod in suo esse nullam habuit ab ipso dependentiam. Quia tamen votum

tunc emissum Viro præsenti præjudicat, quia cum sui incommodo teneretur Uxori specialia alimenta providere, hinc potest tale votum indirecte solum irritare, seu suspendere, et Uxor titulo talis suspensionis poterit licite tempore talis matrimonii votum non servare.

CAS. II. — Titius dubitat, tum an ex suo malo consilio fuerit causa damni, tum an fuerit causa abortus fœtus animati. Qu. An teneatur damnum compensare, et an sit irregularis?

Resp. affirm. ad utrumque. Ratio primæ partis est, quia, cum certo constet, consilium esse datum ad damnum inferendum, et dubium solum sit, an in damnum influxerit, possessio non est pro libertate consulentis, sed est pro consilio; eo modo quo, si certo constet, votum fuisse emissum, et solum dubitetur, an cum requisita intentione, possessio est pro voto : si autem possessio est pro consilio, tota præsumptio est pro influxu in damnum, et sic titulo talis consilii tenebitur Titius illatum damnum compensare, ut docet Lugo disp. 19, num. 21, quicquid in contrarium sentiant alii. Ratio secundæ partis desumitur ex cap. *Ad audientiam*, et cap. *Significasti, tit. secundo de homicid.* ubi expresse decisum habetur, dubium de homicidio voluntario ut esset in casu, cum fœtus supponatur animatus, censendum esse irregularem quoad effectum abstinendi a divinis.

CAS. III. — Sacerdos doctus confessus est apud Confessarium simplicem peccatum grave quidem, sed dubium, an esset, necne Ordinario reservatum, fuitque a tali Confessario absolutus; at, cum modo sciat, tale peccatum vere esse reservatum, agitur scrupulis, an teneatur illud confiteri apud Confessarium privilegiatum. Qu. Quid dicendum?

Resp. cum Card. de Lugo disp. 16, sect. 2, § 4, et disp. 20, num. 20, non teneri. Ratio est, quia talis Sacerdos jam fuit a tali peccato legitime absolutus : confessio enim facta fuit de peccato prout erat in conscientia, et absolutio tradita fuit a Confessario qui, licet simplex esset, habebat legitimam potestatem in

tale peccatum : reservatur enim ab Ecclesia solum hæresis formalis certa, v. g. vel incestus certus, non hæresis dubia, aut incestus præsumptus : ergo non est, cur, deveniendo in notitiam, suum peccatum vere fuisse reservatum, illud denuo confiteatur apud Confessarium privilegiatum ; ut in simili docet Sanchez de voto dubio perpetuæ castitatis, quod si Episcopus dispenset, non est denuo ad Pontificem recurrendum, si certo postea constet, tale votum fuisse emissum.

ANNO MDCCXXXVI.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Titius, obtenta facultate a sacra Pœnitentiaria, ut cum ipso a Confessario viro discreto specialiter eligendo dispensetur super impedimentum affinitatis contractum ex copula habita cum Berta, ad hoc, ut possit matrimonium cum Francisca ejus Sorore jam publice in facie Ecclesiæ contractum revalidare, in Confessarium elegit proprium Parochum : at, quia expertus est, ab eo nimis rigide tractari, illo relicto, alium quæsivit benigniorem, a quo obtenta dispensatio fuit executioni demandata. Qu. An vere potuerit secundum Confessarium eligere ?

Resp. affirm. Ratio est, quia ex una parte Breve non amittit suum valorem, ex quo fuerit adapertum a Confessario diverso ab eo, qui illud exequitur : nam licet hoc asseruerint nonnulli simplices (utor terminis Lezanæ) tamen quia in Brevi non indicatur eumdem esse debere, qui litteras aperiat, et exequatur, ideo non obstat fuisse ab alio adapertum, quod præ cæteris clare docet Bonac. de leg. disp. 1, q. 2, p. 2, num. 3, ex alia parte non obstat prior electio Parochi in executorem, tum quia major Pœnitentiarius per dictum Breve non potius unum, quam alium elegit Confessarium, sed solum Confessarium virum discretum ab Ordinario approbatum, ut ad-

vertit meus Rosignol. de mat. cont. 15, prænot. 25, tum quia, cum talis dispensatio committatur solum pro foro interno, Major Pœnitentiarius illam committit ad formam et naturam Confessionis sacramentalis; quare sicuti, inchoata confessione apud rigidum Confessarium potest Pœnitens ad benigniorem accedere, ita et in casu. Rosignol. loc. cit. Gobat. de mat. tract. 3, c. 57, num. 167.

CAS. II. — Petrus liber Bertæ conjugatæ matrimonium promisit post mortem viri sui; at, captus amore Franciscæ, hanc duxit in uxorem. Post contractum tale matrimonium, adulterium commisit cum Berta. Obeunt deinde vir Bertæ, et Francisca. Qu. An Petrus, et Berta possint inter se matrimonium inire?

Resp. affirm. Ratio, quia ut inducatur criminis impedimentum, quod dicitur adulterium cum promissione, de quo unice dubitari potest in præsenti, debent simul esse promissio et adulterium, ut docent omnes. Hoc autem non verificatur in casu: nam licet fuerint promissio, et adulterium, promissio tamen fuit ante adulterium retractata, quod sufficit, ne resultet criminis impedimentum, cum sic cesset finis impedimenti; fuit enim retractata, si non per verba, saltem per factum, scilicet per matrimonium initum cum Francisca post promissionem Bertæ factam, et ante adulterium patratum; quæ retractatio satis est, quoad effectum præsentem, si a promittente fiat, utpote ab initio irrita, et a jure reprobata, licet non sufficiat retractatio per factum contrarium ab una parte tantum ad extinguenda sponsalia valide contracta, cum sponsalia, sicuti ad hoc ut inducantur valida, debeant esse mutua promissio, ita ut extinguantur, requiritur mutuus consensus. Si ergo promissio fuit ante adulterium retractata, jam non fuerunt simul promissio, et adulterium, ideo nil obstat ad validum matrimonium inter Petrum, et Bertam.

CAS. III. — Paulus furatus est scuta 50, animo intra quadrantem illa domino restituendi. Qu. An peccaverit lethaliter?

Resp. negat. cum Lugo de just. disp. 8, sect. 2. num. 42. Ratio est, quia per talem ablationem, et brevem retentionem regulariter non infertur grave nocumentum proximo, ratione cujus ablatio et retentio est graviter injuriosa; dico regulariter, quia si per accidens damnum grave obveniret domino, et esset a Paulo prævisum, tunc sane lethaliter peccaret.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Cum in Brevi sacræ Pœnitentiariæ, quod Titius, ut supra obtinuit, legantur hæc verba *ad vitanda scandala*, ortum est dubium, quid talia verba significent. Qu. Dubii solutio?

Resp. dicta verba significare, dispensationem ideo dari, ne per separationem præbeatur occasio peccandi per temeraria judicia, detractiones, odia, dissensiones, et similia, quæ omnia ex separatione ordinarie loquendo sequerentur. Ita communiter.

CAS. II. — Petrus liber adulteravit cum Berta uxore Caji, postea captus amore Marthæ, hanc duxit in uxorem; at cum hæc ei cito apparuerit exosa, promisit Bertæ matrimonium post mortem Caji, et Marthæ. Obeunt Cajus, et Martha. Qu. An Petrus, et Berta valeant matrimonium contrahere?

Resp. negat. Ratio est, quia obstat impedimentum criminis, quod dicitur adulterium cum promissione matrimonii; etenim ut hoc inducatur, requiritur, quod simul sint adulterium, et promissio durante eodem matrimonio; quod contigit in casu; fuit adulterium, et quidem formale, ut supponitur, quod non tollitur per matrimonium cum Martha; fuit promissio matrimonii non retractata per verba, vel per factum, quæ, sive præcedat, sive subsequatur adulterium, sufficit ad impedimentum inducendum: unde simul fuerunt, et quidem durante eodem matrimonio, Bertæ scilicet cum Cajo, adeoque obstat tale impedimentum dirimens, ne valide Petrus, et Berta valeant matrimonium inire.

CAS. III. — Paulus excommunicatus bona fide accedit ad Confessarium, cui omnia sua peccata confitetur, et ab eodem absolvitur quidem a peccatis, sed non a censuris. Qu. An talis confessio fuerit valida?

Resp., cum meo Girib. de pœnit. tract., 7, cap. 11, dub. 2, Confessionem fuisse validam. Ratio est, quia eo ipso quod Paulus noster bona fide accessit ad Confessarium, eique omnia sua peccata fuit confessus, jam accessit cum naturali oblivione, æquivalenti ignorantiæ invincibili excommunicationis, quo dato, ex una parte fuit capax absolutionis, quia excommunicatio reddit solum absolutionis incapacem pœnitentem excommunicatum scienter contra Ecclesiæ prohibitionem accedentem ad Confessarium non habentem jurisdictionem in excommunicatione, non vero bona fide ad talem Confessarium accedentem: ex alia parte Sacerdos non carebat jurisdictione in peccata exposita, eo quia licet Ecclesia potuisset tollere jurisdictionem a Sacerdote respectu excommunicati, et sic irritare Sacramentum, hoc tamen cum ex nullo textu colligatur, sed solum habeatur prohibitio, quæ non extenditur ad casum naturalis oblivionis, sequitur confessionem Pauli fuisse validam, quidquid dicant Vasq. et Urtad.

MENSE MARTII.

CAS. I. — In supradicto Brevi, quod Titius obtinuit, legitur: *Dummodo præfatum impedimentum sit occultum, et separatio inter Titium, et Franciscam fieri non possit absque scandalo.* Qu. Primo, an subsistat prima clausula, si illud impedimentum sciatur a tribus?

Resp., regulariter loquendo subsistere. Ratio est, quia occultum, de quo loquitur sacra Pœnitentiaria, illud est, quod a nemine, vel a tam paucis scitur, quod neque est famosum, neque manifestum, neque notorium facti vel juris. Hoc autem verificatur in casu, quia regulariter loquendo per hoc, quod tres in aliqua rurali Parœcia sciant impedimentum, a tam paucis scitur, ut neque sit famosum, vel manifestum, vel etc. ut naturæ

lumine satis constat ; qua ratione communiter docent DD. apud Rosignol, impedimentum non posse dici publicum, nisi plusquam quinque personis innotescat. Dixi regulariter , quia si tales occurrerent circumstantiæ , ex quibus appareret impedimentum a tribus illud scientibus facile esse publicandum , tunc esset publicum, si non actu , saltem virtute , et quidem proxime.

CAS. II. — Qu. Secundo, quid importent verba illa *absque scandalo* in secunda clausula apposita?

Resp. , talia verba importare, quod si separatio fieri posset absque eo , quod esset occasio peccandi, dispensatio esset nulla ob falsitatem , in supplicatione expositam , vi cujus in Brevi legitur, *imminere periculum scandalorum*, *ut asseritur.*

CAS. III. — Pœnitens tradidit Confessario chartulam, in qua nummi continebantur , dicens : *Faveat celebrare* 20 *Missas* , cui respondit Confessarius : *Libenter viginti Missas celebrabo* , at, cum pecuniam numerando, invenerit eleemosynam pro qualibet Missa non excedere summam novem bononenorum, tot tantum celebrat Missas , quot correspondent eleemosynæ consuetæ. Qu. An licet ?

Resp. affirm. — Si non potuit pœnitentem convenire, qui talem ei eleemosynam tradidit. Ratio est, quia eo ipso , quod non potuit pœnitentem convenire, vel ut illum de errore moneret , vel ut onus tot Missas celebrandi bona fide acceptatum recusaret , propria auctoritate potuit Missas reducere ad æqualitatem consuetæ eleemosynæ ; etenim sic agendo non peccaret , vel contra justitiam , quia servaret æqualitatem , vel contra fidelitatem, quia promissio nulla fuit, utpote ex errore incongrui stipendii in chartula inclusi, vel contra declarationem sacræ Congregationis jubentis , Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum , tot debere Missas celebrare, quot promiserunt, quia sacra Congregatio supponit scientiam incongruitatis stipendii, quæ defuit in casu ; ideo licite se gessisse Confessarium dicendum est cum Donat. tom. 5, tract. 7, quæst. 46, et 47,

Rotar. tom. 5, Theol. Mor. lib. 1, de Sac. cap. 2, part. 6, num. 15.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Similiter in supradicto Brevi a Titio obtento legitur, *sublata occasione amplius cum sorore Franciscæ peccandi* : at, cum adhuc in eadem domo habitet cum Titio. Qu. An Confessarius possit cum Titio dispensare?

Resp., vel Titius ita se abstinuit a turpitudine cum Sorore Franciscæ, ut occasio peccandi nullo modo sit proxima, vel non ; si primum, potest Confessarius cum Titio dispensare, quia talis cohabitatio non est moralis occasio peccandi, ut patebit terminos consideranti : si secundum, vel talis cohabitatio est voluntaria, aut involuntaria ; si voluntaria, absolute non potest dispensare, nisi dimissa sorore Franciscæ, quia hoc per modum conditionis necessariæ præscribit sacra Pœnitentiaria ; si involuntaria, tunc Confessarius, qui in hisce materiis debet esse rigidus, præscribere debet modos, quos Doctores in similibus occasionibus ad avertanda peccata assignant, ut occasio de proxima fiat remota ; si ita contingat, tunc potest dispensare, secus si secus ; ita cum Tibur. Navar. de execut. litt. Sac. Pœnit.

CAS. II. — Petrus per tres annos abstinuit a præcepto Confessionis et Communionis adimplendo, dicens se non esse dispositum, cum non possit deponere odium, quod erga occisorem Fratris sui habet ; proinde nolens Sacrilegium committere. Qu. An, et quot peccata commiserit?

Resp. 1°, peccasse contra præceptum Confessionis, et Communionis ; et ratio est, quia sicuti, ut docet Lug. de Euchar. disput. 16, sect. 2, n. 17, graviter peccat contra præceptum de Eucharistia sumenda excommunicatus non curans auferre impedimentum ad præceptum observandum, ut potest, et tenetur, quia Ecclesia præcipiens finem, præcipit media ad finem necessaria ; ita graviter peccavit Petrus in casu contra præceptum Con-

fessionis et Communionis non se disponendo ad tale præceptum servandum per odii depositionem ut poterat, et tenebatur juxta illud : *Diligite inimicos vestros.*

Resp. 2°, taliter se abstinendo sex peccata commisisse ; ratio est, quia per sex vices, ut patet, culpabiliter omisit parere præcepto ; præceptum enim Confessionis et Communionis duplex est ; quia unum stare potest, et stat sine altero ; si ergo per tres annos culpabiliter non paruit præcepto Confessionis et Communionis, certum est sex peccata Petrum commisisse.

CAS. III. — Confessarius Paulo, qui sacrilege in propria Parœcia Eucharistiam sumpserat, imposuit, ut iterum in eadem Parœcia sacram sumeret Synaxim : et, quia parere recusat dicens, se paratum esse sumere Eucharistiam in qualibet Ecclesia, nolle tamen ad Ecclesiam Parochialem denuo accedere, ei denegat absolutionem. Qu. An bene se gesserit Confessarius?

Resp. male se gessisse. Ratio est, quia finis Ecclesiæ præcipientis Eucharistiæ sumptionem in Paschate in propria Parœcia duplex est, scilicet ob bonum animæ, et ob recognitionem proprii Pastoris; Paulus autem per Communionem in Parœcia, licet sacrilegam, recognovit proprium Pastorem, unde ei remanet consulere bono animæ, quod præstare potest digne sumendo Eucharistiam in qualibet Ecclesia, cum tale animæ bonum ab Ecclesia intentum habere possit per dignam Eucharistiæ sumptionem, sive in Ecclesia Parochiali, sive extra illam ; ergo in Paulo nulla erat obligatio Eucharistiam denuo in Parœcia sumendi, sicque nec jus in Confessario ad illum cogendum per absolutionis denegationem, unde male se gessit Confessarius. Hoc totum patet in simili de matrimonio, quod si invalide contrahatur in facie Ecclesiæ, ob impedimentum dirimens occultum, obtenta dispensatione, opus non est, ut denuo coram Parocho, et testibus revalidetur, sed sufficit, ut novus habeatur consensus.

MENSE MAII.

CAS. I. — In supradicto Brevi, quod Titius obtinuit, legitur etiam : *Audita prius ejus Sacramentali Confessione.* Qu. 1°, an, si non esset conscius peccati lethalis, satis ei esset ad fruendum beneficio dispensationis, si diceret : *Ab ultima Confessione nullum peccatum commisi?*

Resp. negat. Ratio est, quia licet quis non teneatur confiteri peccata jam per sacramentalem absolutionem delcta, tamen quia Ecclesia post Confessionem præcipere in hypothesi, quod velit beneficio dispensationis gaudere, cum non teneatur dispensare, et ita de facto præcipiat, ut ex verbis Brevis, tenetur Titius vere sacramentaliter confiteri, et si hoc nolit præstare, defectu conditionis a sacra Pœnitentiaria præscriptæ, non poterit frui beneficio dispensationis ; ita communiter, cum secus fere totum Brevis Apostolici robur corrueret, quidquid dicant Gobat. et Lezana.

CAS. II. — Qu. 2°, an valeret dispensatio, si Titius apud Confessarium specialiter electum sacrilege confiteretur ?

Resp., vel Titii confessio esset sacrilega ob defectum doloris, aut ob reticentiam peccati non habentis respectum ad dispensationem, vel esset sacrilega ob defectum integritatis circa rem, de qua petitur dispensatio ; si primum, valet dispensatio, quia sic ex una parte adhuc concurrerent omnia, quæ ex dispositione styli sacræ Pœnitentiariæ ad validam, et legitimam dispensationem requiruntur, ut supponitur, ex alia parte dispensatio ex genere suo cum sacramentali Confessione non connectitur ; si secundum, non valet, quia deficerent requisita ex parte causæ ad dispensationem, cum non fuerint in Confessione manifestata ea, quæ erant manifestanda : ita Rosignol. Gobat. et alii.

CAS. III. — Paterfamilias non mittit filios suos ad Doctrinam Christianam, et Parochus non curat, ut mit-

tantur; unde Filii debita carent notitia Mysteriorum Fidei. Qu. Quis eorum teneatur reddere rationem de animabus puerorum?

Resp. utrumque. Ratio est, quia Parentes non tantum filios genuisse, illosque alere contenti esse debent ex *l. Si quis a liberis*, sed onera omnia, quæ ad parentes incumbunt, explere debent, inter quæ præcipuum est, filios in spiritualibus, et maxime necessariis ad salutem instruere vel per se, vel saltem per alios idoneos; Parochi tenentur oves suas pascere, et maxime parvulos specialiter indigentes, ut quis eis Doctrinæ Christianæ panem frangat. Hoc autem dato, quis non videt in casu tum Patremfamilias non mittentem filios suos ad Doctrinam Christianam, tum Parochum non curantem, ut mittantur, teneri reddere rationem de animabus puerorum, si ex eorum desidia filii careant debita mysteriorum fidei notitia; væ huic Patrifamilias! væ huic Parocho! quia in die judicii in eos vertetur illud Jeremiæ: *Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis.* Ita communiter cum Lezana part. 8, tom. 1, disp. 6, quæst. 12.

MENSE JUNII.

CAS. I. — In supradicto Brevi conceditur Confessario electo facultas Titium absolvendi ab Incestu in primo affinitatis gradu commisso ob copulam cum duabus Sororibus Berta, et Francisca. Qu. Primo, an, si Titius nolit frui beneficio dispensationis super impedimentum, possit simplex Confessarius illum directe absolvere?

Resp. negative. Ratio est, quia cessante causa finali mandati, cessat et effectus, cap. *Si pauper de præb. in 6*, hæc autem cessat in casu, etenim causa finalis, et quidem totalis, cur sacra Pœnitentiaria det potestatem absolvendi ab incestibus, qui ab Ordinario supponuntur reservati, est, ut pœnitens beneficio dispensationis ineat de novo matrimonium digne, et liber ab omni culpa, ut patebit Breve consideranti; ergo cum nolit matrimonium inire, quod per sacram Pœnitentiariam

finaliter intenditur, cessat, tanquam effectus, facultas illum ab incestibus reservatis absolvendi.

CAS. II. — Qu. secundo, an, si differatur dispensationis executio per sex menses, possit simplex Confessarius Titium directe absolvere ab Incestibus interea commissis?

Resp., vel causa talis dilationis fuit legitimum impedimentum, vel fraus, et dolus; si primum, affirmative, eo quia illa clausula; *hac vice absolvas*, quæ apponitur in brevi, utpote gratia liberaliter concessa a potente illam concedere, non ita coarctat procul dubio facultatem ad peccata ante concessionem commissa, quin etiam ad committenda extendi possit, intra tamen certum tempus, quod sufficiat ad verificanda moraliter illa verba *hac vice*, quod tempus sane erit sex mensium spatium, si causa dilationis fuit legitimum impedimentum: si secundum, negative, quia fraus et dolus non debent patrocinari, secus posset talis facultas per annos, et annos protrahi contra mentem sacræ Pœnitentiariæ. Ita cum Lugo de pœn. disp. 20, sect. 8, num. 126.

CAS. III. — Qu. tertio, an, si per annos differatur dispensationis executio, et novos Titius non commiserit Incestus, valida erit dispensatio?

Resp. affirmative. Ratio desumitur ex eodem Lugo loc. cit. scilicet, quia ad verificanda illa verba *hac vice* sufficit, vel quod tempus absolutionis non longe a concessione distet, vel quod legitima causa differendi intercedat, vel quod absolutio sit de peccatis narratis, et non aliis novis, cum hoc modo verificarentur illa verba, *hac vice*, ratione materiæ, quæ esset eadem: si ergo Titius novos non commisit incestus, potest a commissis absolvi, et sic frui beneficio dispensationis, licet per annos fuisset dilata dispensationis executio.

MENSE JULII.

CAS. I. — Cum in supradicto Brevi legantur etiam hæ duæ Clausulæ: *Titio pro tam enormis libidinis excessu*

injuncta pœnitentia salutari, et alia, quæ de jure fuerint injungenda. Qu. Primo, qualis in praxi esset Titio a Confessario pœnitentia imponenda?

Resp. in praxi Titio pro tam enormis libidinis excessu pœnitentiam esse imponendam attentis circumstantiis conditionis, sexus, et ætatis ipsius; quia sæpe pœnitentia, quæ est gravis respectu senis, vel infirmi, vel nobilis, est levis respectu juvenis, sani, et ignobilis. Quare si Titius esset rusticus, sanus, juvenis, sed pauper, qui victum laboribus suis sibi compararet, vel imponi posset pœnitentia salutaris, ut per tres menses quindecim Pater, et Ave extensis brachiis quotidie recitaret. Si vero esset rusticus juvenis, sanus, sed habens in bonis, ei imponendum esset jejunium semel qualibet hebdomada, et eleemosyna suo statui proportionata. Si vero esset senex, et miser, ei posset injungi recitatio tertiæ partis Rosarii per tres menses tribus diebus cujuslibet hebdomadæ, et sic diversimode juxta diversas circumstantias, ita ut tamen pœnitentia sit gravior, si delictum nunquam fuit in confessione expositum; levior, si jam fuit confessum. Ita cum citat. Tibur. Navar., Gobat. de. mat. tr. 5, sect. 4, cap. 37.

CAS. II. — Qu. secundo, quid importet secunda clausula, *alia, quæ de jure fuerint injungenda?*

Resp., talem clausulam importare, injungendas esse alias pœnitentias juxta naturam aliorum peccatorum in confessione expositorum, ita ut si pœnitens detraxisset, vel furtum commisisset, ultra obligationes restitutionis famæ, vel rei, esset imponenda etiam pœnitentia talibus delictis proportionata. Ita cum mox cit. DD.

CAS. III. — Petrus, velle se sequenti nocte equum vicini sui furari, narrat Sejo amico, qui ait: *Facilius est equum furari tempore Missæ, quo etiam canes absunt:* quo audito, Petrus tempore Missæ equum furatur. Qu. An, non restituente Petro, Sejus ad equi restitutionem teneatur?

Resp. teneri. Ratio est, quia sicuti, ut docet Molina, qui parato furari post octo dies suadet furari hodie, te-

netur restituere, non restituente illo, qui rem accepit, cum sit vera causa efficax talis furti, quia fur intra octo dies potuisset impediri, vel mutare voluntatem, ita tenetur in casu amicus, propter eamdem rationem; non restituente fure, equum domino restituere; fuit enim causa, ut tali tempore Petrus securius furtum commiserit, a quo potuisset nocturno tempore impediri.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — In supradicto Brevi legitur, *præsentibus laniatis sub pœna excommunicationis.* Qu. Primo, an idem esset Litteras comburere?

CAS. II.—Qu. secundo, an sufficeret auferre sigillum?

CAS. III.—Qu. tertio, an satis esset illas lacerare per medium, licet adhuc commode legi possent a quocumque?

Ad I, II et III. *Resp. affirmative.* Ratio omnium est, quia finis sacræ Pœnitentiariæ talem clausulam apponentis est, ne litteræ obtentæ prosint in foro externo; hic autem finis optime habetur omnibus modis enarratis, nam combustio ad talem effectum plus est, quam litterarum laniatio; laceratio per medium illas inutiles reddit, sicuti in praxi nullius roboris est scriptura per medium divisa, licet commode legi posset; ablatio sigilli ab illis omne robur tollit, cum litteræ sacræ Pœnitentiariæ, nonnisi sigillo munitæ, habeant Apostolicarum Litterarum valorem; quare illas lacerando per medium, comburendo, sigillo spoliando, idem fuit quoad finem intentum, ac illas laniare; in legibus enim intelligendis non grammaticalibus verbis est adhærendum, sed intentioni legislatoris insistendum. Ita La Croix, et alii Doctores talem clausulam explicantes.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Supradictum Breve post executionem non fuit a Confessario laniatum, vel combustum, vel lacera-

tum per medium, vel sigillo spoliatum. Qu. An subsistat dispensatio ?

Resp. cum Rosignol. loc. cit. affirmative. Ratio est, quia mens sacræ Pœnitentiariæ illas particulas, *præsentibus laniatis*, apponentis, fuit unice, ne litteræ suffragentur in foro externo, uti colligitur ex aliis particulis, *in foro judiciario nullatenus suffragentur*, ad intercludendam viam, quæ antiquitus vigebat, ut per exhibitionem hujusmodi litterarum satis probaretur dispensatio; non vero mens fuit, ut, litteris non laniatis, nulla esset dispensatio, unde quoad sui valorem subsisterent.

CAS. II. — Petrus tradidit Cajo pecora centum æstimata cum pacto, ut quandocumque illa restituerit, ad eamdem æstimationem restituat, et interea eorum fructus, et lana æqualiter dividantur. Qu. An licite ?

Resp. negative. Ratio est, quia etiam in contractu societatis animalium capitale stare debet periculo apponentis, nisi periculum in totum, vel in partem rejectum fuerit in alterum per novum contractum assecurationis, facta gravaminis compensatione, ut omnes docent; at in casu capitale non staret periculo apponentis, quia Cajus obligationem haberet restituendi pretium pecudum juxta æstimationem, quam habebant tempore traditionis, et decrementum pretii, si quod esset, non spectaret ad Petrum, unde salvum semper esset capitale; ex altera parte periculum decrementi pretii non esset rejectum in Cajum per novum contractum, facta gravaminis compensatione, quia lucrum pecudum esset æqualiter dividendum, quod præstandum esset vi simplicis contractus societatis; unde contractus fuit illicite initus. Ita cum Lugo, Ognate, etc.

CAS. III. — Uxor concessit Marito votum castitatis emittere, eoque emisso, illi adhuc petenti debitum concessit; modo dubitat, an fuerit Viri peccato cooperata. Qu. Dubii solutio ?

Resp. probabilius negative. Ratio est, quia licite uxor potest reddere debitum viro illicite petenti solum propter circumstantiam se tenentem ex parte personæ,

cujusmodi est votum in casu ; nam sicuti, data tali vovendi facultate, licite potest Uxor petere, ita et reddere absque cooperatione ad viri peccatum, illud solum permittendo, quia dat operam rei licitæ ex parte actus, ad quam vir adhuc habet jus, cum per votum illud non amiserit, sicuti non amisit dominium in corpus Uxoris per matrimonium acquisitum ; quo jure adhuc posito ex parte viri, sequitur uxorem non esse exemptam ab obligatione reddendi, et sic in tali redditione viri peccato non cooperatam. Quod si vir per emissionem voti de consensu uxoris intendisset illi remittere obligationem reddendi, hocque ei manifestasset, tunc certo peccaret reddendo, et esset peccato viri cooperata. Ita Palaus, Bonac. de Mat. q. 4, p. 3, num. 8.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Legitur tandem in toties citato Brevi, *cum ut de nullitate prioris consensus certioretur Berta, ita tamen caute, ut Titii delictum non detegatur, tum ut inter se Titius, et Berta de novo contrahant.* Qu. Primo, quid agendum sit, si nequeat detegi nullitas consensus, quin detegatur delictum ?

Resp. cum Portel. et Lezana, ut minimum esse necessarium, partem consciam nullitatis matrimonii rogare insciam, ut si forte consensus matrimonialis ab initio fuisset nullus, denuo consentiat, quia ex una parte non tenetur Titius detegere turpitudinem suam, ut ex verbis etiam colligitur ; ex alia parte, cum totus antecedens contractus fuerit nullus quoad totum actum, utpote inter personas inhabiles, necessario ad talem contractum revalidandum requiritur novus consensus legitimus ex parte utriusque, qui nunquam haberi poterit, nisi parti insciæ nullitas prioris consensus aliquo modo innotescat, cum nil possit esse volitum quin præcognitum ; unde ut minime necessarium est partem consciam rogare insciam ut supra. Quod si neque hoc minimum haberi possit, quin detegatur delictum, vivere debent, ut frater, et soror, cum nunquam haberetur consensus. Contra-

rium posse in praxi observari docent plures DD. an bene et cohærenter litteris sacræ Pœnitentiariæ judicent alii.

CAS. II. — Qu. secundo, an debeant denuo contrahere coram Parocho, et Testibus ?

Resp. negative, tum quia hoc clare constat ex illis Brevis particulis *nullis super his testibus adhibitis*, tum quia, cum impedimentum supponatur occultum, matrimonium in facie Ecclesiæ haberetur validum, licet nullum esset in foro conscientiæ.

CAS. III. — Sacerdos, urgente necessitate celebrandi, non habens copiam Confessarii jurisdictionem habentis in reservata, quibus obnoxius est, solum actum contritionis Missæ sacrificio præmisit. Qu. An peccaverit ?

Resp., vel Sacerdos erat obnoxius tantum lethalibus reservatis, vel etiam non reservatis : si primum, affirmative, saltem speculative loquendo, eo quod ex una parte non habeat copiam confessarii, cum supponatur nullum adfuisse Confessarium privilegiatum, qui est Confessarius pro reservatis, ex alia parte non tenebatur vel venialia vel lethalia alias confessa confiteri, ut ab his directe, et a reservatis indirecte absolveretur; unde, præmisso actu contritionis, licite potuit celebrare, saltem speculative loquendo; dico speculative, quia cum in praxi non adeo facile sit contritionem elicere, practice videretur quædam præsumptio de contritione, posito alio medio faciliori, puta confessione venialium, ita cum Suar. disp. 23, de pœnit. sect. 2. Si vero secundum dicatur, negative, quia tenebatur tunc servare divinum præceptum a Tridentino his verbis expressum : *Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debet :* unde tale præceptum non servando, ut poterat, cum supponantur Confessarii simplices, illicite se gessisset. Ita cum cit. Suar. disp. 66, sect. 4.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Petrus in ludo alearum lucrum reportat, eo quia inspicit chartas alterius ex sola illius negligentia, vel eas didicit noscere inter ludendum, licet nullo modo signaverit. Qu. An teneatur lucrum restituere?

Resp. cum Lugo, et Giribal. negative. Ratio est, quia alterius chartas inspicere ex sola adversarii negligentia, et eas inter ludendum noscere, nullo habito signo, non sunt fraudes, vi quarum lucrum reportatum, vel damnum illatum quis teneatur restituere, sicuti esset arte se componere ad contrarii chartas inspiciendas, vel aliqua nota signare; sed potius industriæ vocantur communi ludentium consuetudine approbatæ, quæ ludi contractum non vitiant.

CAS. II. — Juvenis annos natus duodecim, cum arborem ascendisset ad nuces furandum, et plures jam in sinu absconditas haberet, cecidit, et per casum adeo fuit sensibus destitutus, ut obierit, nullo dato doloris signo, ei tamen a Parocho, qui statim accesserat, absolutione sub conditione impertita. Qu. Primo, an bene se gesserit Parochus, illum absolvendo?

Resp. affirmative, tum quia difficile est tale furtum fuisse grave, cum nuces sint res parvi momenti; tum quia, etiam supposita gravitate culpæ, non potest inferri per tale delictum juvenem illum non Christiane vixisse, quo fundamento forte tolleretur rationabilis præsumptio de dolore; quia ad judicandum non Christiane quempiam vixisse, non sufficit unicus, vel duplex culpabilis actus, sed multiplices, et continuati requiruntur, qui supponi nequeunt in juvene annorum duodecim; unde habuit Parochus fundamentum rationabilis præsumptionis de dolore, vi cujus docent plures et gravissimi Doctores in hisce casibus impertiri posse absolutionem sub conditione; quare bene se gessisse Parochum dicendum est.

CAS. III.— Qu. secundo, an ille juvenis sit sepeliendus in loco sacro ?

Resp. affirmative, tum quia, ut dictum est, non constat graviter peccasse, tum quia etiam data gravitate non constaret fuisse notorium peccatorem ; tum quia, licet hoc constaret, cum fuerit sub conditione absolutus, et bene, secundum probabilissimam sententiam, non posset ei denegari Ecclesiastica sepultura ; hac enim ex lege synod. solum meretrices in odium criminis, et decedentes in duello privantur, quamvis ante mortem signa contritionis ostenderint.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Mulier vocat proprium Confessarium in domum suam, ex causa Confessionis disparatæ, sed Confessarius ipsa occasione eam ad turpia sollicitat. Qu. An sit denunciandus vi Bullæ Gregorii XV ?

Resp. negative. Ratio est, quia nulla clausula in Constitutione Gregoriana contenta in casu violatur, et signanter (in quo unice esse potest difficultas) aut ly *prætextu Confessionis*, quia nullum præcessit confessionis velamen, aut ly *occasione confessionis*, quia nulla præcessit causa confessionis invitatio ; ita cum Puteob. de pœnit. q. 5, art. 9, n. 24, versus finem citante Bordonum.

CAS. II. — Faber lignarius ad mortem vulneratus, remittit vulneratori suo et injuriam, et damna, quæ inde familiæ sequuntur. Qu. An Filii, mortuo Patre, possint petere ab Occisore damnorum compensationem ?

Resp. affirmative. Ratio est, quia jus ad compensationem damnorum, quæ familiæ in casu sequuntur, non acquiritur occiso, nec ab ipso derivatur in filios, sed immediate acquiritur filiis, quorum jus læsum est ; filii enim jus habent, ut a Patre alantur, hinc ne eis ab aliquo alimenta impediantur : unde Pater non potuit de tali jure filiis acquisito disponere, sicque licite filii possunt ab occisore petere damnorum compensationem. Ita cum Lug. de just. disp. 4, sect. 5, n. 65.

CAS. III. — Paulus, cum posset impedire furtum, et damnum vicino suo inferendum, non impedivit, accepta pecunia, ut taceret. Qu. Utrum acceptam pecuniam possit retinere?

Resp. affirmative. Ratio est, quia sicuti Paulus potuisset illam retinere ob alia onera, ita ob servandum silentium tempore, quo furtum committebatur; licet enim peccaverit tacendo, illa tamen culpabilis omissio erat pretio æstimabilis, unde potest acceptam pecuniam retinere, nisi et ipsa esset furtiva, quia tunc clamaret ad dominum, ita communiter.

ANNO MDCCXXXVII.

MENSE JANUARII.

CAS. I.—Sacerdos post Missæ celebrationem ad Sacristiam reversus, certo cognoscens non vinum, sed aquam consecrasse, dubitat, an teneatur per vini consecrationem defectum supplere. Qu. Quid dicendum?

Resp. Non teneri, ita cum Suar. in 3 p. disp. 85, sect. 1, Gobat. tom. 1, tr. 5, cas. 23, sect. 1, Tamb. de Sacrif, Missæ lib. 2, cap. 8, § 5, num. 6. Ratio est, quia, Sacerdote ad Sacristiam reverso, jam Missa omnino esset absoluta, unde nova consecratio non esset reintegratio primi Sacrificii, quia esset actio omnino moraliter distincta, quæ cum priori non conjungeretur, sicuti uniretur, si defectu detecto ad Altare, tunc nova fieret vini consecratio. Neque hæc unio moralis haberetur ratione continuationis temporis, ut prætendit Tannerus, ex quo immediate post ingressum in Sacristiam error detegeretur: nam moralis conjunctio actionis non habetur a tempore, sed ex iis omnibus, quæ Missam constituunt, quæ cum essent absoluta, non unirentur moraliter cum nova vini consecratione.

CAS. II. — Titius non confirmatus tenuit in confir-

matione Petrum filium Bertæ, cum qua, vidua facta, matrimonium inivit. Qu. An valide?

Resp. Probabilius affirmative. Ratio est, quia *per cap. in Baptis. de consecr. dist. 4*, ita non confirmatus est exclusus a Patrino Confirmationis, ac infidelis; sed hic per omnes est exclusus nedum quoad licitum, sed etiam quoad validum usum Patrini, ergo et ille; unde per incapacitatem ad contrahendam cognationem spiritualem in Confirmatione, in hac Titius tenendo filium Bertæ nullum contraxit impedimentum dirimens matrimonium contrahibile inter ipsum et Bertam, sicque hoc inito, ex hoc capite invalidum non est censendum. Ita Gloss. in dicto cap. de Baptis. Sanch. Girib. de Confirmatione contra La Croix, et plures alios non improbabiliter oppositum sustinentes.

CAS. III. — Parochus non habens reditus nedum a Concilio taxatos, sed nec sufficientes ad congrue se sustentandum, non applicat diebus festis Sacrificium pro populo. Qu. An sit tutus in conscientia?

Resp. negative. Ratio eruitur ex sacræ Congregationis Decretis toties repetitis, et specialiter ex illis sub die 8 Februarii 1716, et die 19 Januarii 1734, in quorum primo proposito dubio, *an non habentes congruum teneantur applicare Missam pro populo saltem diebus festis, ita ut sint cogendi in casu, etc*, respondit *affirmative*, censuitque, *danda esse decreta alias de re edita:* in secundo, proposito eodem dubio de Parochis Castri Romani, Porciliani, et Decimæ, qui nihil a populo recipiunt, cum id, quod habent, a Dominis Castrorum consequantur, respondit, *teneri*. Nec obstat insufficientia redituum ad se sustentandos; nam sicuti non obstat hæc ratio, qui acceptans stipendium minus congruo pro celebratione Missarum, tenetur tot Missas celebrare, quot promisit, ut ex Decreto sacræ Congregationis tenetur, ita nec obstat, ut Petrus acceptans Ecclesiam, cujus reditus ad sustentationem non sufficiunt, non tenetur diebus festis Missam pro populo applicare: utrobique enim militat eadem ratio.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Obtenta a Titio super impedimentum criminis dispensatione ad validum cum Berta matrimonium ineundum, dubitatur, an pro validitate matrimonii Berta talis impedimenti conscia debeat et ipsa pro dispensatione ad sacram Pœnitentiariam recurrere. Qu. Quid dicendum?

Resp. negative. Ratio, quia, quando in materia de contrahendo Litteræ sacræ Pœnitentiariæ conceduntur uni parti, possunt etiam alteri parti impedimenti consciæ suffragari, cum non stet impedimentum esse sublatum quoad unam, et non quoad alteram, quare absque novo recursu Berta conscia dispensationis a Titio obtentæ poterit valide cum ipso matrimonium inire; ita cum Tib. Navar. in 1 p. de disp. matrim. et meo Rosign. de matrim.

CAS. II. — Parocho defertur puer vix natus, cujus parentes ignorantur, habens collo appensam chartulam, in qua legitur fuisse baptizatum, eique nomen Petri impositum. Qu. An Parochus possit, et debeat talem puerum sub conditione rebaptizare?

Resp. Parochum teneri prius inquirere, an valeat habere notitiam illius, qui schedulam scripsit; quam si habere nequeat, potest, et tenetur infantem sub hac conditione baptizare *si non es baptizatus, etc.* quia deest probatio ad moraliter certo credendum, infantem fuisse baptizatum; si vero habet notitiam scriptoris, et hic sit fide dignus, nec debet, nec potest illum sub conditione baptizare, quia sicuti dicto unius fide digni probatur collatio baptismatis, ut *ex can. Pueros* 110 *et can. Itaque* 112, *de consecr. dist.* 4, ita per schedulam taliter qualificatam moraliter certo credendum est infantem fuisse baptizatum; quod si scriptor non sit fide dignus, debet ita se gerere, ac si nulla schedula haberetur. Constat hoc totum, tum ex Concilio 3 Mediol. sub S. Carolo, tum ex quo Sac. Congr. ad dubium propositum:

Quomodo se gerere debeat Parochus S. Spiritus in Saxia, in collatione baptismatis infantibus, qui ad Archihospitale deferantur, sive iidem habeant schedulam de baptismo testantem, sive non habeant, et etiam si ex colore, et cæteris corporis qualitatibus deprehendatur eosdem esse constitutos in ætate sex, aut decem mensium, vel etiam unius anni cum dimidio : respondit die 15 januarii 1724, *esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus expositis juxta instructionem : Instructio est, quod excipiatur a baptismo sub conditione casus schedulæ, quæ habeat certitudinem ;* ita legitur in Notificatione Eminentissimi nostri in primo volumine sub n. 8 contenta.

CAS. III. — Parochus videt Rusticos nullo impedimento detentos Missam audire ante januam, aut fenestram Ecclesiæ, nec illos monet teneri Ecclesiam ingredi. Qu. An peccet non monendo ?

Resp. negat. Ratio est, quia rustici e tali loco Missam audientes præcepto satisfacerent ; licet enim non essent in Ecclesia, tamen non essent ab Ecclesia sejuncti, nec inter ipsos et Ecclesiam aliqua interruptio haberetur, ut contingeret, si inter ipsos et Ecclesiam aliquid mediaret, ratione cujus sejunctionis, et interruptionis plures merito dubitant, an existens in fenestra domus sejunctæ ab Ecclesia satisfaceret præcepto de audienda Missa. Etenim in casu Rustici fenestræ, vel januæ Ecclesiæ adhærerent, quæ sunt partes Ecclesiæ, et quidem aptæ ad audiendum, vel videndum quid Sacerdos agat in Missa, unde non esset, cur præcepto non satisfacerent ; consequenter non apparet, quomodo valeat peccare Parochus illos non monendo teneri Ecclesiam ingredi, licet optimum esset, si ad ingressum in Ecclesiam Rusticos consuleret : ita cum de Lugo disput. 22, n. 2, Girib. tr. 8, de observ. fest. c. 2, dub. 3, n. 24.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Parochus cum apud non paucos DD. legis-

set, posse Confessarium Jubilæi tempore ab hæresi absolvere, anno præterito tempore Jubilæi Titium tali crimine innodatum absolvit. Qu. An in re potuisset illum absolvere?

Resp. negativ. Ratio est, quia licet antiquitus affirmativa sententia non esset probabilitate destituta, hodie est absolute improbabilis propter oppositam declarationem sub. Alex. VII, die 24 Martii 1656 emanatam, quam quilibet videre poterit apud Matthæuc. *de off. cur. Eccl. c.* 2, *n.* 18, Card. Petra *ad Const. Apostolic. t.* 3, *p.* 180. Anaclet. t. 5, juris Can. tit. 7, *de hæreticis*, *n.* 405 et sicuti de illa nequit dubitari, ita hodie non est controversiæ locus.

CAS. II. — Parochus habens nedum congruam, sed reditus valde congruam sustentationem excedentes, solum diebus festis applicat Sacrificium pro populo. Qu. An satisfaciat suæ obligationi?

Resp. affirm. Ratio desumitur ex quo Sac. Congr. die 8 Febr. 1761, proposito dubio : *An Parochi habentes pingues reditus teneantur quotidie Missam applicare pro populo, etc.* respondit *negative*, nihil aliud addendo, ubi per ly *negative* clare constat tales Parochos non teneri Missam applicare pro populo quotidie; nihil vero addendo, denotat satis esse, ut illam applicent pro populo diebus festis, ut cæteri Parochi, sicut licet reditus sint valde pingues, sufficit, ut recitent Officium Divinum, quod recitant alii habentes beneficium tenue.

CAS. III. — Parochus, ad quem fuit delatus Infans ab Obstetrice domi baptizatus, illum statim sub conditione rebaptizavit, hac motus ratione, quod de Baptismo ab Obstetrice collato semper dubitari potest. Qu. An bene se gesserit, vel aliquam pœnam incurrerit?

Resp., male se gessisse, et irregularitatem incurrisse. Ratio primæ partis est, quia non licet rebaptizare sub conditione, nisi dubium suboriatur vel circa collationem, vel circa validitatem Baptismi collati, quod dubium non habetur præcise, ex quo Baptisma fuerit ab Obstetrice

collatum, cum Obstetrices post diligens examen approbatæ, quales esse debent in hac Diœcesi de mandato Eminentissimi Archiepiscopi, validum valeant Baptisma conferre. Ratio secundæ partis desumitur ex Catechis. Sacr. Conc. Trid. *p.* 2, *de offic. baptism.*, *n.* 57, ubi habetur : *Rebaptizantem puerum sine debito examine, irregularitatis pœnam contra rebaptizantes incurrere.* Debebat ergo Parochus prius indagare, an Obstetrix esset ex approbatis, et sic se abstinere a Baptismi, etiam conditionati, collatione; an vero ex non approbatis, et sic Obstetricem examinare, an quæ Ecclesia præcipit in Baptismi collatione servasset, vel non : si servasset, non debebat illum ullo modo baptizare : si non servasset, debebat absolute Infantem baptizare; si solum fuisset dubium, an illa servasset, debebat illi sub conditione Baptismum conferre.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Rusticus, instante Quadragesimali jejunio, dubitat, an compleverit annum 21, adhibitaque diligentia, non potest certior fieri. Qu. An teneatur jejunium servare?

Resp. negat. Ratio est, quia nemo obligatur lege, nisi hæc illi sit sufficienter proposita; secus, ut patet, est in possessione libertatis; non est autem taliter proposita, quousque post sufficientem diligentiam manet quis dubius, an lex sit illi imposita, nec ne; res ita se habet quoad legem jejunii relate ad Rusticum nostrum, ut ex terminis casus, ideoque non tenetur jejunii legem servare. Suarez, t. 5, in 3 p. disp. 40, sect. 9, n. 14, et tom. 3, de relig. lib. 4, de voto, c. 5, n. 7.

CAS. II. — Parochus putat non ex debito, sed solum ex quadam convenientia, et ad vitandam pœnam duorum aureorum se teneri Ecclesiam Matricem adire, ut Fontis benedictioni assistat. Qu. An bene sentiat?

Resp. negat. Ratio est, quia Parochi rurales tenentur adire Ecclesiam Matricem, ut Fontis benedictioni assis-

tant, non præcise ad pœnam pecuniariam vitandam, aut ex quadam convenientia, sed ut pareant sacræ Congr. Conc. ita præcipienti per suum Decretum in una Savon. die 17 Novembris 1691, ut refert Eminentissimus Petra t. 3, p. 53, n. 19.

CAS. III. — Parochus, quia legitime impeditus adire Ecclesiam Matricem nequit, ut assistat Fontis benedictioni, per famulum mittit Vicario foraneo excusationem. Qu. An faciat satis?

Resp. negat., cum Eminentissimus Archiepiscopus in sua Notificatione de benedictione Fontis Baptis. quæ in primo volumine est p. in n. præcipiat, Parochum legitime impeditum adire Ecclesiam Matricem teneri, impedimenti causa justificata, mittere alterum Sacerdotem, qui loco ipsius Fontis baptismalis benedictioni assistat : ex quo clare constat non satis esse per famulum mittere Vicario foraneo impedimenti excusationem.

MENSE MAII.

CAS. I. — Rusticus Paschali tempore Eucharistiam sumpsit in Ecclesia Metropolitana, et schedulam ibi obtentam Parocho suo rurali ostendit, putans sic præcepto Paschatis satisfecisse. Qu. An satisfecerit?

Resp. negat. Tum quia, si ex Decreto Innoc. XI, 5 Febr. 1682, non satisfaciunt præcepto Paschatis Eucharistiam sumentes Romæ in Ecclesia S. Joan. Later. et S. Petri, ut aperte legitur apud Pignatel. t. 7, consult. 89, n. 18, ita nec qui Bononiæ illam sumunt in Ecclesia Metropolitana, nisi adsit Parochi, aut Vicarii generalis, aut Eminentissimi Archiepiscopi expressa licentia, quæ nec quidem supponi potest, cum oppositum colligatur ex ejus Notificatione, quæ in primo volumine sub n. 18, habetur, tum quia, ut ait Card. de Lugo, sicuti Rustici absque speciali licentia nequeunt matrimonium contrahere coram Parocho Ecclesiæ Metropolitanæ, ita nec in hac paschale præceptum adimplere.

CAS. II. — Parochus ex Confessione sciens famulum

suum esse furem, claudit capsulas, quas prius non claudebat, illo non utitur ad numerandas pecunias, sicut utebatur. Qu. An violet sigillum ?

Resp. affirm. Ratio est, quia ex vi scientiæ Confessionis efficeret, et omitteret, quod alias non esset facturus, vel omissurus, cujus ratione confessio famulo redderetur odiosa, cum esset tacite illum exprobrare cum illius verecundia et rubore contra finem sigilli sacramentalis, qui fuit, et est, ne difficilem reddendo confessionem, ab hac fideles retraherentur, quod totum sane esset sigillum confessionis violare. Lugo de pœnit. Diana p. 3, tr. 4, v. 76, quidquid dicant alii apud Leand. q. 62.

CAS. III. — Titius furatus est Vitulum valoris 10, illum educavit in Bovem valentem 20, postea paulatim decrevit ad 15. Qu. Secundum quem valorem teneatur restituere ?

Resp., teneri restituere animal, si adest (ut supponitur) cum lucro cessante, et damno emergente, si quod occasione furti secutum est. Ratio est, quia Titius est possessor malæ fidei, hic autem tenetur restituere rem si extat, et damna, si quæ secuta sunt, compensare ; ergo Titius tenetur primo restituere animal furto sublatum, cujuscumque valoris sit de præsenti, detractis expensis, quas dominus fecisset, quia augmentum vel decrementum valoris est animali intrinsecum, quod in utilitatem vel damnum domini cedit, qui nunquam animalis dominium amisit; tenetur secundo damnum domino per furtum illatum compensare, considerando valorem Bovis respective ad tempus, quo illud vendidisset, quod unice ex circumstantiis personæ, officii, vel hujusmodi colligi potest ; et si his omnibus bene perpensis res esset adhuc dubia, compensandum est damnum juxta valorem taxandum a prudentibus, et peritis in arte.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Parochus, cujus reditus pingues sunt, Missam traditam celebrandam die Dominica celebravit, dein

intra hebdomadam pro populo obtulit Sacrificium. Qu. An licite?

Resp. probab. affirm. Ratio est, quia sicuti Parochi habentes reditus pingues, ex dictis in Responsione ad secundum casum Martii, pari passu currunt quoad applicationem Sacrificii pro populo diebus festis cum cæteris Parochis; ita pari passu currere debent quoad libertatem applicandi Sacrificium pro populo die feriali, die festo celebrando pro eo, qui eis traderet eleemosynam; sed hanc libertatem habent Parochi habentes reditus tenues, ut clare constat ex responsione ad dubium propositum Sac. Cong. die 26 Jan. 1724, quam videre non pigeat in Notificatione ab Eminentissimo nostro edita die 14 octob. 1732. Ergo, et hoc probabiliter facere possunt Parochi habentes reditus pingues. Dico probabiliter, quia Sac. Cong. responsum est solum pro Parochis pauperibus, de quibus tantum fit mentio in dubio proposito.

CAS. II. — Parochus ad valvas Ecclesiæ Puerum recenter natum videns absque ulla chartula collo appensa absolute baptizavit. Qu. An bene?

Resp. negat. Ratio est, quia non est absolute baptizandus infans, de quo certo moraliter non constat fuisse baptizatum, ne Sacramentum periculo frustrationis exponatur; hoc autem non constabat de Puero in casu, eo quia licet commune sit his Infantibus expositis baptizatis testimonium habere, quo carebat infans præsens; tamen, quia sumus in locis Christianorum, haberi poterat præsumptio aliqua de Baptismo collato, ratione cujus non habebatur moralis certitudo de non collatione Baptismi, et ideo non erat absolute baptizandus; hinc Parochus taliter illum baptizando male se gessit. Videatur in confirmatione resolutionis Decretum citatum in responsione ad casum secundum Februarii.

CAS. III. — Confessarius cujusdam oppidi manifestavit quibusdam amicis in tali oppido gravia peccata patrari. Qu. An absque sigilli fractione?

Resp. negat. Ratio est, quia licet dubitent aliqui, et alii magis communiter negent Confessarium frangere sigillum talia manifestando, si agatur de ampla Civitate, et Diœcesi, quia sic nulli fieret injuria, nec esset periculum, ut aliquis in particulari dignosceretur; tamen cum in præsenti sermo sit de Oppido, quod, ut plurimum, non est locus valde amplus, nec multum populatus, certum est, Confessarium manifestantem in tali Oppido gravia peccata patrari, frangere sigillum Sacramentale, quia facile ex tali locutione saltem suspicio contra famam particularium redundaret, quod sufficit ad sigilli fractionem : ita communiter cum Leand. de pœnit. q. 30 et 32.

MENSE JULII.

CAS. I. — Parochus cum quadam solum suspicione legis prohibentis alienare bona Ecclesiæ, domum quamdam propria auctoritate alienavit ad Ecclesiam suam restaurandam, et ornandam. Qu. An graviter peccaverit, et inciderit in pœnas *Extravag. Ambitiosæ*, etc.?

Resp., graviter peccasse, non tamen in pœnas incidisse. Ratio est, quia posita suspicione de existentia legis prohibentis alienare bona Ecclesiæ stabilia propria auctoritate etiam ad Ecclesiam restaurandam, Parochus tenebatur inquirere, num revera talis lex extaret, et obligaret; ad hoc enim obligat quælibet lex eo ipso, quod de illa datur aliqua suspicio; cum per talem suspicionem erroneitas conscientiæ nequeat esse invincibilis excusans a peccato; unde taliter alienando supradictam domum absque prævia inquisitione, stante materia gravi, qualis est domus, graviter peccat : quia tamen per dictam suspicionem haberi nequit in Parocho præsumptio, et temeritas, quæ legis notitiam supponit, ut requiritur ad incurrendas pœnas in citata *Extrav. Ambitiosæ* contentas, cum sint latæ contra præsumentes alienare, etc. ut Bullam legenti constabit; ideo Parochus, licet graviter deliquerit, in foro tamen interno prædictas pœnas non incurrit. Suarez, t. 3, in 3 part.

disp. 82, sect. 3, quoad primam casus partem, quoad secundam t. 5, in 3 part. disp. 4, sect. 3, n. 1.

CAS. II. — Parochus, cujus Ecclesia sita est prope Archipresbyteralem, in qua Archipresbyter, speciali doctrina, et sanctitate præditus, omnibus diebus festis magno animarum fructu non unam, sed plures habet Conciones, non prædicat diebus festis, putans melius esse ad suarum ovium salutem, quarum numerus exiguus est, has mittere ad audiendum Archipresbyterum. Qu. An attenta hac circumstantia Parochus sit a peccato immunis?

Resp. negat. Ratio sumitur ex Tridentino sess. 5, cap. 2, de reform. ubi omnibus Parochis aperte præcipit Conciones habere diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus, tum etiam ex Constitut. Innoc. XIII, pro regimine Ecclesiarum pro regnis Hispaniarum edita, et a Bened. XIII, tamquam regula pro aliis Ordinariis confirmata, ubi adductis excusationibus, quibus Parochi Concionem non habentes culpam a se amovere nituntur, et præsertim, quia suppetit copia aliorum habentium sacras Conciones in aliis Ecclesiis, hæc habentur : *Ne itaque sub inani, aliarumque similium excusationum prætextu tanta Christianæ Reipublicæ pernicies struatur, districte præcipimus,* etc. quare, cum Parochus in casu dicto præcepto non satisfaceret, non esset a peccato immunis.

CAS. III. — Parochus, quia docet publice Doctrinam Christianam, putat satisfacere suæ obligationi, licet sciat pluribus inter adstantes rudis minervæ talem publicam instructionem non sufficere ad fidei rudimenta addiscenda. Qu. An bene sentiat?

Resp. negat. Ratio est, quia posita scientia, quod pluribus ex adstantibus non sufficiat publica instructio ad fidei rudimenta addiscenda, per accidens tenetur Parochus illos etiam privatim edocere : si enim ad ipsum spectat illis Sacramenta ministrare, quorum capaces esse nequeunt, si laborent ignorantia mysteriorum fidei, ut ex propositione 64 ab Innoc. XI damnata, sequitur teneri taliter suos Parochianos instruere, ut prædictam

vincant ignorantiam, et sic capaces fiant validæ, et licitæ Sacramentorum susceptionis, consequenter, si pro illis publica non sufficiat instructio, etiam illos privatim edocere.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I.—Titius pauper jam maturæ ætatis elegit in Patrinum Confirmationis Paulum divitem, a quo ingentem sperat eleemosynam; at quia Paulus est vix 15 natus, obstat Parochus tali electioni, et quidem cum magna Titii tristitia. Qu. An bene se gesserit Parochus?

Resp. affirm., quia paruit mandato Eminentissimi Archiepiscopi, qui in sua Notificatione edita 15 Septemb. 1732, præcipit absolute in Confirmationis ministerio executioni demandari, quod in Conc. Med. 5 fuit sancitum, et quantum spectat ad casum præsentem, ne juvenes senes teneant in Confirmationis Sacramento, cum (ea ratio Concilii) minime hoc per ætatem conveniat.

CAS. II.— Parochus de Concionibus habendis parum sollicitus omittit prædicare per integrum mensem. Qu. An lethaliter peccaverit?

Resp. affirm., quia integer mensis, et in se, et respective est materia gravis, ut aperte docet Leand. tr. 7, de Paroch. q. 15, ubi alios citat; quod sane est maxime rationi consonum, cum integer mensis relate ad quamcumque aliam materiam in praxi, ut pars notabilis, sicque ut materia gravis consideretur.

CAS. III. — Rusticus sæpe maledicit diei, horæ, ventis, pluviis, et hujusmodi. Qu. An peccet graviter?

Resp. regul. loquendo negat. Ratio est, quia regulariter Rustici non maledicunt ventis, pluviis, etc. quatenus Deus illis utitur ad nos puniendum, in qua hypothesi, cum esset indignatio contra Deum, esset peccatum grave, bene vero, quia venti, pluviæ, etc. solent illis aliquam molestiam afferre; quæ tamen, cum non sit justa causa maledicendi, nequeunt Rustici a veniali cul-

pa excusari, ut excusatur Job in suis maledictionibus, quia hæ processerunt, vel ex magnis calamitatibus, vel quatenus illa, quibus maledixit, fuerunt peccandi occasio. Ita communiter cum Cajet. 2, 2, q. 13, art. 1.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Mortuo Parocho, ejus Nepos invenit inter deposita sibi ab eo relicta, torquem aureum, sciens quidem esse vel Petri, vel Pauli, dubitans tamen, an sit determinate Petri, vel Pauli, cumque de hoc nequeat certificari, petit a novo Parocho, ad quem spectet torques aureus. Qu. Parochi responsio?

Resp., Parochum teneri respondere, pretium aurei torquis esse æqualiter dividendum inter Petrum et Paulum, ita cum Azor. t. 1, lib. 2, c. 15, § *Quinto quæritur;* ratio est, quia posito æquali dubio absque motivo potius ad unam, quam ad alteram partem impellente, et absque spe certitudinem habendi, ad quem determinate spectet torques aureus, æquale est jus ad illum in Petro, ac in Paulo, ut patet; unde absque læsione talis juris non potest Parochi Nepos potius Petro, quam Paulo torquem tradere, cum non sit rei dominus, sed simplex restitutor, qui juris æqualitatem tenetur servare, sic pretium torquis inter Petrum et Paulum dividere.

CAS. II. — Parochus sciens pueros et puellas suæ Paræciæ in Doctrina Christiana a parentibus instrui, non curat, ut Ecclesiam diebus festis accedant. Qu. An sit a peccato immunis?

Resp., esse immunem saltem a peccato lethali. Ratio est, quia cum docere Doctrinam Christianam pueros sit præcipuum munus Parentum et quodammodo Parochi sint ad hoc in eorum supplementum deputati, sequitur Parochum scientem a Parentibus pueros, et puellas suæ Paræciæ recte instrui in fidei rudimentis, quod est speciale intentum Ecclesiæ obligantis Parochos ad Doctrinam pueris explanandam, esse saltem a peccato lethali immunem, ut cum communi tenet Leand. tr. 7, de Pa-

roch. q. 2, Dico *saltem a lethali*, quia non curare, ut pueri, et puellæ, licet rite instruantur a Parentibus, ad Ecclesiam diebus festis accedant, vel ut magis in fidei rudimentis confirmentur, vel ut aliis exemplo sint, nequit in Parocho a quadam negligentiæ specie excusari.

CAS. III. — Petrus ruri existens non audit Sacrum diebus festis, quia per unum milliare ab Ecclesia distat. Qu. An peccet graviter?

Resp. affirm., attenta præcise dicta distantia. Ratio est, quia unius milliarii iter, licet debeat per reditum duplicari, non solet grave incommodum afferre, ratione cujus cesset erga Petrum Ecclesiasticum præceptum urgere; ita magis communiter, quidquid dicat Marchin. de ord. cap. 17, n. 19. Dixi præcise attenta distantia, quia si aliæ occurrant circumstantiæ, juxta illas erit judicandum, ut docet Suar. t. 3, in 3 part. disp. 88, sect. 6.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Parochus per duodecim festa interrupta intra annum omittit prædicare. Qu. An peccet graviter?

Resp. affirm. Ratio desumitur ex dictis in responsione ad secundum casum Augusti; si enim integer mensis continuus est materia gravis tum in se, tum respective, a fortiori talis essent duodecim festa interrupta intra annum; ita sentit Leand. loco cit. cum aliis, dicens Parochum peccare graviter per duos, aut tres menses discontinuos totius anni omittentem suis ovibus verbum Dei prædicare.

CAS. II. — Parochus putat satisfacere obligationi de Concionibus instituendis, si ante Vesperas populum doceat Catechismum. Qu. An bene sentiat?

Resp. negat. Ratio desumitur ex Tridentino; etenim sess. 5, de reform. c. 2, loquens de obligatione Conciones habendi, ait: *Quicumque Parochiales habentes Ecclesias, plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant, annuntiando, etc.* sess. vero 24, c. 4,

sermonem habens de obligatione docendi Doctrinam Christianam, hæc habet : *Iidem Episcopi saltem Dominicis, et aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, etc. diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt.* Ubi notandum est, Trid. agendo de Concionibus, dicere *plebes sibi commissas pascant annuntiando*; agendo vero de Doctrina Christiana, dicere *pueros fidei rudimenta*; ex quo diverso loquendi modo clare colligitur, obligationem Conciones habendi distinctam esse ab illa docendi pueros Doctrinam Christianam ; consequenter per hujus adimpletionem Parochum primæ non satisfacere.

CAS. III. — Titius quocumque dato verbo jurat, non advertens, aut distinguens, an juret verum, vel falsum. Qu. An quoties jurat, toties graviter peccet ?

Resp. negat. Ratio est, quia taliter jurans solum materialiter jurat, et proferre solet *per Deum ita est, per Deum ita non est*, nedum sine animo jurandi, sed ne quidem sciens jurare; unde nec jurat, nec lethaliter peccat, saltem toties præfata verba profert, ita cum meo Girib. de jur. c. 1, dub. 3, n. 21, debet tamen Confessarius totis viribus curare, ut malum pœnitentis habitum radicitus evellat, aliquando ei absolutionem differendo, donec resipiscat.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Parochus putat satisfacere obligationi docendi Doctrinam Christianam, si tale munus præstet per Capellanum. Qu. An bene sentiat ?

Resp. negat. Ratio est, quia sicuti non satisfaceret suæ obligationi, si vel totam curam alicui Vicario committeret, quem solum habere potest in Coadjutorem, vel si prædicationes totius anni per alios suppleret, cum id solum illi permittatur a Tridentino sess. 5, c. 2, si legitime fuerit impeditus ; ita, non existente legitimo impedimento, non satisfaceret obligationi docendi Doctrinam Christianam, si tale munus continuo per Capella-

num præstaret, cum ad illum, ut Pastorem, dirigantur verba Christi : *Pasce oves meas*, non ad Capellanum.

CAS. II. — Paulus sponsalia contraxit cum Berta coram testibus, postmodum clam votum simplex castitatis emisit. Qu. Ad quid teneatur ?

Resp., teneri matrimonium contrahere cum Berta pro matrimonio instante. Ratio desumitur tum ex quo in c. *Veniens qui Clerici*, *vel voventes*, Pontifex dicat imponendam esse pœnitentiam ob mentitam fidem fœminæ, quæ post contracta sponsalia votum castitatis emiserat, quæ pœnitentia non fuisset imponenda, si per votum castitatis sponsalia dissolverentur; tum ex quo votum in tali circumstantia non acceptetur a Deo, cum sit in præjudicium tertiæ personæ, cum qua sponsalia fuerunt contracta ; tum ex quo sponsalia jure positivo habeant quidem inhibitam conditionem, *nisi religionem elegero*, non vero *nisi voluero cœlibem vitam ducere* : unde cum Berta pro matrimonio instante tenetur Paulus sponsalia complere, matrimonium de præsenti contrahendo, ita magis communiter cum meo Rosignol. de spons. 1, prænot. 4 in 4.

CAS. III. — Petrus sæpe blasphemat contra Deum, contra B. V., contra Sanctos, et in Confessione hujusmodi blasphemias non distinguit. Qu. An satisfaciat integritati Confessionis ?

Resp. negat. Ratio est, quia saltem blasphemia contra Deum respective ad blasphemias contra B. V. et contra Sanctos, habet annexam circumstantiam notabiliter aggravantem intra eamdem speciem, hinc notabiliter variantem judicium Confessarii : quæ circumstantia cum ex alibi dictis sit in Confessione aperienda, sequitur, hac non expressa, ut in casu, confessionem non fuisse integram, ut requiritur. Dico saltem habere annexam talem circumstantiam, quia non desunt DD. penes Lugum de pœnit. disp. 16, n. 278, docentes differre specie nedum blasphemiam contra Deum a blasphemiis contra B. V. et Sanctos, sed etiam blasphemiam contra B. V. ab aliis contra Sanctos, in qua hypothesi certis-

simum esset Petrum integritati confessionis non satisfecisse.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Capellanus quidam noluit Petro proxime morituro Extremam Unctionem ministrare, quia carebat Stola. Qu. An bene se gesserit?

CAS. II. — Alter Capellanus noluit similiter ad mortem infirmo idem Sacramentum ministrare, quia licet haberet Stolam, carebat tamen Superpelliceo. Qu. An bene se gesserit?

CAS. III. — Parochus noluit sacro Oleo Infirmum ad mortem inungere, quia carebat tum Stola, tum Superpelliceo. Qu. Similiter an bene se gesserit?

Resp. probab. negat. Ratio est, quia vestes sacerdotales non requiruntur ad validitatem Sacramenti ministrandi a solo Sacerdote, aut ad vitandam aliquam irreverentiam erga Sacramentum; nam sicuti valida est absolutio data a Sacerdote sine talibus vestibus, licet nequeat dari nisi a Sacerdote, et nulla irreverentia irrogatur Sacramento Pœnitentiæ illud absque dictis vestibus ministrando, ita valide, et absque irreverentia ministrari potest Extrema Unctio sine Stola et Superpelliceo. Solum ergo requiruntur vestes Sacerdotales in collatione Extremæ Unctionis ad servandum ritum Ecclesiæ qui sane servandus est, nisi urgeat necessitas, ut in casu, in quo infirmus ab hoc mundo esset discessurus absque hoc Sacramento, et sic absque ejus fructu in mortis articulo maxime necessario, urgente vero necessitate posset non servari, si aliter nequiret ministrari: sicuti non servatur in simili circumstantia ritus quoad lumen, et quoad preces consuetas in Rituali præscriptas. Neque ex hoc potest inferri 1° ministrari posse, urgente necessitate, etiam Viaticum sine Stola, et Superpelliceo; 2° posse ministrari Extremam Unctionem sine Stola, etiam nulla urgente necessitate, cum sic ministretur pœnitentia. Non 1^{um}, quia Eucharistia est Sacramentum

Sacramentorum, ideo specialem exigit reverentiam. Non 2^{um}, quia quoad Extremam Unctionem adest in usu ritus ab Ecclesia præscriptus illam ministrandi cum vestibus sacerdotalibus, qui extra necessitatem servandus est; non sic habetur pro pœnitentia præscriptio semper utendi Stola in ejus ministerio; ideo, nulla urgente necessitate, Extrema Unctio cum vestibus sacerdotali bus; urgente vero, ut in casu, etiam absque talibus Indumentis ministranda est; unde non bene se gessit Parochus in casu tale Sacramentum ob Stolæ, et Superpellicei defectum non ministrando : Ita cum Poss. Leand. et aliis de Extrem. Unct.

CASUS CONSCIENTIÆ

BONONIENSIS DIOECESIS

PRESBYTERIS

AD DISCUTIENDUM PROPOSITI, AC RESOLUTI, AB ANNO 1738 USQUE AD 1740 ET ITERUM IMPRESSI.

ANNO MDCCXXXVIII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Solet Cajus in sacris constitutus Vesperas et Completorium recitare, dum vestibus se exuit, ut cubitum eat. Qu. An graviter peccet?

Resp. negat. Nam licet peccati gravis reus censendus sit, qui notabilem Divini Officii partem recitat distractus in illis externis rebus, quæ necessariam attentionem excludunt, uti sunt scribere, pingere, et similia; hoc tamen dicendum non est, quando externæ res, et actiones debitam non impediunt reverentiam, et attentionem, ut est vestibus se exuere, lavare manus, et hujusmodi : secus neque orationes recitandæ a Sacerdote dum manus abluit, et se sacris vestibus induit ut Missam celebret, congrue in Missali præscriberentur; neque laudabiliter fuisset statutum, ut nonnulli Religiosi viri, eo tempore, quo a lecto surgunt, et se vestibus induunt, B. M. V. Officium, aliasque preces recitent, quod tamen optime sancitum fuisse dicendum est. Cum tamen Cajus

noster soleat, ut inquit Casus, variare tempus a Rubricis pro debita horarum canonicarum recitatione præscriptum, sequitur ipsum a levi saltem culpa nequaquam posse excusari. Ita Suar. t. 2, de Rel. lib. 4, c. 26, n. 2. Rosignol. de Ord. art. 31. n. 3. Gavant. in rub. Brev. c. 5, sect. 1, tit. 6.

CAS. II.— Titius Domum suam Cajo vendens, dixit : Vendo tibi Domum meam pretio mille aureorum, si nunc mihi ea solvas ; vel mille et quinquaginta, si ea solvere cupis post annum. Qu. An talis contractus sit licitus ?

Resp. cum distinct. Si pretium mille et quinquaginta aureorum est intra latitudinem justi pretii Domus, ita ut mille constituant pretium medium, vel infimum ; mille vero et quinquaginta pretium supremum, dico Titii contractum licitum esse : nam sicut posset Titius aureos illos mille et quinquaginta statim exigere, ita potest exigere illos post annum ; eo præcipue quod potest venditor Domum suam vendere pretio supremo, cum sit dilata solutio ; et medio tantum, vel infimo contentus, quando statim eadem solutio fiat. Si autem aurei mille supremum Domus pretium constituunt, et ex eo solo titulo, quia scilicet solvi non debent, nisi post annum, Titius exigit pro pretio Domus mille et quinquaginta, contractus omnino illicitus est, quia idem est, ac si Titius mille mutuo daret, ut post annum quinquaginta supra sortem reciperet, in quo consistit usura, unde ab Innoc. XI, propositionem in n. 41, proscriptam habemus. Ita D. Thom. 2, 2, q. 78, art. 2, ad 7. Girib. de Contract. c. 2, n. 79. Gobat. t. 1, tr. 7, cas. 18, n. 568.

CAS. III. — Paulus nuptias cum juvene Seja contracturus, vellet Patrini munus in Sororis Sejæ Confirmatione subire. Qu. An licite, et aliquod ex tali munere matrimonii cum Seja impedimentum oriatur ?

Resp. Paulum non posse licite munus Patrini in Sororis Sejæ Confirmatione subire, quia juxta praxim Ecclesiæ, et ritum a Pontificali Romano præscriptum, neque Mas debet esse Patrinus Fœminæ, nec Fœmina

Maris, cum hoc minime ob sexus diversitatem conveniat. Si tamen Paulus tale Patrini munus subiret, nullum ex tali munere Matrimonii cum Seja oriretur impedimentum; cum spiritualis cognatio, de qua uni dubium esse potest in casu, oriatur quidem inter Patrinum et Confirmatum, hujusque Patrem et Matrem, non autem ad alios confirmati consanguineos extendatur, ut ex Trid. sess. 24, c. 2 de reform. matrim. videre est.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Conjugatus ipsa die, qua petiit copulam conjugalem, et quidem ob solam voluptatem, petit a Confessario facultatem accedendi ad sacram Synaxim, ut Indulgentiam lucretur. Qu. An talis accessus ratione dicti motivi sit concedendus?

Resp. affirmative. Quia quamvis opus conjugii ob solam voluptatem exercitum non careat omni culpa, et defectu veniali, ut constat ex damnata ab Innoc. XI sub num. 9, propositione, et pariter copula ex mera voluptate petita indicium sit animi parum ad res divinas dispositi, utpote quia ex tali actu magna soleat mentis distractio, et hebetudo oriri; adhuc tamen, cum ex una parte peccatum illud veniale possit de facili expiari, animusque ipsius conjugati virtute confessionis, vel aliorum piorum actuum possit in se ipso colligi, apteque ad sacram Synaxim disponi, et ex altera parte habeamus speciale lucrandæ Indulgentiæ motivum, dicendum est, petitam facultatem esse a Confessario concedendam. Hoc præsertim dicendum, si Indulgentia lucranda cum diei solemnitate conjuncta foret, cum talibus diebus ad Eucharistiam accedere maxime deceat. Ita Joannes Clericat. de Euchar. decis. 53, num. 15. Pala. de Euchar. punct. 5, num. 3. Suar. de Euchar. disp. 68, sect. 2.

CAS. II. — Confessarius formam sacramentalis absolutionis frequenter cum distractione voluntaria pronuntiat. Qu. An graviter peccet?

Resp. cum distinctione. Vel Confessarius, qui formam

sacramentalis absolutionis frequenter cum distractione voluntaria pronuntiat, advertit se aliquando in substantia formæ errasse, vel nunquam se errasse cognoscit. Si primum, dico, ipsum graviter peccare, quia distractiones voluntarias tali tempore admittens, irritationis periculo Sacramentum exponit, quod sine gravi culpa contingere nequit : Si secundum, assero nullam adesse rationem, propter quam ipse Confessarius culpæ lethalis reus censendus sit, cum purus attentionis defectus non importet carentiam alicujus requisiti ad Sacramenti valorem, sicuti importaret defectus debitæ intentionis; neque gravem irroget injuriam Sacramento, quando nullum imminet substantialis erroris in prolatione formæ periculum. Esset itaque Confessarius noster reus culpæ venialis, quia sancta sancte tractanda sine debita reverentia exerceret; secluso tamen super expresso periculo, ipsiusque Sacramenti contemptu, ut gravis culpæ reus damnandus non sit. Ita Sporer de Sacram. part. 1, c. 2, sect. 3, num. 157. Tambur. de Sacram. I, c. 2, § 1, num. 5 et 6. Gobat. t. 1, tract. 7, num. 17.

CAS. III. — Parochus cum occasione confessionis invenerit Cajum Doctrinæ Christianæ valde ignarum, recusat ejus matrimonio cum Berta contrahendo assistere, usque dum fiat instructus. Qu. An bene se gerat?

Resp. male se gerere. Ratio est, quia quamvis, cum juxta Synodum 5. Mediolanensem, tum juxta varia Decreta hac de re edita, sive sub Innoc. XII, an 1697, die 1 Junii, sive sub Clem. XI, an. 1715, die 15 Septemb. præcipiatur Parochis, ut explorato consensu pro sponsalibus requisito, non nisi sufficienter in fide, ac Doctrinæ Christianæ rudimentis instructos ad Matrimonium contrahendum admittant; omnes tamen istæ leges debent semper intelligi de mysteriorum ignorantia extra confessionem detecta, salvoque semper sacramentali sigillo, ut omnibus compertum est. Cum igitur in casu nostro dicatur, Caji ignorantiam occasione confessionis a Parocho fuisse detectam, et ratione prædictæ ignorantiæ Cajum a Parocho ad Matrimonium cum Berta contrahendum non admitti, Parochum male se gerere dicendum est :

quia cum injuria Sacramenti, fractione sigilli, et pœnitentis gravamine utitur notitia in Confessione recepta, quod absque gravissima culpa fieri nunquam potest. Ita cum Sanch. de Matrim. l. 3, disp. 15, n. 19. Barbosa de officio Paroch. c. 21, num. 3.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Pœnitenti se accusanti de furto decem aureorum, simulque dicenti vix posse sine sui infamia domino restituere, imponit Confessarius, ut dictam summam in Eleemosynas eroget. Qu. An hoc Confessarii judicium sit approbandum?

Resp. Si, examinatis circumstantiis, difficultas restituendi sine infamiæ nota auferri potest per hoc, quod restitutio fiat per intermediam personam, vel per aliquam creditori præstitam compensationem, approbandum nullatenus erit Confessarii judicium; quia, cessante amittendæ famæ periculo, urget semper restituendi præceptum obligans ad sumenda ea media, quæ ad satisfactionem creditori præstandam conducunt. Si autem vitari nequeat infamiæ periculum, et hoc non sit tantum ad aliquod tempus (in quo casu posset quidem debitor restitutionem differre, non autem ab illa per elargitionem Eleemosynæ liberari) sed perpetuum, in tali casu, cum nemo inferioris ordinis bona, ut sunt illa fortunæ, cum jactura bonorum superioris ordinis, ut sunt bona famæ, restituere teneatur, approbandum erit Confessarii judicium, obligationem restitutionis in illam Eleemosynæ commutantis, cum talis etiam creditoris voluntas rationabiliter præsumatur. Ita Anaclet. tr. 9, in Decal. q. 6, n. 107 et 108. Gobat. t. 1, tr. 7. n. 56. Navar. in Manual. c. 17, num. 57.

CAS. II. — Maritus voto castitatis ligatus putat sibi licere petere debitum, ne grave Uxori matrimonium reddatur, si ipse non petat. Qu. An talis petitio in casu vere sit licita?

Resp. Maritum voto castitatis obstrictum posse ali-

quando se ad usum conjugalem Uxori offerre, non quidem ut proprio appetitui morem gerat, sed gratia ipsius Uxoris, quæ fortasse etiam cum incontinentiæ periculo præ rubore non petit; in hoc enim casu petitio Mariti, ne grave reddatur Matrimonium Uxori, potius redditio est quæ proinde per emissum votum non prohibetur. Aliter tamen dicendum est, si uxor ipsa vovendæ castitatis facultatem viro concessit, aut saltem voti a viro suo emissi conscia sit; tunc enim petere debitum ad ipsam Uxorem spectaret, cum sciret viro suo vi emissi voti vetitam esse ipsius debiti petitionem. Ita Gobat. t. 1, tr. 10, num. 579. Sanchez. de Matrim. disp. 7, num. 1.

CAS. III. — Habet Titius duos filios, quorum ut unus ad sacros Ordines promoveatur, illi Castenetum, quo tota vivit familia, pro congruo patrimonio assignat. Qu. An tale patrimonium ut legitimum possit admitti?

Resp. negative per se loquendo. Ratio est, quia prædicti patrimonii designatio facta a patre in unius filii favorem, esset in præjudicium alterius fratris, qui portione legitimæ sibi debitæ privaretur, et in totius familiæ damnum, cum in casu, quo Clericus ordinatus vellet fructus omnes ex Casteneto provenientes sibi servare, sicuti posset, familia amplius, unde victum sumeret, non haberet. Cum autem legitimi patrimonii designatio sine alterius injuria, et læsione fieri debeat, talem nequaquam esse eam, quæ in casu nostro contingit, dicendum est. Dixi, per se loquendo, nam si Castenetum libere spectaret ad Patrem, et filius alter in perfecta constitutus ætate, una cum Patre juri suo cedens in favorem fratris, donationi portionis suæ legitimæ consentiret, dicendum esset filium Clericum, tamquam legitimo Patrimonio provisum posse ad sacros Ordines promoveri. Ita Girib. de Sac. Ord. c. 4, n. 65. Marchin. de Sac. tr. 2, c. 7, diffic. 3.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Sacerdos variis inquinatus impuritatibus,

dum ad Confessarium accedit, fingit se esse Laicum, voto tamen castitatis obstrictum. Qu. An valide confiteatur?

Resp. affirmative. Ratio est, quia juxta communiorem sententiam solemne castitatis votum essentialiter a simplici voto non differt, cum solemnitas addita voto speciem non mutet, sicut non mutat addita contractui, vel juramento : licet proinde Sacerdos, qui, dum confitetur, fingit se esse laicum, mentiatur, adhuc tamen, cum sufficienter exponat circumstantiam pro sacramenti valore aperiendam, nempe voti ligamen, sequitur ejus fictionem, atque mendacium, culpæ venialis rationem non egredi, sicque nullatenus Sacramenti valori obesse. Neque obstat, perfectionem a solemni voto importatam, majorem esse debere illa laici simplici castitatis voto obstricti, cum hæc major, vel minor perfectio per peccatum amissa, peccatum de una in alteram speciem non transferat, sed tantummodo plus minusve grave in eadem specie efficiat. Ita Pala. tr. 25, disput. unic. punct. 9, n. 6. Lugo. de pœnit. disp. 14, n. 149.

CAS. III. — Rusticus quidam juvenis, qui certus est se duodecies commisisse mollitiei peccatum, confitetur se tale peccatum decies, aut duodecies commisisse. Qu. An sacrilege confiteatur?

Resp. affirmative, nisi ignorantia eum excuset. Ratio est, quia certus de numero peccatorum lethalium nequit talem numerum sub dubio exprimere, cum ex Trid. sess. 14, c. 5, omnia peccata non solum in specie, verum etiam sigillatim, hoc est quantum ad numerum, prout dictat conscientia, sint aperienda. Qui autem certus est, se duodecies commisisse mollitiei peccatum, et confitendo dicit, se illud decies, aut duodecies commisisse, confitetur ut dubium peccatum, quod in ejus conscientia certum est, sicque sacrilege confitetur. Hoc tamen non dicerem, si quis numero certo adderet sub dubio majorem; difficile enim est, quod tunc pœnitens graviter coram Deo delinquat, cum ista additio tantummodo majoris securitatis studio fieri soleat, ex scrupulo, non ex malitia, ut in casu nostro contingit. Dixi : *Nisi ignoran-*

tia eum excuset; nam sæpe rustici propter eorum simplicitatem certum etiam numerum sub expressione numeri indeterminati sine culpa exponunt; quod proinde advertere debent Confessarii, ut numerum certum inquirant. Ita Anaclet. tr. 14, disp. 8, q. 2, n. 31. La Croix L. 6, part. 2, c. 167, n. 618. Suar. disp. 22. Sect. 5, n. 38.

CAS. III. — Concionator ipsa die, qua publice loquitur contra lethale peccatum, lethali peccato obnoxius reperitur. Qu. An concionando scienter in tali statu novum peccatum committat?

Resp., per se loquendo nullum peccatum saltem grave committere. Ratio est, tum quia nullum habetur præceptum divinum, aut humanum obligans sub lethali concionatores, ne verbum Dei in statu peccati lethalis populo exponant; tu quia actus concionandi non assumitur ut immediatum sanctificationis nostræ instrumentum, sicuti assumitur confectio Sacramentorum; ideoque non videtur tanta irreverentia actum illum in lethali exercere, ut, qui sic illum exercet, damnandus sit culpæ lethalis. Dixi *per se loquendo*, nam per accidens fieri potest, ut, si vel prædicti concionatoris peccatum publicum sit, vel ideo nihil ducat in statu peccati concionem suam habere, quia Verbum Dei, ejusque fructum contemnat; ipse concionator ratione scandali, vel contemptus, gravem injuriam Scripturæ, et Evangelio inferat, sicque novæ culpæ lethalis reus fiat; et in hoc sensu intelligi potest Angelic. in comment. supra illa verba Psal. 49. *Peccatori autem dixit Deus*, etc. ita Suar. tom. 4, in 3, part. disp. 16, sect. 3.

MENSE MAII.

CAS. I. — Sacerdos Missam celebrare solet sine Crucifixo sub oculos posito, parva cruce in Tabernaculi Ostiolo depicta contentus. Qu. An absque culpa?

Resp. non vacare culpa saltem veniali. Ratio est, quia juxtæ Missæ Rubricas, quas per se violare absque culpa saltem levi non possumus, Crux tempore Missæ inter

Altaris candelabra collocanda præscribitur his verbis : *Super Altare collocetur Crux in medio, Candelabra saltem duo*, part. 1, tit. 20, num. 1 et hoc ad repræsentandum Altare Crucis, in quo Christus se ipsum obtulit Patri ; clarum autem est, Crucem a Rubricis præscriptam non illam esse, quæ in Tabernaculi Ostiolo depicta videtur ; eo vel maxime, quod, sive ex Episcop. Cæremon. L. 2, c. 12, sive ex ipsa praxi, et consuetudine Ecclesiæ edocemur, Crucem in Altaris ornatu pro Missa inservientem cum Crucifixo esse debere, quod cum nullatenus de Cruce in Ostiolo Tabernaculi depicta verificetur, sequitur Sacerdotem hac parva depicta Cruce tempore Missæ contentum, a levi saltem culpa non esse immunem. Ita cum Gavant. part. 1, in rub. Missal. tit. 20, de Lugo disp. 20, de Eucharistia sec. 2, n. 79.

CAS. II. — Capellanus a Parocho reprehenditur, quia in Missa post Calicis sumptionem solet aqua loco vini Calicem purificare. Qu. An detur in casu reprehensionis motivum ?

Resp. affirmative : Nam Innoc. III, in cap. *ex parte* de celeb. Miss. inquit : *Respondemus, quod semper Sacerdos vino purificare debeat, postquam totum acceptavit Eucharistiæ Sacramentum.* Item S. Pius V, in ep. ad Episc. Taracon. die 8 Januarii 1571, assignavit quantitatem vini pro purificatione Calicis adhibendam. Denique Rubrica Missalis part. 2, tit. 10, num. 5, præscribit, quod Sacerdos ministro vinum fundente se purificet, deinde vino et aqua digitos super Calicem abluat. Cum autem ex his clare appareat Capellanum non sine culpa loco vini Calicem purificare, jure merito a Parocho reprehendi dicendum est. Ita cum Azor. p. 1, L. 12, c. 20, q. 7. Tamb. de sacrif. Missæ L. 4, c. 9, n. 3. Pasqualigo q. 209, n. 2. Gavant. in rubr. Miss. par. 2, tit. 10, n. 5.

CAS. III. — Parochus Capellanum habens valde eruditum, et pium, onera Parochi sustinentem, orationi tantum, propriæque quieti indulget. Qu. An ita se gerens in conscientia sit tutus ?

Resp. negative. Sicuti enim Parochus non est in conscientia tutus, quando legitime non impeditus munus prædicandi Verbum Dei per Capellanum exercet, cum hoc nisi in casu legitimi impedimenti ipsi Parocho non permittatur, ut Trid. sess. 5, c. 2, videre est; multo minus erit in conscientia tutus, quando generatim onera ipsi incumbentia, nullum habens legitimum impedimentum, Capellano exercenda relinquat. Neque refert Capellanum esse valde eruditum, et pium, magisque ipsum Parochum orationi, suæque quieti indulgere; nam ad Parochum ut animarum Pastorem, non ad Capellanum, qui tantum adjutor est, loquitur Christus, dum dicit: *Pasce oves meas*: ex quibus verbis infertur, Parochum orationi tantum, et quieti incumbentem in conscientia tutum non esse, cum, ut suo muneri satisfaciat, labori, et orationi, prout opus est, incumbere debeat.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Diaconus, absente Parocho, ex præsumpta ipsius licentia, Puerum in Ecclesia Parochiali solemniter baptizavit. Qu. An peccaverit, et aliquam pœnam incurrerit?

Resp. affirmative, quoad utramque partem. Ratio primæ est, quia licet Diaconus ex sibi commissa per Parochum facultate baptismum solemniter conferre possit, cum ad hoc sit ordinatus, ut in Sacramentorum ministerio Sacerdoti inserviat; adhuc tamen si, prædicta commissione non existente; solemniter baptizat, cum sibi jurisdictionis actum usurpet, ad quem non est ordinatus, gravi culpa non vacat. Ratio secundæ partis desumitur ex dispositione legis in cap. 1, *de Clerico non ordinato ministrante*, in quo habetur, quod si quis baptizaverit non ordinatus, irregularitatis pœnam incurrat. Censeo tamen, quod si prædicta facultas non in simplici futuro consensu, vel ratihabitione Parochi fundaretur, sed in talibus signis, quæ ipsius Parochi consensum præsentem manifestarent, ut contingeret, si Parochus jam alias significasset talem solemnem Baptismi administrationem

per Diaconum sibi gratam fore, tunc Diaconus sic baptizans ab omni culpa, et pœna remaneret immunis. Ita cum Salmatic. in Cursu morali c. 4, n. 20. Suar. de bapt. disp. 31, sect. 4. Girib. de bapt. c. 3, n. 8.

CAS. II. — Sacerdos ante celebrationem recordatur unius lethalis in ultima confessione obliti, et propter instantem necessitatem, absque nova confessione celebrat. Qu. An tenetur confiteri quamprimum?

Resp. affirmative. Ratio est, quia de Sacerdote nostro verificatur casus Concilii Trid. sess. 23, c. 7, nempe quod, instante necessitate, Missam celebret absque illius peccati confessione, quam, si posset, præmittere ex divino præcepto ante eamdem Missam deberet. Ecclesiasticum enim præceptum confitendi quamprimum post Missam extenditur ad omnem casum, in quo dicta confessio ex divino præcepto ante Missam præmitti deberet, et propter urgentem necessitatem præmitti nequaquam potest. Cum autem certum sit, quod, quando ante Missam recordamur alicujus gravis peccati in ultima confessione obliti, tenemur prius, quam ad Altare accedamus, ipsum peccatum, licet indirecte absolutum, clavibus subjicere, ut de eodem directe absolvamur; hinc est, quod, urgente celebrandi necessitate absque prædicti peccati prævia confessione, quamprimum post Missam ad eamdem confessionem tenemur. Ita Card. de Lugo disp. 14, sect. 7, n. 151. Girib. de Euchar. c. 9. n. 38.

CAS. III. — Medicus vocatus ad invisendum infirmum gravi morbo laborantem, nullo facto verbo cum ipso Infirmo, ut per Pœnitentiæ Sacramentum animæ suæ consulat, de hoc tantum ipsos Infirmi parentes monet. Qu. An sit a culpa immunis?

Resp. Vel Medicus præcise monet Infirmi parentes, nec aliam sollicitudinem habet, ut certus fiat, an Infirmus animæ suæ jam consuluerit; vel certo credit ejus monitum perventurum ad aures Infirmi, ita ut paratus sit per se ipsum clare loqui ad infirmum, si ejus parentes præstare hoc negligant. Si primum: dico ipsum Medicum a gravi culpa non excusari, cum satis non

obediat Decretis sive Concil. Later. sub Innoc. III, cap. *Infirmitas* de pœnit. et remiss. sive sancti Pii V, in Bulla quæ incipit *Super gregem*, per quam sub gravissimis pœnis præcipitur, ut omnes Medici, cum ad Infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, ut idoneo Confessori confiteantur; neque tertio die ulterius eos visitent, nisi eis constiterit, quod infirmi peccata sua confessi fuerint, quamque Bullam ipsi Medici, dum ad Doctoralem Lauream promoventur, se observaturos jurant. Si vero dicatur secundum, dico ipsum Medicum esse ab omni culpa immunem, ex illa regula : *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur*. Ita Card. de Lugo de Sacram. pœnit. disp. 15, sect. 3, n. 38. Diana tom. 1, tr. 3, resol. 198, n. 3. Homob. de stat. part. 2. c. 8.

MENSE JULII.

CAS. I. — Vir nobilis podagra detentus in Domo sua rurali non curat, sicuti potest, ad Sacrum diebus festis audiendum, ut in privato ipsius Domus Oratorio celebretur. Qu. An possit a peccato excusari ?

Resp. affirm. Ratio est, quia Ecclesiæ præceptum tantum modo obligat Fideles ad audiendam Missam in Ecclesia, vel alio publico loco ad cultum publicum Deo deferendum electo; unde licet possit vir nobilis uti privilegio audiendi Missam in privato domus suæ Oratorio, verisimilius tamen est, quod non teneatur, præsertim si stipendiarium quærere Sacerdotem oporteat; quia nemo uti suo privilegio cogendus est, secus quod in alicujus favorem conceditur, in ejus onus converteretur. Hac ratione, licet possit quis vespere præcedenti recitare Matutinum diei sequentis, ad hoc non tenetur, etiamsi pro die crastina impedimentum prævideat. Ita cum Diana part. 9, tr. 1, resol. 19, Homob. de cas. consc. vol. 1, respons. 42, Gobat. t. 1, tr. 3. n. 255.

CAS. II. — Titius tempore Sacri de præcepto audiendi deliberato animo impuras fovet cogitationes. Qu.

An præcepto satisfaciat, et temporis circumstantia sit in confessione aperienda?

Resp. quantum ad primum. Titium præcepto audiendi Sacrum non satisfacere, si tempus, quo deliberato animo impuras fovet cogitationes, sit tempus notabile; cum etiam pura distractio voluntaria in cogitationes indifferentes, si sit diuturna, attentionem illam auferat, quæ una cum actu externo audiendi Sacrum præcipitur in cap. *Dolentes de celeb. Miss.;* si vero dictis cogitationibus deliberate fovendis tempus modicum insumatur, erit quidem adhuc grave peccatum in specie luxuriæ, sed cum leve sit in ordine ad præceptum Sacri devote audiendi, eidem præcepto satisfacere dicendum est. Quantum ad secundum dico, circumstantiam hanc temporis non esse necessario in confessione aperiendam; licet enim majorem quamdam deformitatem cum recta ratione importent deliberatæ turpes cogitationes habitæ Missæ tempore, utpote specialiter ad cultum Dei dicato, et ratione hujus circumstantiæ aliquam etiam contra religionem malitiam contrahunt, adhuc tamen hæc nova malitia necessario in Confessione aperienda non est, cum venialis terminum non excedat, nisi directe ex temporis ipsius Sacri contemptu procedat. Ita Suar. t. 1, de relig. l. 2, c. 28, n. 16. Cassian. a S. Elia. V. circumstantia, n. 106.

CAS. III. — Capellanus ruralis vocatus die festo a nobili fœmina ad celebrandum in privato Oratorio, sciens ibi tali die jam aliud Sacrum esse peractum, ire recusat. Qu. An bene se gerat?

Resp., Capellanum bene se gerere. Ratio est, quia in Oratorio privato unicam dumtaxat Missam in die celebrare licitum est juxta Pontificiæ concessionis tenorem; et proinde si quis scienter Missam alteram celebraret, vel ad celebrandum induceret, gravi peccato obnoxius fieret, quia prædictum Oratorium respectu secundæ, et tertiæ Missæ est locus omnino ineptus, utpote pro eisdem nullatenus approbatus. Et hoc valet, etiamsi nobilis fœmina primam Missam in die festo non audivisset,

neque e domo egredi ad aliam audiendam posset, nam cum absolute unica tantum Missa in Oratoriis privatis permissa sit ut constat etiam ex declaratione Clement. XI, sub die 15 Decemb. 1703, ipsa necessitas audiendi Missam in die festo non erit motivum sufficiens, ut Missa altera celebretur. Ita Girib. de Sacrif. Missæ c. 8, §. 6, n. 29.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Vidua quædam puerum bimulum solet secum ducere tempore Missæ, cum non habeat, qui illum domi custodiat; sed iste modo flens, modo cadens, modo clamans, et Matrem, et alios perturbat. Qu. An præstet, ut Mater in casu Sacrum etiam in die festo omittat?

Resp. præstare, ut ipsa Mater in casu Sacrum etiam in die festo omittat. Tum quia reverentia debita loco sacro et Sacrificio, quodque in eo offertur, postulat, ut puer domi remaneat, quando sine debita quiete, et decentia nequit in Ecclesia custodiri: tum quia Sacri auditio non est necessario procuranda, quando notabilis aliqua perturbatio, sive propria sive aliena, intervenit. Cum igitur ex terminis exposita casus, bimulo modo flente, modo cadente, modo clamante, reverentia Ecclesiæ et Sacrificio debita non salvetur, et magna perturbatio sive matrem, sive alios cruciet, dicendum est, præstare, ut Mater, si non habet, qui bimulum domi custodiat, cum suo bimulo domi remaneat, et Sacrum etiam in die festo omittat. Ita Gobat. §. 1, tr. 3, cas. 14, n. 318.

CAS. II. — Dubitat Famula, an satisfecerit præcepto audiendi Sacrum, cum fere totum Sacri tempus in confessione peccatorum facienda insumpserit. Qu. A Parocho dubii solutio?

Resp. famulam præcepto audiendi Sacrum nequaquam satisfecisse. Ratio est, quia licet, dum quis confitetur, præsens sit corpore, et possit esse simul mente, habendo eodem tempore intentionem audiendi Sacrum,

adhuc tamen, cum Ecclesia ex una parte attentam Missæ auditionem per modum orationis præcipiat, et ex altera, qui in enarrandis peccatis, et audiendis opportunis Confessarii consiliis tempus insumit, vere dici nequeat, quod Missam attente audiat, eidemque Missæ per modum orantis assistat, famulam in casu nostro nequaquam præcepto de audiendo Sacro satisfecisse dicendum est, et ita ad propositi dubii solutionem debet Parochus respondere cum Rosig. de Missa audienda art. 18, n. 9. Lugo disp. 22, sect. 2, n. 22. Girib. de observat. Fest. t. 8, c. 2, n. 34.

CAS. III.— Parochus ruralis nova sacra Indumenta defert ad Superiorem Conventus S. Francisci non multum a Paræcia sua distantis, ut ab illo benedictione donentur. Qu. An bene se gerat?

Resp. negat. Tum quia regularis Superior nullo jure potest sacra Indumenta ad ipsum aliunde delata benedictione donare, ut constat ex decreto Alexand. VIII sub die 27. Septemb. 1659. in quo sub §. 18, de Prælatis Regularibus, habentur hæc Verba : *Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel monasteriorum benedicant :* tum quia juxta rescriptum sacræ Rituum Congregationis sub die 17 Januar. 1733, ad instantiam Eminentissimi Archiepiscopi nostri Prosperi Lambertini emanatum, ut ex ejusdem Notif. 20, volum. 1, apparet, pro dicta Indumentorum sacrorum benedictione in hac Diœcesi delegati remanent Vicarii foranei, sicque, si Parochus noster aliqua indiget benedictione, ad proprium Vicarium, non ad S. Francisci Conventus Superiorem nova sacra Indumenta deferre debet, ut bene se gerat.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Numerum certum peccatorum ignorans confitetur Titius se vicies, aut circiter perjurasse, inde post Confessionem liquido deprehendit se perjurasse tricies. Qu. An hunc excessum teneatur in nova Confessione aperire?

Resp. teneri. Licet enim ex communi doctrina non sit de novo exponendum unum, aut aliud peccatum, quod certo dignoscatur post confessionem, si, præmisso sufficienti examine, incertus peccatorum numerus cum illa particula, *circiter*, expositus fuit, quia per additionem dictæ particulæ etiam ille major numerus videtur sufficienter expressus : si tamen post Confessionem menti occurrat numerus peccatorum notabiliter excedens numerum incertum in Confessione expressum, oportet eum iterum manifestare, quia dici nequit, quod per additionem illius particulæ *circiter*, sufficienter expositus fuerit. Imo addendum hunc excessum in numero peccatorum, qui post Confessionem in memoriam cadit, non obscure indicare contigisse defectum etiam mediocris diligentiæ in discussione conscientiæ, sicque integram præteritam Confessionem utpote invalidam fore. Ita cum Gobat. tr. 1, tr. 6, n. 420. Lugo disp. 16, n. 79. Girib. de pœnit. tr. 7, c. 7, n. 17.

CAS. II. — Cum quodam die festo in Ecclesia rurali non reperiatur, nec aliunde pro tunc possit haberi hostia consueta pro Sacrificio, dubitat Sacerdos, an sit minus malum Missam relinquere, vel cum parva formula celebrare. Qu. Quid in casu agendum?

Resp. Sacerdotem debere cum parva formula celebrare. Ratio est, quia licet, nulla urgente rationabili causa, non sit recedendum a consuetudine, quæ juxta Card. Bona L. 1, rerum liturg. c. 19. Sæculo XI inclinante introducta fuit, celebrandi cum hostia consueta, adhuc tamen, quando urget rationabilis causa, ut est illa audiendi Sacrum in die festo, potest sine hæsitatione a consuetudine prædicta recedi, quia nec ullum adest Ecclesiæ præceptum hoc vetans, nec ipsa introducta consuetudo in omni eventu ad eam servandam nos obligat, cum æqualiter in hostia majore, et minore Sacrificium perficiatur. Quod si ex usu minoris formulæ aliqua populi Missam audituri admiratio prævideatur, idem populus de casu præmonendus erit, et sic omnis offensio, et admiratio cessabit. Ita cum Tambur. de sacrif. Missæ L. 2, c. 8, §. 8, n. 16. Pasqual. de sacrif. Missæ q. 211, n. 2. Gobat. t. 1, tr. 3, n. 46.

CAS. III. — Interdictus ab ingressu Ecclesiæ propter violationem præcepti Communionis Paschalis Missam frequenter audit in Oratorio privato. Qu. An sine peccato, et violatione interdicti hoc fieri possit?

Resp. affirm. Ratio est, quia peculiare interdictum, quo puniuntur, qui præcepto Communionis Paschalis, quamvis pluries admoniti, obedire detrectant, privat quidem omni participatione divinorum in Ecclesia; ita ut sic interdictus nec celebrare, nec dare, aut recipere Sacramenta, nec aliquod ministerium sacrum exercere, nec Missam, aut aliquod officium divinum audire in ea possit sine gravi peccato, et violatione interdicti; extra Ecclesiam tamen ea omnia, quæ licita erant ante hanc censuram, licita remanent etiam post ipsam. Hinc cum nomine Ecclesiæ, in odiosis præsertim, non veniat Oratorium privatum juxta regulas 15 et 26, juris in 6, potest sic interdictus absque ulla culpa, et interdicti violatione, Missam in Oratorio privato audire; sicut Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et hujusmodi, si dispositus sit, sumere potest. Ita cum Suar. de censur. disp. 35, sect. 4.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Villicus antequam triticum in area dividatur, exigit, ut tota tritici massa cribretur expensis communibus, Domini scilicet agrorum, et Conductoris; quod tamen ægre fert ipse Conductor. Qu. An Conductor possit sibi pro damno, si quod patitur, in bonis Domini compensare?

Resp. cum distinctione. Vel agrorum Conductor consensum præbet, ut expensis communibus cribretur triticum, antequam in area dividatur, licet intra se aliquo modo hoc ægre ferat, vel ostendendo se invitum, veluti coacte, et propter metum majoris damni, ad tales expensas concurrit. Si primum, dico locum non esse compensationi, etiamsi ipse Conductor damnum aliquod experiatur, quia ipsi utpote consentienti nulla injuria facta est. Si secundum, dico Conductorem licite posse

sibi pro damno, si quod necessario ex tali facto patiatur, in bonis domini compensare, quia injuste in rebus suis læso, debitis servatis conditionibus, competit compensatio. Dixi, si quod damnum necessario ex tali facto patiatur; si enim per usum ordinariæ industriæ posset adhuc fieri indemnis, non necessario ex Villici facto, sed ex propriæ industriæ defectu damnum pateretur, sicque ad res Domini pro compensatione confugere licitum ipsi non foret. Ita etiam quoad substantiam Doctores communiter.

CAS. II. — Plaustrum vini, cujus pretium currens erat quadraginta librarum, Petrus emit a Paulo pretio librarum triginta quinque, eo quod per duos menses traditionem ipsius vini expectare deberet. Qu. An iste contractus in conscientia sit tutus?

Resp. Ut licitum sit merces minoris emere, quam actu valeant, debet Emptor aliquem justum titulum sic minoris emendi habere, ut contingit, dum ex anticipata solutione sequitur lucrum cessans, damnum emergens, periculum non habendi rem emptam, vel non habendi sinceram, vel quod tempore tradendæ mercis pretium futurum sit illud idem, quod ante tale tempus persolvitur; nullo enim ex his, aut similibus titulis interveniente, injustitia, et palliata usura committitur, cum ex quo quis præcise per aliquod tempus sua pecunia privetur, non recepta merce, lucrum in solutione minoris pretii exigat, quod licite fieri nequaquam potest, factumque restitutioni obnoxium est. Cum autem non alia causa assignetur, propter quam Petrus emat a Paulo pretio triginta quinque librarum plaustrum vini, cujus pretium currens erat quadraginta librarum, nisi quia per duos menses ipsius vini traditionem debeat expectare, ut ex terminis casus videre est, patet, talem contractum in conscientia tutum non esse. Ita communiter cum Girib. de contract. tr. 3, c. 2, n. 85.

CAS. III. — Ruralis Parochus prohibuit, ne in publico Oratorio intra fines suæ Paræciæ Missa celebretur diebus festis ante Parochialem, quod ægre tulerunt plurimi ex Parochianis. Qu. An justa sit Parochi prohibitio?

Resp. Cum sacra Congregatio pluries decrevit, Ordinarium sancire posse, ne diebus festis Missa in Oratoriis publicis celebretur ante Parochialem, ut refert Illustrissimus, ac Reverendissimus Braschi in suo promptuario Synodali c. 107, n. 23, et 24, si Parochi prohibitio innixa est Episcopali decreto, aut alicui Synodali constitutioni, dicendum est, justam esse Parochi prohibitionem, cum ad eumdem spectet curare, ut in ejus Paræcia Superiorum decreta, et Parochialia jura in suo vigore permaneant : si autem parochi prohibitio præcise ab ipso promanat, dicendum est, eamdem prohibitionem nullo jure subsistere, cum eadem sacra Congregatio censuerit, Parochum ex semetipso facere non posse prædictam prohibitionem, ut pariter ex Decretis 28 Januar. 1640 et 27 Junii 1641, apparet. Hinc cum Eminentissimus Archiepiscopus noster expresse mandaverit 2 Augusti 1755, ut in publicis Oratoriis ruralibus ultra milliarium a Parochiali Ecclesia non distantibus Missa ante Parochialem non celebretur ; in aliis vero ultra milliarium distantibus etiam ante Parochialem valeat celebrari, dicendum est quod in hac Diœcesi juxta Oratorii qualitatem Parochi prohibitio justa, vel injusta censenda est.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Titius ruralis Sacerdos, cum quadam die non invenisset, qui ejus Missæ inserviret, relicta Missa, se ipsum devotionis causa propriis manibus sacra Synaxi refecit. Qu. An laudanda sit talis devotio?

Resp., per se loquendo laudari non posse. Ratio est, quia licet hic usus se reficiendi propriis manibus sacra Synaxi, qui antiquitus in Ecclesia viguit, ut ex innumeris Ecclesiasticæ historiæ monumentis apparet, nulla scripta lege prohibitus sit, adhuc tamen, cum multis abhinc sæculis talis usus in Ecclesia cessaverit, et opposita vigeat consuetudo, quam infringere per se loquendo non licet, dicendum est, devotionem Sacerdotis nostri seipsum devotionis causa sacra Synaxi reficientis nequaquam

posse per se loquendo laudari. Dixi, per se loquendo, nam si dies occurrat vel magnæ indulgentiæ, vel Sancti alicujus, quem maxime talis Sacerdos soleat venerari, ex his, vel alio simili gravi motivo Sacerdotem nostrum in casu, quo omnis alius desit Sacerdos, a quo sacram sumat Eucharistiam, eamdem posse e sacro Vase sumptam sibi laudabiliter propria manu porrigere dicendum est. Evitari tamen debet in casu proximi admiratio : quod de facili fieri potest vel per hoc, quod prædicta Eucharistiæ receptio fiat a Sacerdote januis Ecclesiæ clausis, ita ut alius nemo sit præsens ; vel per hoc, quod si qui sint adstantes, eos Sacerdos moneat, ne admirationis occasionem sumant, si quod casu ei licitum est, ipsum facere intueantur. Ita cum Suar. t. 3, in 3 p. disp. 72, f. 3. Homob. de exam. Eccles. p. 1, tr. 4, c. 11. Girib. de Euchar. c. 6, n. 7.

CAS. II. — Monita sæpe sæpius Caja lactans, ne in lecto teneat Infantem sine debita cautione, non emendatur, et quodam mane Infantem in lecto mortuum invenit. Qu. An possit a simplici Confessario absolvi?

Resp. affirm. Ratio est, quia licet Caja Infantem ante completum annum in lecto retinens sine debita cautione ipsum exposuerit suffocationis periculo, quod ex natura sua grande periculum est, et sub excommunicationis ferendæ censura, l. 2, c. 4, in Diœcesana Synodo vetitum, et ulterius rea sit suffocationis secutæ, cum ipsam suffocationem utpote sæpius admonita, prævidere deberet, et præcavere; adhuc tamen, cum ex terminis casus habeamus, ipsam Cajam quidem mane Infantem in lecto mortuum invenisse, non autem ipsum Infantem data opera, et præmeditato malo animo occidisse, nequit dici casum hunc sub reservationem venire homicidii voluntarii, studioseque patrati, de quo unice dubitare possemus; et consequenter ipsam Cajam a quocumque simplici Confessario absolvi posse dicendum est. Quod si attente, ut par est, advertent plures simplices Confessarii, non ita facile cogent pœnitentes mulieres ad subeundum plurium aliquando milliariorum iter, ut ad Pœnitentiarios pro absolutione obtinenda accedant.

Ita cum Homob. de cas. reserv. part. 2, cas. 3, except. 13. Girib. pœnit. c. 15, n. 65.

CAS. III. — Parochus sciens Titium, qui ad Parochialem Ecclesiam confugit, reum esse proditoriæ occisionis, eum petentibus laicalis curiæ ministris, nullo facto verbo, concedit. Qu. An stante certa scientia proditionis bene se gesserit?

Resp. negat. Quia licet reus proditoriæ occisionis Ecclesiastica immunitate non gaudeat, ut constat tum ex jure communi *in cap.* 1, *de homicidio*, tum ex Bulla Greg. XIV. juxta illud Exod. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur.* Extractio tamen a loco immuni fieri nequit nisi auctoritate Judicis ordinarii Ecclesiastici, et interventu personæ ab eodem Judice deputatæ, ut in Congregationibus sub Clem. IV et Benedict. XIII, sancitum est. Si igitur Parochus Titium, qui ad Parochialem Ecclesiam confugerat, laicalis curiæ ministris, nullo facto verbo, concessit, etiam stante certa scientia circa patratam a Titio proditoriam occisionem, male se gessit, ut ex disertissima Instructione, quam de hac re edidit Eminentissimus Archiepiscopus noster sub die 25 Ap. 1735. satis fuse apparet.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Cajus emit a Titio Domum ea conditione, ut, quandocumque voluerit, ipse Cajus possit pretium, quod dedit, repetere, et restituere Domum. Qu. An iste contractus sit validus?

Resp. affirmative. Ratio est, quia nullo jure prohibitum est, ne pactum in emptione ponatur, quod in Venditoris gravamen, et Emptoris favorem vertatur, si gravamen Venditori impositum majori pretio compensetur. Tale enim pactum nullam usuram continet, cum in casu non interveniat purum mutuum, sed vera emptio, ut clare colligi potest ex eo, quod si Domus pereat, perit Emptori, et si iste nolit retrovendere Domum, nequit repetere pretium; qua de re dici nequit, Cajum dedisse

mutuo pretium Titio cum facultate illud recuperandi pro libito, acceptis interim supra sortem fructibus, cum isti vere ipsi Cajo tamquam Domino Domus debiti sint. Ita cum Rosignol. de contract. prænot. 4, contr. 2, n. 1, et seq. Azor. part. 3, instit. mor. l. 8, c. 12.

CAS. II. — Petrus uxoratus patrat adulterium, inde, mortua Uxore, petit ad sacros Ordines promoveri. Qu. An tali promotioni aliquod obstet impedimentum?

Resp. negative. Ratio est, quia dici nequit Petrum in casu Bigamum esse bigamia interpretativa, et fictione juris, de qua dubitari unice posset; cum neque dicatur duxisse in matrimonium viduam, seu corruptam, neque secundum matrimonium, etiamsi invalidum, contraxisse. Cum itaque mulier, quam, durante matrimonio, Petrus ex adulterio cognovit, non fuerit ab ipso cognita affectu maritali saltem apparenti, et externe tali, dicendum est, nullam incurrisse irregularitatem, per quam, soluto matrimonio, a suscipiendis ordinibus arceatur, cum ista irregularitas pro simplici uxorati adulterio expressa in jure non habeatur, ut *in cap. Nuper, et cap. Debitum de bigam*, perspicuum est. Ita cum Silvest. V. Bigamia n. 1, Cassian. a S. Elia V. Bigamia. n. 17.

CAS. III. — Duo Parochi valde vicini, quorum subditi in parvo numero sunt, frequenter, nulla facultate petita, ab eorum Paræciis per aliquot dies absentes fiunt; modo uno, modo altero absentis vices supplente. Qu. An sine culpa hoc fieri possit?

Resp. negative. Nam frequenter a Paræcia abesse est contra Parochorum statum, qui Residentiæ obligationem importat, ut ex Trid. et contra expressam Superiorum mentem, qui proinde variis pœnis absentes sine debita facultate perstringunt. Si igitur absentia ultra triduum esse non debet, licentia in hac Diœcesi a Vicario foraneo, et pro ipso a Parocho seniore in scriptis obtenta esse debet; si ultra triduum, ab Ordinario, vel ejus Vicario Generali, ut Eminentissimus Archiepiscopus noster in Instructione a se edita sub die 6 Martii 1755, apte præcipit, ac disponit, cum neque parvus numerus sub-

ditorum, neque supplementum Parochi vicini, sive alterius substituti, sine obtenta in scriptis debita facultate a residentia excusent, vel reddant absentes a culpa, et pœnis immunes, ut ex pluries datis sacræ Congreg. Decretis, in super laudata Eminentissimi nostri Instructione videre est.

ANNO MDCCXXXIX.

MENSE JANUARII.

CAS. I.— Obstetrix partui assistens, videns Infantem vix natum morte periclitari, digito in aqua lustrali madefacto cum in fronte signat, dum Baptismi formam profert. Qu. An necesse sit prædictum baptisma sub conditione iterari ?

Resp. affirmative. Quocumque enim modo conferatur Baptisma ex tribus, quibus valide conferri potest, tanta semper aquæ copia requiritur, quantumvis parva, ut de ipsa certo verificetur, quod supra corporis partem, quam tangit, aliquo modo decurrat, et fluat, cum sine hoc fluxu ablutio per baptismi formam significata nequaquam possit haberi. Cum autem per digitum in aqua lustrali madefactum, qua Obstetrix infantis frontem signat, non habeatur certo ea aquæ quantitas, quæ ad dictum fluxum desideratur, eo quod tale signum in minima etiam guttula perfici queat; hinc ne Infans, dubio remanenti Sacramenti valore summi irreparabilis damni periculo exponatur, iterum sub conditione baptizandus est. Ita cum Suar. de bapt. disp. 20, sect. 2. Rotar. p. 3, apparat. 3. 4, n. 10. Roncag. tr. 2, c. 2, n. 11.

CAS. II. — Berta, quæ voto simplici castitatis ligata matrimonium cum Titio contraxit, scit Titium maritum suum adulterium patrasse. Qu. An petente Marito teneatur a reddendo debito abstinere ?

Resp. teneri, donec Titii Mariti delictum condonet.

Ratio est, quia non remisso per Uxorem Mariti delicto, ipse Maritus privatur jure petendi, cui tantum in Uxore reddendi debitum correspondet : hoc autem posito, talis est Bertæ conditio, ut votum castitatis a se emissum integre servare valeat, proinde et teneatur, eo modo, quod simili voto adstrictus non potest reddere debitum intra bimestre ad deliberandum de meliori statu eligendo a jure concessum, quia tali tempore Conjuges debitum reddere non tenentur. Dixi : Donec Mariti delictum condonet : quia ex quo Uxor voto castitatis ligata sit, non per hoc privatur jure condonandi delictum Mariti, qua proinde condonatione secuta, in isto jus petendi, in illa reddendi debitum reviviscit. Ita cum Girib. de matrim. c. 19, n. 85. Sanch. L. 9, d. 6, n. 14, et 15.

CAS. III. — Clericus sponte docens pueros Communitatis elementa Grammatices quærit a Parocho, an sub pœna peccati eos simul fidei rudimentis imbuere teneatur. Qu. Parochi responsum ?

Resp., Parochum debere respondere affirmative. Ratio colligitur, cum ex Leonis X constit. 7, anno 1514 emanata, in qua § 32, absque ulla distinctione leguntur hæc, « Statuimus, et ordinamus, ut Magistri Scholarum, » et Præceptores pueros suos, sive adolescentes nedum » in Grammatica, ac cæteris hujusmodi instruere de- » beant, verum etiam docere teneantur ea, quæ ad re- » ligionem pertinent, ut sunt præcepta divina, arti- » culi fidei etc. « Tum quia sacra Concilii Congregatio huic dubio ad instantiam Archiepiscopi Spalatensis proposito : « An scilicet Episcopus cogere possit Ludima- » gistros sive clericos, sive laicos a nemine conductos, » ut pueros suos Doctrinam Christianam edoceant : die » 17 Julii 1688, expresse respondit : « Prius hortando, deinde præcipiendo cogere posse. » Tum denique, quia hoc id clare præcipiunt et Clem. XI, in suo Edicto 13 Septemb. 1713, et Eminentissimus Archiepiscopus noster in sua Instructione 14 Octob. 1732, hac de re editis, per quæ omnia nonnisi affirmativum esse posse Parochi nostri responsum dicendum est.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Cajus impubes matrimonium, quod de præsenti contraxit cum Helena, hac post aliquot dies e vivis erepta, vellet cum Titia ipsius Helenæ sorore inire. Qu. An aliquod obstet impedimentum?

Resp. affirmative; licet enim matrimonium impuberum, malitia non supplente ætatem, a jure irritum sit declaratum, eo quod præsumatur defectus judicii, atque consensus requisiti ad sic contrahendum; adhuc tamen tale matrimonium ex c. unic. de desp. impub. in sponsalia resolvitur, quia jus præsumit impuberes velle se obligare eo modo, quo possunt, et proinde, si nequeunt se obligare ex adducta ratione vinculo matrimonii, præsumit velle se obligare vinculo sponsaliorum, nisi ex mente ipsorum contrahentium expresse constet oppositum. Hinc, cum ex sponsalibus validis publicæ honestatis oriatur impedimentum, quod in primo gradu dirimit matrimonium, dicendum est, Cajum nequaquam posse matrimonium cum Titia Helenæ sorore inire. Ita cum Bonac. de matr. q. 2, punct. 9, n. 51. Girib. c. 15. n. 32. La Croix L. 6, part. 3, n. 52.

CAS. II. — Franciscus Paterfamilias, cum ob temporalia negotia dissidium aliquod habeat cum proprio Parocho, puerum ei recenter natum alteri Parocho baptizandum defert. Qu. Quid sit de Francisco, et alieno Parocho baptizante sentiendum?

Resp., sentiendum esse Parochum, et Franciscum se male gessisse. Ratio est, quia licet Baptismum conferre non sit actus jurisdictionis respectu illius, qui suscipere debet Baptismum, cum ante hujus susceptionem nemo Ecclesiæ subjiciatur, est tamen actus habentis jurisdictionem circa fideles, quibus ille aggregandus est, qui Baptismum ipsum proxime est suscepturus. Hinc, cum talis sit ordo prædictæ jurisdictionis, ut quilibet Parochus tantummodo in populum sibi commissum eam valeat exercere, ut ex cap. *Placuit*, cap. *Nullus*, aliisque

pluribus compertum est, sequitur Parochum nostrum se male gessisse, et quidem graviter, puerum baptizando, qui pars est populi spectantis ad alterius Parochi jurisdictionem. Ita pro Parocho sentiendum est, nisi aliter ex consuetudine, et usu permissum sit, vel nisi ignorantia eumdem excuset. Licet autem hæc ignorantia facilius excusare possit Franciscum, eo quod Parochorum jura scire non teneatur; adhuc ab omni culpa non est censendus immunis, cum agendo, ut in casu, specie quadam vindictæ, et injuriæ in proprium Parochum agere videatur. Ita cum Rotar. de bapt. c. 4, n. 55. La Croix L. 6, p. 1, n. 274. Barbos. de Offic. et Potest. Parochi p. 2, c. 18, n. 7.

CAS. III.—Capellanus recenter electus in ruralem Parochum, gaudet, quod ex immemorabili consuetudine in ejus paræcia non fuerint a decessoribus Parochis institutæ conciones, quia, cum sit rudis minervæ, putat sic excusari, si eas non habeat. Qu. An vere a culpa conciones non habendo excusetur?

Resp. negative. Ratio est, quia ex una parte Concil. Trid. sess. 5, c. 2, de reform. divinum exponens mandatum, aperte omnibus animarum curam habentibus præcipit, ut diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus commissas sibi plebes pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis: Cum autem ex alia parte non solum idem Concilium post supradicta damnet quamcumque consuetudinem, quæ decreti a se expositi executionem valeat impedire, sed insuper Innoc. XIII, et Bened. item XIII, summi Pontifices, in datis super hoc negotio Bullis districte præcipiant, ut non obstante prætextu oppositæ immemorabilis consuetudinis, quam pravam vocant, adhuc supradictum Concilii decretum de salutaribus Verbis statutis diebus ad populum per Parochos habendis inviolabiliter observetur, nihil est, per quod Parochus noster a culpa, et quidem gravi, valeat excusari.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Mulier proprium infantem lactans, alterum lucri causa lactandum recepit, qui defectu lactis, pro duobus lactantibus non sufficientis, viribus paulatim destitutus moritur. Qu. An dicta Mulier graviter peccaverit, et ad aliquam receptæ pecuniæ restitutionem teneatur?

Resp. cum distinctione. Vel dicta Mulier advertit se sufficientem pro duobus lactantibus lactis copiam non habere, proindeque ex ipso lactis defectu provenire virium destitutionem in puero, quem lucri causa lactandum suscepit; vel nullo modo prædicta advertit. Si hoc secundum dicatur, et simul dicta Mulier, quam debuit, diligentiam adhibuit in prædicti pueri cura; nec peccati alicujus rea, nec, juxta regulas possessoris bonæ fidei, alicui restitutioni obnoxia censenda est. Si autem nutrimenti defectum, et ex hoc gravem pueri languorem prævidit, vel, ut contingere etiam solet, debitam diligentiam in eodem puero nutriendo, et curando omisit; tunc et ipsam Mulierem veluti homicidii ream graviter peccasse, et ne lucrum ex violata justitia reportet, ad instar malæ fidei possessoris ad restitutionem receptæ pecuniæ, non quidem integræ, sed juxta prudentum judicium taxandæ, teneri dicendum est. Ita communiter.

CAS. II. — Parochus judicans nullum dari irreverentiæ periculum Parochiano amenti ad extremum vitæ deducto Viaticum Sacrosanctum præbet. Qu. An bene se gerat?

Resp. cum distinctione. Si Parochianus a nativitate amens est, nec aliquid unquam de admirabili Eucharistiæ Sacramento cognovit, male se gessit Parochus, quia perpetuo amenti, sive in vitæ decursu, sive in mortis articulo, etiamsi nullum timeatur irreverentiæ periculum, ex laudabili Ecclesiæ consuetudine, sacrosancta Eucharistia porrigenda non est; cujus ratio esse potest, quia ex una parte perpetuo amentibus sicuti parvulis hoc Sacramentum ad salutem necessarium non est, et ex alia,

cum distinguere nesciant communem cibum a sacro, nequeunt huic reverentiam aliquam, ut valde conveniens est, ex interna fide, ac devotione exhibere. Si autem Parochianus tantum post rationis usum incidit in amentiam, aut lucidis aliquando gaudet intervallis, quibus et excellentiam Sacramenti dignoscere, et aliqua animi dispositione ad idem recipiendum se valeat præparare, tunc, nisi aperte constet ipsum incidisse in amentiam lethali irretitum peccato, neque unquam hoc retractasse, eidem Sacrosanctum Viaticum porrigendo Parochum nostrum bene se gerere dicendum est, quia, si dum fuit, vel est aliquando mentis suæ compos, apparet in ipso Parochiano erga hoc Sacramentum devotio, summo hoc bono privandus non est, posito semper, quod ex circumstantiis amentiæ, vel ex consuetis experimentis prudenter credatur nullum dari irreverentiæ periculum, ut in hypothesi nostri casus exponitur. Ita cum D. Thom. 3 p. q. 80, art. 9. Roncag. de Sacram. tr. 4, c. 7, n. 4. Girib. de Euchar. tr. 4, c. 8, n. 10 et 11, aliisque communiter.

CAS. III. — Ut venationi cæteroquin licitæ possit ruralis Sacerdos summo mane incumbere, solet Missam celebrare hora ante Auroram. Qu. An graviter peccet?

Resp. affirmative. Ratio desumitur sive a decima quinta Missalis Romani rubrica præscribente, ut tempus celebrandi Missas privatas ab Aurora incipiat, et ad meridiem terminum sumat, sive ex Ecclesiæ consuetudine, præsertim in Italica regione nostra ubique recepta, quas generalis rubricæ, et legitimæ consuetudinis regulas sine peculiari privilegio, vel urgenti motivo, infringere nemini unquam licere compertum est. Quamvis autem non ita strictim sumendum sit Auroræ initium, et Meridiei, ut nequeat etiam Missa tertia horæ parte ante Auroram incipi, et post meridiem terminari, quemadmodum Summi Pontifices Benedictus XIII, et Clem. XII, feliciter regnans in eorum Edictis hac de re editis explicarunt, tanta nunquam erit licitæ venationis honestas, ut Sacerdotem nostrum hora ante Auroram proprio arbitrio celebrantem a gravi culpa excuset. Ita communiter Aucto-

res de Sacrificii tempore agentes cum D. Thom. in 4, dist. 13, q. 1, art. 2.

MENSE APRILIS.

CAS. I.—Parochus non vult in Paschate Parochianum suum ad communionem admittere, quia de injuria clam sibi illata veniam non petiit. Qu. An sit de justitia laudandus?

Resp. negative. Vel enim Parochus Parochianum, a quo clam injuriam accepit, a sacra Synaxi publice rejicit, et sic graviter famam Parochiani sui lædit, ad quam salvandam occultis peccatoribus publice petentibus sacram Communionem denegandam non esse Theologi docent: vel occulte eidem Parochiano prohibet, ne ad altare accedat, priusquam de injuria sibi illata veniam petierit; et pariter, cum sic agendo pastorali abutatur jurisdictione, et loco dimittendi ex corde injurias, ut boni Pastoris est, de eisdem potius vindictam sumere videatur, nequaquam potest de justitia laudari. Denique ratione temporis paschalis, quo non accedentes ad sacram Synaxim ab ingressu Ecclesiæ publice interdicuntur, Parochiano prædicto, et publicæ famæ dispendium, et gravia alia damna immiuerent, quod utpote semper privatæ injuriæ reatum excedens, justum nunquam esse dicendum est. Ita cum Tambur. c. 6, de communione § 2, num. 10. Maderno quæst. 5, art. 9, num. 5. Girib. de Sacram. cap. 6, num. 21.

CAS. II. — Vidua pauper eodem in lecto dormit cum filio suo adulto, eo quod modum parandi alium lectum non habeat. Qu. An hoc possit in casu licite fieri?

Resp. Si talis cubandi modus aliquam præbet matri, aut filio proximam peccandi occasionem, ex qua proinde frequentes lapsus sequantur, certum est separationem quocumque modo esse faciendam, cum omni præcepto prædictam peccandi occasionem etiam vitæ nostræ dispendio, quando alia remedia utilia non sunt, fugere teneamur. Si vero ex dicto cubandi modo nulla sequitur

offensio Dei, vel non nisi valde raro hoc accidat, eo quod tam mater, quam filius conscientiæ bonæ præsidio muniantur, et spiritualia adhibeant remedia, quibus tentationum vires solent extenuari; tunc urgente expositæ necessitatis motivo licite fieri posse, quod alias illicitum foret, dicendum est : nam ad fugiendam remotam peccandi occasionem, qualis in hypothesi esset nostra, grave subire incommodum, quale esset ex. gr. supra nudam humum, vel tabulam cubare, nulla sive Divina, sive Ecclesiastica lege obstringimur. Ita cum Giribald. de pœnit. cap. 10, num. 30. La Croix de peccat. L, 5, num. 259, et seq.

CAS. III.—Rusticus Juvenis tempore Bacchanaliorum cum aliis suæ ætatis, et conditionis viris, ac fœminis solet interesse choreis, in quibus frequenter patitur motus pravos. Qu. An possit absolvi, si nolit a tali chorearum ludo abstinere ?

Resp. affirmative, stando terminis expositi casus. Licet enim choreæ, ut fieri solent, res sint plenæ periculis; adhuc tamen, cum ex natura sua sint res indifferentes, et possit quis servato Dei timore eisdem absque culpa interesse, præsertim quando temporis circumstantia, urbanitas, et honesta societas aliquo modo id postulant; dicendum est, rusticum nostrum absolvi posse, etiamsi nolit a tali chorearum ludo abstinere. Neque refert juvenem istum in prædictis choreis motus pravos frequenter pati, quia cum motus isti præambula quidem sint et incitamenta ad peccandum, non autem sint peccata, quando motus ipsos non quærat, nec iisdem consensum præbeat, ita ut morosa delectatione, turpi desiderio, vel opere peccet, quod casus noster non dicit, absolutione indignus censendus non est. Ita cum La Croix L. 5, de peccat. num. 264, et L. 8 de præcept. decal. n, 887, § 9, aliisque communiter.

MENSE MAII.

CAS. I.—Timens Parochus, ne infirmus, quem Oleo sacro inungit, ante peractas omnes unctiones decedat,

injungit Capellano præsenti, ut inferiores sensus ungat, dum ipse superiores inungit. Qu. An Sacramentum dicto modo valide, aut licite conferatur?

Resp. affirmative quoad utramque partem. Ratio primæ est, quia Sacramentum Extremæ Unctionis ex pluribus unctionibus, verborumque formis partialibus coalescit, ita ut quælibet unctio cum sua particulari verborum forma in ordine ad producendum suum effectum integram, et ab alia unctione, formaque independentem habeat significationem, sicque valide potest tum successive, tum simul a pluribus Ministris confici. Ratio secundæ est, quia, posito Sacramenti valore, periculum ipsum, ne infirmus ante peractas omnes unctiones decedat, licitum reddit, ut eodem tempore, quo unus Minister superiores sensus inungit, alter, qui præsens est, inferiores inungat, quamvis hoc extra necessitatis casum, utpote contra ritum, et praxim Ecclesiæ fieri absque gravi culpa non possit. Ita cum Girib. cap. unic. n. 42. Dian. part. 5, tr. 5, resol. 88. Barbos. de Offic. Paroch. cap. 22, num. 8.

CAS. II. — Confessarius ignorans ignorantia crassa quemdam casum esse reservatum in Bulla Cœnæ, ab eo pœnitentem absolvit. Qu. An prædicta absolutio sit valida?

Resp. negative. Ratio desumitur ex Trid. Sess. 14, c. 7. dicente, persuasum semper in Ecclesia Dei fuisse, et verissimum esse, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Cum autem Confessarius noster, ut pro certo pono, nullam habeat jurisdictionem in pontificios casus Bullæ Cœnæ, dato quod pœnitens ex prævia notitia censuræ illis annexæ in aliquem illorum inciderit, etiamsi bona fide peccatum suum confessus sit, invalide est absolutus, nisi alia simul non reservata confessus sit, quibus directe absolutis a reservato simul indirecte absolutus evadat. Neque ignorantia Confessarii aliquid prodest: ipsa enim utpote crassa reum quidem gravis negligentiæ in

addiscendis rebus ad proprium munus spectantibus Confessarium declarat, nullatenus vero pœnitentem juvat, cum nulla ignorantia etiam invincibilis præbeat Confessario jurisdictionem, ut pœnitenti beneficium absolutionis per se valide impendat. Ita communiter cum La Croix L. 6, part. 1, n. 1548.

CAS. III.—Titius electus in ruralem Parochum, tribus jam transactis annis a sui Parochialis Beneficii possessione percipit, ejus parentes, ipso inscio, variis muneribus plura vota pro ejus electione a Parochianis obtinuisse. Qu. Quomodo sic electus sibi consulere debeat?

Resp. Quamvis quælibet electio simoniaca ipso jure irrita sit, nisi vel sic electus expresse contradixerit, vel, ipso inscio, ab alio in ejus odium peracta fuerit, ut ex cap. *Nobis fuit* 27, et cap. *Sicut tuis litteris* 33, de simonia aperte colligitur, ac proinde teneatur quilibet beneficium dimittere statim ac percipit se fuisse simoniace electum, etiamsi, ipso inscio, alii in ejus favorem hoc egerint; adhuc tamen cum Titius noster per triennium parochiale beneficium, ad quod mediis muneribus fuit electus, bona fide possederit, potest sibi consulere per regulam triennalis possessionis, et in ista sibi favente quiescere, nisi sponte velit pro majore animi sui quiete eidem beneficio renunciare. Ita cum Gomez de trien. possess. q. 12. Ugolin. tab. 4, c. 6, § 9. Suar. L. 4, de simon. c. 57, n. 39. Girib. de simon. tr. 6, dub. 3. Anacl. tit. 3, de simon. num. 278.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Berta Vidua sæpius desiderat Maritum vivum non propter opus conjugii, sed propter sustentationem familiæ; at excitatis ex hoc aliquando venereis motibus, iisdem turpiter delectatur. Qu. An teneatur sub gravi peccato dicta Mariti desideria vitare?

Resp. negative. Ratio est, quia quamvis desiderium Bertæ inutile sit nullumque ex eo sibi, vel familiæ expectare possit emolumentum; tamen per se malum non est, cum ad sustentationem familiæ ordinetur, non vero

ad excitandos in Berta venereos motus, cum isti, ut inquit casus, aliquando tantum contingant. Qua de re, cum per accidens sit, quod prædicti motus, in quibus Berta turpiter delectatur, ex desiderio Mariti sæpe sæpius repetito excitentur, optimum quidem erit, ut Berta a dictis inutilibus desideriis abstineat, non tamen sub gravi culpa abstinere tenebitur. Eo modo, quo si quis in ludo cæteroquin licito, cui sæpe sæpius dat operam, non nisi aliquando graviter irascatur, reus gravis culpæ censendus non est, licet nolit a tali ludo abstinere. Et ratio pro utroque casu est, quia res esset nimis ardua, et cui imbecillitas nostra impar foret, si omne id, quod nos aliquando ad peccatum induxit, sub gravi culpa fugere teneremur. Ita cum Lugo de pœnit. sect. 10, n. 150. La Croix, L. 5, dub. 5, n. 252, et seq. Girib. de pœnit. c. 10, dub. 1, n. 8.

CAS. II. — Dum in die festo pergit Parochus ad Altare Missam celebraturus, toto populo spectante, monetur quemdam Parochianum duobus milliariis distantem morte periclitari. Qu. Quid agere debeat si Confessarius alter desit?

Resp. teneri differre, aut omittere Missam. Ratio est, quia ex una parte præceptum Confessionis in articulo mortis fortius est, quam illud audiendi Missam in die festo, et ex alia parte nullum imminet damnum non audiendi Sacrum in die festo, quando hoc absque ejusdem culpa contingat. Maximum autem damnum imminere potest illi, qui morti proximus ob defectum opportuni Ministri non confitetur. Ad vitandam interea populi admirationem, illum de casu instantis necessitatis Parochus admonebit, ut vel alibi adeat ad Missam audiendam, si commode hoc fieri possit, vel ibi expectet, si forte tempus supersit post præstitum periclitanti subsidium, vel denique sciat se nullatenus peccare, si Missæ auditionem ob defectum Sacerdotis celebraturi omittat. Et ita agere debet Parochus noster, si Confessarius alter desit, qui parochiano extreme indigenti valeat subvenire. Ita cum La Croix, L. 6, parte 2, num. 225, aliisque communiter.

CAS. III. — Juvenis Famula volens nubere accedit ad

Parochum, sub quo Patrui sui domicilium reperitur, altero relicto, sub quo habet domicilium fraternum, quia, priusquam alteri serviret, in Patrui domo, non vero in illa Fratris vitam ducere consuevit. Qu. An Patrui Parochus sit prædicti Matrimonii assistens idoneus?

Resp. affirmative. Quamvis enim per se loquendo in concursu duorum Parochorum, sub quorum uno Fratris, sub altero Patrui habeat domicilium juvenis famula nubere volens, primus, non secundus sit ejus Matrimonii assistens idoneus, hoc tamen non valet in casu, quo ante famulatum eadem juvenis fraternum jam reliquerit domicilium, illudque Patrui pro sua habitatione elegerit, ad quod proinde, exclusio illo fratris, animum revertendi retinet, quotiescumque famulatum relinquat, nam cum in hoc fraternum domicilium de materiali se habeat, nullatenus ad prædictum Matrimonii celebrandi effectum debet considerari. Qua de re dicendum in casu nostro juvenem famulam ad idoneum Matrimonii sui assistentem Parochum accessisse. Ita cum Pignat. t. 5, consult. 79, n. 3. Barbos. de offic. Paroch. part. 2, c. 21, n. 34 et seq.

MENSE JULII.

CAS. I. — Joannes e secta Calvini factus Catholicus dubitat, an valeat baptismus, quem in aqua naturali a Ministro Calvinista sub hac forma recepit: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti secundum auctoritatem, quam tribuit mihi Calvinus. Qu. A Catholico Ministro dubii solutio?

Resp. Cum Ecclesia Catholica semper ut validum approbaverit, et nunc quoque approbet baptismum ab hæreticis Ministris collatum, quando retentis debita materia, et forma, non deficiat intentio saltem generalis faciendi, quod facit Ecclesia, ut ex Trid. sess. 7, can. 4, compertum est, valere baptismum, quod Joannes in casu nostro a Ministro Calvinista recepit, erit præsentis dubii solutio. Neque obstant verba addita formæ: illa etenim juxta naturalem sensum, quem habent, non vi-

dentur addita ad inducendam substantialem formæ necessariæ variationem, sed præcise ad significandam potestatem, quam Minister ex errore particulari a Calvino descendentem se putat habere; quod Sacramenti valori nullatenus obest, nisi per eadem verba expresse intendat Minister non aliter Sacramentum conficere, quam per prædictam Calvini virtutem, in quo casu nihil efficeret. Ita cum D. Thom. 3 p. quæst. 64, art. 9. Lug. disp. 8, sect. 3 nº 1. Madern. de Sacram. quæst. 1, art. 11, nº 15. Tambur. lib. 1, cap. 2, § 1, nº 7 et 8.

CAS. II. — Accusans se pœnitens de furto gravi, licet pluries interrogatus, non vult exponere Confessario quantitatem integram rei furatæ, ex quo inabsolutus remittitur. Qu. Quis damnandus, pœnitens ne, an Confessarius?

Resp., esse damnandum utrumque, sed magis per se loquendo secundum. Ratio pro 1º est, quia cum non solum probabilis, sed tutior et magis pia sit opinio, quæ docet pœnitentem ad exprimendas in confessione circumstantias notabiliter in eadem specie aggravantes teneri, male se gerit pœnitens, qui, obstinato animo, integram rei furatæ quantitatem exponere, licet pluries a Confessario interrogatus, recusat. Ratio pro 2º est, quia sententia asserens prædictas circumstantias non esse necessario in Confessione aperiendas est pariter vere probabilis, utpote innixa sive Trid. sess. 14, c. 5, imponenti duntaxat onus exprimendi una cum numero peccatorum circumstantias, quæ speciem peccati mutant, et asserenti nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi; sive auctoritati gravissimorum Doctorum, qui cum Angelico Præceptore sententiam eamdem docent. Cum autem ex alia parte teneatur sub gravi Confessarius sequi sententiam vere probabilem pœnitentis, ut Theologi communiter tradunt, dicendum est, Confessarium magis per se loquendo esse damnandum, qui eumdem pœnitentem nolentem exponere quantitatem integram rei furatæ, licet alias bene dispositum, inabsolutum dimisit. Dixi, per se loquendo, quia si certæ quantitati rei

furatæ annexa sit censura, vel reservatio, Confessarium nullo modo esse damnandum dicendum est. Ita cum Gob. t. 1, tr. 6, n. 380. Boss. p. 1, mor. tit. 1, § 23. nº 225. Lug. de pœnit. disp. 17, nº 107.

CAS. III. — Cujusdam oppidi Parochus conquestus est, quia die Sabbati sancti in Ecclesia Regularium in eodem oppido commorantium pulsantur campanæ ante sonitum Ecclesiæ Parochialis. Qu. An jure possit de hoc facto conqueri?

Resp. affirm. Ratio asserti colligitur tum ex verbis Bullæ 22 Leonis X, § 14, præcipientis, ut Clerici tam Sæculares, quam Regulares die Sabbati majoris hebdomadæ, antequam Campana Cathedralis, vel Matricis Ecclesiæ pulsaverit, Campanam in Ecclesiis suis pulsare minime possint, tum ex Decretis sacrarum Congregationum, sive Rituum 6 Feb. 1680, sive Concilii 15 Mart. 1727 et nostræ Diœcesanæ Synodi l. 1, c. 5, in omnes tam Sæcularium, quam Regularium Ecclesias eamdem, ut supra, confirmantibus ordinationem. Licet autem in supradictis dispositionibus fiat sermo de Cathedrali, vel Ecclesia Matrice, adhuc tamen Parochus noster, cui jura decusque Ecclesiæ suæ tueri incumbit, jure merito de facto in casu exposito conquestus est, cum enim eadem ratio de Parochiali habenda sit, quando in Oppido, vel rurali loco alia dignior Ecclesia, cui jus Matricis conveniat, non reperitur, quam reperiri in casu nostro non constat. Ita cum Card. de Luca de præmin. disc. 42, n. 14. Ursaga inst. crim. l. 2, tit. 10, nº 195. Gavant. p. 4, tit. 10, rub. 31.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Cum quadam die intra octavam Paschæ Petrus e sua rurali paræcia ad Civitatem se contulisset, audiens in Cathedrali Ecclesia Episcopi Missam, de ejus manu cum aliis pluribus sumpsit Eucharistiam. Qu. An adhuc præcepto Communionis in propria paræcia sumendæ teneatur?

Resp. affirm., cum enim distincta sint, ac separata omnium paræciarum confinia, dicendum est, subditum alienæ paræciæ sacram Eucharistiam in Cathedrali sumentem Communionis paschalis præcepto in cap. *Omnis utriusque sexus* injuncto non satisfacere, præsertim post declarationes hac in re factas tum a sacra Concilii Cong. mense Sept. 1649, tum sub Innoc. XI, 6 Feb. 1682, qui eadem ratione determinavit supradicto præcepto non satisfacere eum, qui in Ecclesiis Patriarchalibus Urbis Vaticana, aut Lateranensi ad sacram Synaxim accederet. Neque aliquid refert Petrum sacram Eucharistiam de Episcopi manu sumpsisse: nisi enim hoc faciat ex expressa ipsius Episcopi, vel proprii Parochi facultate, nunquam per Communionem prædictam paschali præcepto satisfaciet, et proinde ad Communionem iterum in propria rurali paræcia sumendam tenebitur. Ita cum Card. de Lugo l. 1, resp. mor. dub. 15. n° 3, Pign. t. 7, consult. 89, n° 18. Girib. de Euchar. c. 8, n° 28.

CAS. II. — Clericus ex quo docendo pueros elementa Grammatices, et Arithmeticæ libras bis centum, et ultra quotannis lucretur, petit a Parocho, an hoc titulo possit ad sacros Ordines promoveri. Qu. Parochi responsum?

Resp. Quamvis librarum bis centum annuum lucrum, quod recipit Clericus elementa Grammatices, et Arithmeticæ pueros docens, sufficiens fortasse sit ad congruam ejusdem Clerici sustentationem, adhuc tamen tale lucrum nec beneficium est, nec patrimonium in bonis stabilibus positum, quale ex mente Sacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretis pro valido collationis Ordinum titulo idem Tridentinum sess. 21, c. 3, de reformatione exposcit. Qua de re Sacra Congregatio dubiis ipsi propositis tum mense Octob. 1589, tum. 23 Maii 1609, in quibus quærebatur « An ex lucris, per artem Musicam, » per Magisterium Grammatices, per gradum Theologiæ, et hujusmodi acquisitis ad Sacros Ordines promoveri aliquis queat » respondit « non posse, sed requiri » omnino vel beneficium, vel Patrimonium ad vitam » promovendi, honeste sustentandam sufficiens » : ut

in instructione Eminentiss. Archiep. Lambertini 1 Febr. 1734, hac de re edita sub n. 7, videre est. Et tale esse debet Parochi nostri responsum.

CAS. III. — Confessarius in Diœcesi orat amicum suum Bononiam petentem, ut obtineat a Pœnitentiario facultatem absolvendi pœnitentem ab incestu in Confessione audito. Qu. An violet aliquo modo Sacramentale sigillum?

Resp. cum distinct. Vel amicus Confessarii ex recepta incestus notitia venire potest in cognitionem illius, qui tale delictum patravit, et confessus est, vel hoc nequaquam moraliter contingere potest. Si primum dicatur ex quo vel locus, in quo Confessarius audit Confessiones, sit parum amplus, vel Confessarii amicus eos distincte cognoscat, qui solent pro expiatione conscientiæ ad eumdem Confessarium accedere, responsio debet esse affirmans, quia sic et Confessio redditur odiosa, et pœnitenti injuria irrogatur. Si vero dicatur secundum, ex quo ob rationes oppositas nullum sit periculum, ut reus prædicti sceleris dignoscatur, nullam ut casu sigilli violationem contingere dicendum est. Meliori tamen consilio aget quilibet Confessarius, si pro obtinendis hujusmodi facultatibus reservatum casum in confessione auditum per epistolam sigillo ob firmatam Pœnitentiario exponet. Ita cum Leand. disput. 10, de pœnit. q. 39. Bonac. sect. 5, punct. 4, n° 1. Girib. c. 18, n° 25 et 26.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Rusticus quidam pluries confessus est gravia peccata Capellano valde ignaro, qui nec reservata a non reservatis, nec a lethalibus venialia distinguit. Qu. An illæ Confessiones sint necessario iterandæ?

Resp. negat. Quamvis enim graviter deliquerit Confessarius, qui necessaria scientia non munitus se ad Confessiones excipiendas exposuit; adhuc tamen, si rusticus pœnitens bene dispositus ad dictum Confessarium bona fide accessit, fuit valide absolutus, cum ad

valorem directæ, vel indirectæ absolutionis præter materiam, formam, et intentionem Ministri, quas in casu adfuisse pro certo puto, nil aliud desideretur. Habebit igitur dictus pœnitens onus iterum subjiciendi clavibus reservata, si quæ possit a cæteris peccatis distinguere, habenti facultatem in illa, non vero iterandi Confessiones omnes apud indoctum Capellanum jam factas. Dixi, si bona fide accessit, nam si data opera talem Confessarium elegit, a quo non potuerit utiliter mederi, in hoc casu, cum semper sacrilege confessus sit, Confessiones omnes iterare necesse est. Ita cum Gobat. t. 1, tr. 8, nº 103. Girib. de pœnit. c. 17, dub. 2, nº 10.

CAS. II. — Confessarius, qui de re turpi in Confessione audita morose delectatur, ne differat absolutionis verba proferre, nullo pro se præmisso contritionis actu, pœnitentem absolvit. Qu. An possit a nova gravi culpa excusari?

Resp. negat. Ratio est, quia tale fingi nequit incommodum ex dilatione absolutionis in exposito Casu, ut præcepto eliciendæ contritionis præponderet, cum longa temporis mora opus non sit, ut Confessarius ex corde dicat : « Pœnitet me offendisse Deum, quia » summe bonus est, nec ultro hoc in æternum faciam.» Quod si vere tempus deesset, ut contingere posset, si Confessarius prædictus pœnitentem suum in mortis articulo constitutum videret, tunc reus novæ culpæ non foret, si secus ageret, quia necessitas alium prompte absolvendi præcepto contritionis in se ipso eliciendæ præponderaret. Ita cum Dicastil. de pœnit, disput. 10, dub. 8, nº 252. Girib. de Sacram. in gen. c. 5, dub. 4, nº 15 et 21. Gobat. t. 1, tr. 7, nº 198.

CAS. III. — Sacerdos in Canonicum Collegiatæ cujusdam Oppidi electus nullam unquam, recepto Canonicatu, fidei professionem emisit, ex quo post aliquot annos angitur scrupulo, an teneatur ad aliquam restitutionem. Qu. Quid respondendum?

Resp., obligationem emittendi fidei professionem, quæ aperte colligitur sive ex Trid. sess. 24, c. 12, de

reform. sive ex Pii IV constitutione 89, impositam esse duntaxat provisis de beneficiis curam animarum habentibus, aut de Canonicatibus, et Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non autem provisis in Collegiatis, sive istæ in Oppidis sint, sive in Urbibus reperiantur, cum de istis in supra adductis legibus nulla mentio habeatur. Ita respondit sacra Concilii Congregatio tum in una Avenionensi 1586, tum in alia Catanzari 9 Febr. 1726. Qua de re cum Sacerdos noster, ex quo in Canonicum Collegiatæ assumptus sit, ad prædictam fidei professionem non teneatur, nullo eadem non emissa scrupulo angi debet, cum certum sit ad nullam quoque perceptorum fructuum restitutionem teneri. Ita cum Eminentissimo Lambertini in Instruct. sub die 26 August. 1736. Garzia de benef. 3 part. c. 3, n° 12. Barbos. de Potest. Episc. 3, part. alleg. 61, n° 15.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Postquam vovit Joannes, si Deus eum præservet per Mensem a gravi peccato, in quod solebat incidere, sex Julios in eleemosynam elargiri; ne teneatur, quod promisit, implere, ultima Mensis die prædictum peccatum deliberate committit. Qu. An adhuc ad dictam eleemosynam teneatur?

Resp. negat. Ratio est, quia conditionate vovens per se loquendo ad voti executionem obligandus non est conditione non adimpleta, cum non censeatur voluisse se obligare nisi posita conditione, quamvis, quod dicta conditio non ponatur in esse, ex ipsius culpa contingat. Cum itaque Joannes votum suum emiserit sub conditione, si Deus eum a gravi culpa per Mensem præservet, quod idem est ac dicere, si ipse vovens, Deo adjuvante, per Mensem a gravi culpa abstineat, licet ex ipsius pravo fine processerit quod conditio adimpleta non sit, ac proinde gravius idem crimen deliberate committendo peccaverit, adhuc ad sex Julios in eleemosynam erogandos obligandus non est. Dixi, per se loquendo, quia si mens Joannis fuisset se obligandi ad prædictam elee-

mosynam in casu, quo per ipsum præcise staret, ne apposita conditio adimpleretur, tunc oppositum concludendum foret. Ita cum Girib. de voto c. 5, n°57 et 58. Suar. l. 4, de voto c. 17, n° 20, Filiuc. tr. 26, c. 6, n° 158.

CAS. II. — Paulus et Francisca ex Diœcesi Mutinensi per annos 20 et ultra viventes in forma Matrimonii in hac Diœcesi Bononiensi domicilium habent. Mortua autem Francisca, vellet Paulus sub eadem parœcia aliam ducere uxorem. Qu. An pro tali Matrimonio sufficiant consuetæ publicationes?

Resp. negat. Quamvis enim Paulus et Francisca vixerint in forma Matrimonii per annos 20 et ultra in loco, ubi de præsenti domicilium habent, et Francisca mortua est, adhuc tamen, cum legitime non constet Franciscam fuisse veram Pauli uxorem, non sufficiunt pro novo contrahendo Matrimonio consuetæ publicationes, sed ulterius requiritur attestatio cum legalitate Ordinarii, sub quo idem Paulus testatur jam cum Francisca Matrimonium contraxisse, ut ex prædicta legitima attestatione appareat Franciscam fuisse veram Pauli uxorem, et proinde quod eadem defuncta Paulus ad aliam ducendam absolute liber evadat. Ita expresse colligitur ex responsione Sacræ Congregationis ad dubium octavum circa Matrimonia exterorum.

CAS. III. — Pœnitenti obstinato animo recusanti se præsentare Superiori pro obtinenda absolutione a reservatis, permittit Superior, dicta motus obstinatione, ut ab inferiori possit absolutionis beneficium obtinere. Qu. An stante etiam tali facultate dictus pœnitens possit absolvi?

Resp. cum distinct. Si dictus pœnitens præter famæ propriæ diminutionem, quæ institutioni Sacramenti intrinseca est, prudenter timet aliud grave damnum Sacramento extrinsecum sibi imminere, si Superiori pro obtinenda reservatorum absolutione se sistat, in hoc casu cum ipse jus habeat non accedendi, et ut possit per inferiorem absolvi, Superior facultatem concepere teneatur, stante tali facultate eidem, utpote qui optime po-

test esse dispositus, beneficium absolutionis per inferiorem Confessarium denegandum non est. Si vero dicta pœnitentis obstinatio in aliquo prudenti timore, ac judicio non fundetur, quam in illo propriæ infamationis cum Sacramenti usu connexæ, tunc etiam posita facultate, quam Superior contra jus proprium concessit, ipse pœnitens utpote qui injustum animum semper retinet perseverandi potius in peccato, quam accedendi ad Superiorem; si facultatem prædictam non concessisset, ita indispositus est, ut nequaquam absolutionis capax censendus sit, ita cum Gobat. t. 1, tr. 7, n° 732. Card. de Lug. de Pœnit. disp. 20, sect. 20, n° 238 et 240.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Cajus publicus peccator Parocho, cui confitetur, minatur mortem, nisi ei præbeat tum Absolutionem Sacramentalem, tum sacram Eucharistiam. Qu. An liceat aliquo modo in casu impio Caji voto indulgere?

Resp. licere quoad secundum, non quoad primum. Ratio asserti simul et discriminis est, quia, cum porrectio Eucharistiæ etiam indignis facta non sit per se ab intrinseco mala, illud præceptum Matthæi, c. 7, expressum, non dandi Sanctum canibus, seu non porrigendi Eucharistiam indignis, est tantum obligans secundum quid, ac proinde, sicuti peccatori occulto publice petenti tenetur Minister sacram præbere Eucharistiam, ut famæ ipsius petentis consulat; ita peccatori etiam publico minanti mortem poterit Minister licite præbere Eucharistiam, ut propriæ consulat securitati. Ex adverso, cum prolatio Absolutionis supra indignum utpote falsa sit semper ab intrinseco mala, quemadmodum probat etiam Augustinus c. 18, L. contra mendacium, in nullo casu licita esse potest, ideo præceptum de non absolvendis indignis obligat semper, et absolute. Nisi igitur petat Cajus Eucharistiam in odium religionis, et fidei, vel ad eamdem positive dehonorandam, in quo casu ipsa porrectio impia foret, Parochus ex motivo vi-

tandi mortem, non quidem per prolationem Absolutionis, bene vero per porrectionem Eucharistiæ poterit impio Caji voto indulgere. Ita cum Gobat. t. 1, tr. 1, nº 273 et 276. Girib. de Sacram. c. 6, nº 22 et 24. Suar. de Euchar. disp. 67, sect. 1, in fine et sect. 4 in resp. ad 1.

CAS. II. — Conjugata, ne filiis ultra vires gravetur, vovit debitum non petere, et maritum rogare ne petat, sed ex metu, ne maritus ab ipsa alienus fiat, servato primo, secundum, quod vovit, non servat. Qu. An graviter contra votum deliquerit?

Resp. neg., si metus sit vere prudens. Ratio est, quia voti obligatio cessare videtur, quoties ex ipsa voti executione aliquod grave damnum prudenter timetur, per quod votum non amplius de meliori bono dicatur, quodque si tempore emissi voti cognitum fuisset, nunquam prudentis judicio tale votum emissum foret. Hoc autem videtur sequi in nostro casu, nam si metus conjugis ut vere prudens ex circumstantiis dignoscatur, damnum, quod ipsa timet a marito, si eum roget, ne debitum petat, vere grave est, meliorique bono, de quo votum debet esse, repugnat, cum alienatio unius conjugis ab alio soleat esse plurium sive spiritualium, sive temporalium malorum origo, ut experientia teste in familiis quotidie videmus; ideoque sicuti nunquam conjux prudenter vovisset rogare maritum, ne debitum peteret, si prædictus timor tempore emissi voti ipsius menti occurrisset; ita occurrens post votum eamdem saltem in hac parte a voti executione excusat. Dixi, saltem in hac parte; quia, cum hac parte non servata possit conjux fieri prægnans, et proinde possit cessare finis non petendi, ne filiis ultra vires gravetur, poterit eodem gravitatis tempore debitum etiam petere, quin votifraga censeatur. Ita cum Suar. l. 4, de voto c. 9, nº 4 et c. 69, nº 1, et 4. Palao punct. 20, nº 5, aliisque communiter.

CAS. III. — Cuidam rurali Ecclesiæ Altare Privile-

giatum pro qualibet sexta feria concessum fuit sub conditione, quod in eadem Ecclesia quinque saltem Missæ quotidie celebrentur. Qu. An si Missæ aliquando sint pauciores, quam quinque, adhuc Indulgentia subsistat?

Resp. affirm., dummodo hoc raro contingat. Licet enim sacra Concilii Congregatio, approbante Pontifice, Innoc. XII, declaraverit 5 junii 1694, celebrationem Missarum in Altaris Privilegiati indulta præfinitarum quotidie necessariam esse, adhuc tamen dicendum, quod si aliqua die contingat præfinitum Missarum numerum integrum non haberi, non per hoc taliter conditio privilegii concessioni adnexa deficiat, ut ipsum quoque privilegium cesset; ita enim respondit eadem sacra Congregatio sub Clem. XI ad dubium n° 1, propositum die 30 Jul. 1706 sub clausula a nobis posita, scilicet: Dummodo hoc raro contingat, ut in dicti Pontificis Bullario part. 2, p. 542, videre est; et hoc idem docent Gob. t. 1, tr. 5, n° 640. Dian. part. 9, tr. 2, resol. 2.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Dum moritur ruralis Sacerdos piæ cuidam sodalitati adscriptus disponit, ut ejus corpus habitu ejusdem sodalitatis indutum ad tumulum deferatur. Qu. An prædicta dispositio possit laudabiliter exequi?

Resp. negative. Quamvis enim pius, ac laudabilis sit mos laicorum, si ad ostendendam venerationem, quam in vita erga Sanctos habuerunt, disponant in morte, ut alicujus Religionis, vel Societatis habitu induti ad tumulum deferantur, quando eorum vita contumeliam non inferat sacræ vesti, et in religiosa veste non sepeliantur post vitam prorsus irreligiosam, ut Theophilus Rainaudus part. 3, sect 1, Eteroc. spirit. adnotavit; laudabilis tamen esse non potest talis dispositio, si fiat a Sacerdote, vel alio clericali militiæ adscripto, cum quilibet ex his ad sepulturam deferri debeat ea sacra indutus veste, quam ordinis sui ratio deposcit, ut sub titulo de exequiis disponit Rituale Romanum, quam dispositionem omnino servandam esse præcepit etiam Clem. XI, per Edictum

suum die 4 Febr. 1705, hac de re editum, ut pag. 317 Bullarii ejusdem Pontificis manifeste apparet.

CAS. II. — Parochus ruralis quodam die festo, quo tenetur Sacrificium offerre pro populo, celebrat pro defuncto præsente cadavere, cum alius non adsit Sacerdos pro eodem celebraturus, antequam sepulturæ tradatur. Qu. An bene se gerat ?

Resp. cum distinctione. Si Parochus talem charitatem exercet celebrando die festo pro defuncto præsente, pro quo alter celebraturus non invenitur, cum intentione offerendi etiam Sacrificium pro populo altera die intra hebdomadam, bene se gerit : hoc enim modo ex una parte retinet, quantum potest, quod antiquissimi est instituti, ut scilicet Missa præsente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur : sicuti sub titulo de exequiis inquit Rituale Romanum ; neque ex tali parte populum suum privat eo spirituali auxilio, quod ipsi ex divino præcepto per Sacrificii Oblationem præstare tenetur, ut sess. 23, c. 3. Tridentinum docet. Si vero ita celebrat die festo pro defuncto præsente cadavere, ut altero die non sit pro populo celebraturus, male se gerit : præfert enim consilium præcepto, et justitiæ charitatem, quod omnibus ex communi doctrina æquum non esse, compertum est.

CAS. III. — Petrus obligavit in testamento hæredem suum ad præbendas quolibet anno alicui puellæ Orphanæ centum libras, ut possit nubere. Qu. An possit talem pecuniam Puellæ inutilem Patrem habenti præbere ?

Resp. affirm. Ratio est, quia licet Puella habens Patrem inutilem nequeat toto sermonis rigore Orphana appellari, adhuc tamen, cum de habente inutilem Patrem verificetur, quod careat præsidio Patris illiusque opem desideret, sicuti de vere Orphana verificatur, dicendum est, filiam habentem inutilem Patrem legato centum librarum Puellæ Orphanæ nubenti relicto posse gaudere. Quemadmodum enim jus dans viduis privilegia, eadem mulieribus inutiles viros habentibus concedit, cum parium eadem sit juris dispositio, ut ex cap. *Inter*

corporalia 2, de transl. Episc. et ex communi Doctorum mente colligitur. Ita in nostro casu loqui debemus. Hoc tamen facile non admitterem, si Filia habens inutilem Patrem cum alia Patre vere carente concurreret, nisi illa esset ista pauperior, quo in casu illa adhuc eligi posset. Ita cum Amostrat. de causis piis L. 4, c. 7, n. 43 et seq. Barbos. tr. var. axiom. 174, n° 14. Dian. tom. 6, tr. 8, resol. 45.

ANNO MDCCXL.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Voverat Petrus in sacræ Familiæ honorem tres Julios in eleemosynam elargiri, unum Viro seni, Mulieri lactanti alteros. Agnoscens autem Virum senem, qui Uxorem lactantem habebat, eidem Viro omnes tres Julios præbuit. Qu. An voto a se emisso satisfecerit?

Resp. affirmative. Ratio est, quia nec res, quam vovens vovit, nec voventis finis, ut ad voti complementum requiritur, in casu nostro desideratur. Non primum, nam dare viro seni uxorem lactantem habenti Julios illos, quos Petrus dare voverat mulieri lactante perinde se habet, ac Julios eosdem mulieri ipsi præbere, cum datum viro, qui caput est mulieris, ipsi mulieri per se loquendo datum intelligatur. Et præcipue in casu nostro, in quo id, quod per se a voto respicitur, non est directa translatio dominii duorum Juliorum in lactantem mulierem, bene vero ipsius mulieris sublevamen, quod per præstitum capiti familiæ subsidium ab ipso Petro obtinetur. Neque deficit secundum, nam finis a Petro vovente intentus, scilicet honor præstandus Divo Josepho in viro sene, et Deiparæ cum puero Jesu in lactante muliere ipsius æqualiter, et forte expressius exhibetur, si lactans mulier ipsius viri senis sit uxor, quam si ipsimet viro extera censeatur, ut per se omnibus compertum est. Ita quoad

substantiam cum Bonac. de voto disp. 5, q. 2, punct. 7, § 3, n. 8. Less. L. 2, c. 76, dub. 16, n. 150.

CAS. II. — Medicus, qui infirmum Confessione Sacramentali conscientiam suam expiare nolentem non deseruit, quia graviter ægrotantem, dubitat, an bene se gesserit. Qu. Dubii solutio?

Resp., se bene gessisse. Ratio est, quia quamvis Medici præ oculis habere debeant, quam juramento servando excipiunt, S. Pii Quinti Constitutionem, ipsis interdicentem, ne ultro post tertium diem ægrotum visitent, si ille renuat confiteri, hoc tamen in eo sensu est accipiendum, ut Constitutio laudata tamdiu servetur, quamdiu potest una cum charitatis præcepto, et spirituali ipsius Infirmi utilitate servari. Servari autem sic nequit in casu Infirmi graviter ægrotantis : si enim hic nolens pro nunc confiteri a Medico deseratur, morbo magis in dies probabiliter ingravescente, damnationis æternæ periculo facile exponitur, quod quam maxime charitatis præcepto, et spirituali ipsiusmet Infirmi utilitati opponatur, nemo non videt. Ex adverso, si Medicus talis Infirmi curam non deserat, non modica fulget spes, ut idem Infirmus paulatim corpore convalescens et spiritu convalescat; quod enim hodie non obtinetur, forte Deo adjuvante, mediisque piorum hominum exhortationibus obtinebitur cras. Bene itaque se gessit Medicus noster, qui Pontificiæ Constitutionis mentem, rationemve potius, quam verba respiciens, Infirmum suum utpote graviter ægrotantem non deseruit, quamvis conscientiam suam noluerit expiare. Et ita pro dubii solutione tenendum est cum Suar. de pœnit. disp. 35, sect. 3, n. 4. Girib. de juram. c. 3, n. 68. Bonac. disp. 4, punct. 16, n. 10.

CAS. III. — Pater quamvis dives Filio summe peroptanti ad sacros Ordines promoveri recusat constituere Patrimonium, ad cujus titulum, quocumque alio deficiente ordinetur. Qu. An graviter peccet?

Resp. affirmative. Ratio asserti colligitur ex naturali pietatis lege, vi cujus sicuti tenetur Pater Filiis, non ha-

bentibus unde vivant, alimenta præbere, cum juxta Apost. 2, ad Cor. 12, non debeant Filii Parentibus thesaurizare, sed Parentes Filiis; ita, nisi aliter Patrem justa causa suadeat, puta, si attenta Filii inscitia, vel morum improbitate, cum nequaquam idoneum altaris ministrum fore adjudicaret, tenetur Pater Filio peroptanti ad sacros Ordines promoveri constituere Patrimonium, ad cujus titulum, quocumque altero deficiente, ordinetur, cum Patrimonium ipsum alimentorum loco succedat; ratio enim naturalis, et pietas sufficienter suadent, patrem nequaquam posse absque gravi culpa Filios impedire, ne eum statum eligant, ad quem a Deo vocatos esse cognoverint. Quod evidentius ex eo apparet, quia parentes juxta proprii status conditionem ad ea media Filiis præstanda tenentur, quibus per studia, aliasve exercitationes, ad sequendam futuro tempore Dei vocationem idonei fiant, ac inveniantur; quod omnino foret inutile, si postea ad eamdem Dei vocationem exequendam possent, nulla etiam concurrente rationabili causa, impediri. Ita cum Reinfest. de præcep. decal. tr. 9, q. 2, n. 19. Rosig. de ord. in communi. q. 3, art. 27. Marchin. de ord. in partic. par. 2, c. 7, n. 4.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Joannes, postquam mutuo dedit quingentos aureos Titio, duxit in uxorem Sejam ipsius Titii filiam. Cum autem nequeat aut repetere mutuatam pecuniam, aut dotem de præsenti obtinere, usque dum utrumque recipiat, obtinuit a Titio domum in pignus, ut interim ex eadem fructus utrique suo credito correspondentes recipiat. Qu. An licite possit prædictos fructus recipere?

Resp. Pro mutuata pecunia per se loquendo non posse, bene vero pro sibi debita dote. Ratio primi est, quia pactum Anticriseos, quo scilicet inter Creditorem, et Debitorem cautum est, ut Creditor tamdiu pignore utatur, pignorisque fructus percipiat, quamdiu pecunia mutuata a debitore restituatur, juxta communem Theologorum,

et Canonistarum sententiam usurarium est, ut colligitur ex text. in c. 1 et 2, de usuris. Nisi itaque ex vi mutui contingat in casu lucrum aliquod cessans, vel damnum emergens, nequit Joannes e domo in pignus accepta fructus mutuatæ pecuniæ correspondentes recipere; et si quos receptos haberet, eosdem vel in sortem computare, vel restituere teneretur. Ratio secundi est, quia per specialem juris dispositionem in C. *Salubriter* de usuris, statutum est, ut possit Maritus ex re pro dote uxoris oppignorata fructus recipere; et hoc propter damnum, quod sentit idem Maritus sive in alenda Uxore, quam aliter nisi recepta dote alere non teneretur, sive in aliis Matrimonii oneribus, ad quæ sustinenda dos ipsa pariter ordinatur. Ita cum Spor. de usura c. 4, sect. 3, n. 101, et seq. Less. L. 3, c. 20, n. 141. Girib. de contr. tr. 3, c. 3, n. 97 et 101.

CAS. II. — Ruralis Sacerdos propriæ Matris, sororisque importunis precibus victus, una cum eisdem quadam bacchanaliorum nocte choreis, in honesta tamen domo institutis, larvatus interfuit. Qu. An possit a gravi culpa excusari?

Resp. affirmative. Quamvis enim male se gesserit Sacerdos noster ex eo, quod omnibus sacrorum Altarium ministris secus agendum suadeant optime factæ sacrorum Canonum ac Synodorum dispositiones, ut in Instructione, quam die 20 Decemb. an 1737, hac de re edidit SS. Dominus noster Bened. XIV, pro Ecclesiæ Bononiensis regimine, videre est, adhuc tamen, cum ex circumstantiis casus Sacerdos prædictus non alio fine, ac motivo sive larvatus incesserit, sive choreis interfuerit, nisi ut morem gereret Matri, ac Sorori, quarum importunis precibus non valuit resistere, et ex altera parte choreæ, quibus larvatus interfuit, fuerint in honesta domo institutæ, peccare quidem potuit ex aliqua levitate, nimioque in priorum sanguinem affectu, non tamen graviter contra obedientiam, propriique status obligationes eum deliquisse dicendum est, cum non appareat, vel scandali occasionem aliis præbuisse, vel se exposuisse periculo turpium aspectuum, atque obscœnarum

cogitationum, ad quod a Clericis, aliisque altarium ministris arcendum directæ sunt supralaudatæ Ecclesiasticæ dispositiones.

CAS. III. — Cajus alioquin pius vocatus ad sonos edendos in quadam Domo, ubi inhonestæ instituuntur choreæ, quærit in Confessario, an possit tuta conscientia sonos edere in dicta domo. Qu. Quodnam erit Confessarii responsum?

Resp. cum distinctione. Si Cajus sine gravi damno potest a sono in tali domo edendo abstinere, Confessarii responsum erit, Cajum non posse tuta conscientia sonos edere in dicta Domo. Ratio est, quia licet, ex quo sit vir pius, pro certo ponatur, numeros, sub quibus sonos emittit, non esse per se directivos chorearum inhonestarum, ipsumque in talium chorearum aspectu nullatenus turpiter delectari, adhuc tamen, cum quilibet ex charitatis lege teneatur, quantum in se est, malum proximi impedire, vi ejusdem legis tenetur se a prædicta Domo retrahere, ne per sonos a se editos aliorum impudicitiis cooperetur. Si vero Cajus prudenter timeat grave aliquod damnum sibi imminere, puta, si gravem aliquam injuriam, aut vitæ suæ læsionem timeret, tunc Confessarii responsum erit, ipsum posse tuta conscientia sonos edere in dicta Domo, cum ex una parte choreæ tantum ex aliorum malitia turpes evadant, et ex altera nemo teneatur in magno proprii damni periculo aliorum peccata ex charitatis lege impedire. Ita cum Suar. disp. 10, de charit. sect. 3, n. 1. Palao disp. 6, punct. 10. Girib. de scand. c. 7, n. 43 et 46.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Nocte diem Cinerum præcedente comedit Titius ad mediam usque noctem juxta sonitum Horologii cæteris per horæ dimidium tardioris. Qu. An fregerit Quadragesimale jejunium?

Resp. cum distinctione. Si Horologium, ad cujus pulsationem usque Titius comedit, est ex præcipuis loci,

quod aliis etiam vicibus soleat attendi pro regula, utpote per se bene directum, nullo modo Titius jejunii violator dicendus est: sequens enim prædicti Horologii pulsationem, prudenter et cum morali certitudine operatus est, quia quamvis sequatur veluti opinionem unius Auctoris, adhuc illa opinio tali solida ratione fulta est, ut nequaquam hanc tenens in propositionem sub n. 27, ab Alex. VII, damnatam incidere censeatur. Si vero prædictum Horologium, cujus pulsationem per horæ dimidium horologia cætera præcessere, talis naturæ est, ut non soleat attendi, utpote inconstans, et male directum, tunc nequit idem Titius usque ad hujusmodi pulsationem comedens a jejunii violatione excusari, cum hoc sit veluti sequi opinionem unius Auctoris junioris, quæ nisi alicui solido fundamento nixa sit, ex damnata superius adducta propositione probabilis nequaquam censenda est. Ita cum La Croix de jejun. sect. 7, n. 471. Sanch. L. 2, de matrim. disp. 41.

CAS. II. — Capellanus die Sabbati sancti missus a Parocho ad domos paræciæ benedicendas, ibi benedictionis beneficium elargiri recusat, ubi juxta consuetudinem quatuor saltem ova non recipit. Qu. An sit ab omni culpa immunis?

Resp. negative. Quamvis enim Capellanus Parochi vices gerens in benedictione domorum paræciæ jus forte habeat, ut observetur loci consuetudo, ne si ipse sileat, ab unius, et alterius exemplo Parochiani omnes successive consuetudinem Parocho favorabilem destruere sensim nitantur, adhuc tamen cum ex una parte benedictionis beneficium elargiri recusans, ubi ova non recipit, præbeat rudi populo occasionem suspicandi in ipso, vel in Parocho turpe avaritiæ vitium regnare, vel ova prædicta in Benedictionis pretium exigi, et ex altera parte alia non desint media, quibus decentius jura Parochi tueantur, dicendum est, Capellanum agentem ut in casu, esse nequaquam posse ab omni culpa immunem: eo precipue, quod ita agendo soleant etiam jurgia, et contentiones oriri, quæ cum difficillime possint omni culpa vacare, Altaris ministrum non parum dedecent. Ita communiter.

CAS. III. — Sacerdos in magno quodam oppido multæ existimationis vir, ut cuidam Concionatori amico suo tempore Quadragesimæ numerum captet auditorum, eumdem supra meritum extollit, alium vero ex omni parte meliorem non parum deprimit. Qu. Quam culpam, quamve obligationem incurrat?

Resp. cum distinctione. Si prædicta depressio zelum, ac mores Concionatoris depressi graviter tangit, tunc absque dubio Sacerdos noster gravem incurrit culpam, gravemque reparandi damna obligationem, cum fama, et honor alteri debitus graviter lædi, ac deturpari sine gravi culpa non possit, et Concionator depressus, qui omne jus habet ad propriam famam, honoremque servandum, ad eorumdem etiam reparationem jus habeat, si in totum, vel in partem aliorum causa percant. Si vero facta depressio tangit præcise eloquentiam, ac dicendi modum ipsius depressi Concionatoris, tunc quamvis peccet Sacerdos contra veritatem, quia, ut inquit casus, Concionatorem amicum supra meritum extollit, et alium deprimit ex omni parti meliorem, et contra charitatem, quam erga proximum nostrum servare tenemur; gravis tamen culpæ reus dicendus non est, nec ullam gravem incurrit justitiæ obligationem, præsertim cum Concionator depressus apud cæteros eruditos ejusdem Oppidi viros nullam propriæ excellentiæ diminutionem passurus sit, sed aliquam dumtaxat apud vulgares, et indoctos, quorum judicium parum semper, aut nihil existimatur. Ita communiter.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Titius, qui a die Paschæ anni proxime elapsi 1739, confessus non est, cum in Paschate currentis anni 1740, nullius lethalis culpæ sibi conscius fuerit, absque ulla Confessione Sacramentali sacram suscepit Eucharistiam. Qu. An aliquod fregerit grave præceptum?

Resp. negat. Tum quia Theologorum quamplurium mens est, annuæ Confessionis præceptum nonnisi lethalis culpæ reos afficere, qua data opinione, constat Titium nostrum nullius lethalis culpæ sibi conscium ex prætermissa

in secundo Paschate Sacramentali Confessione nullum fregisse grave præceptum. Tum quia etsi illa admittatur opinio, quæ docet per positivum Ecclesiæ præceptum in C. *Omnis utriusque sexus* expressum omnes Christi Fideles, sive conscii, sive non culpæ lethalis, ad faciendam semel in anno Sacramentalem propriæ conscientiæ expiationem teneri, adhuc dici potest, Titium in casu nullum fregisse grave præceptum, cum laudatum Cap. non importet, quod Confessio non sit differenda ultra annum a Confessione ultima incipientem, sed præcise, ut semel saltem singulis annis fiat, quod proinde locum adhuc habere non potest in casu nostro; si Confessio in Paschate currentis anni 1740 omissa, fiat antequam integer annus a Januario, vel Martio inceptus fluat. Ita cum Reinf. tr. 10, de præcep. Eccles. dist. 3. De Lug. de pœnit. disp. 15, sect. 8, n. 157 et 161. Vasq. q. 90, ar. 3, dub. 1.

CAS. II. — Cum unus ex duobus Capellanis, quibus demandata est cura cujusdam Ecclesiæ Beatæ Virginis Mariæ miraculis claræ in Montanis dicatæ, tempore Paschali podagra laborans celebrare nequierit, ad implendum Paschale præceptum petiit ab altero, itemque sacram Synaxim recepit. Qu. An vere dictum præceptum impleverit?

Resp. negat. Ratio est, quia quamvis Sacerdotes, qui in Paschate Missam celebrant, non teneantur Communionem de manu proprii Parochi sumere, vel in Parochiali Ecclesia celebrare; adhuc tamen quando vel nolunt, vel ex aliquo impedimento prædicto Paschatis tempore celebrare nequeunt, censeri debent ut laici, et proinde ut præcepto sumendi sacram Synaxim in cap. *Omnis utriusque sexus* de pœnit. et remis. expresso satisfaciant, vel ad Parochialem Ecclesiam debent accedere, vel ut alibi eamdem sumant facultatem ab Ordinario, vel a proprio Parocho obtinere. Cum autem hujus obtentæ facultatis nulla fiat mentio in nostro casu, dicendum est, Capellanum nostrum, qui impotens ob podagram celebrare sacram Synaxim Paschali tempore a socio Capellano recepit, nequaquam Paschalis Com-

munionis præcepto satisfecisse. Ita cum Rosig. de Euch. q. 8, art. 3, n. 12. Lug. disp. 18, sect. 1, n. 31. Girib. de Euch. c. 8, n. 25.

CAS. III. — Speciosus Juvenis postquam per aliquod temporis spatium per dulcia verba spem nutrierit cujusdam Viduæ eum maximè peroptantis in sponsum, a qua munera interim varia receperat, eadem relicta, aliam fœminam in uxorem duxit. Qu. An licite possit recepta munera retinere?

Resp. affirm. Cum enim dulcia verba, quibus a Juvene nostro nutrita fuit per aliquod temporis spatium spes Viduæ eumdem maxime peroptantis in sponsum, vera promissoria non supponantur, dicendum est, munera ab eodem juvene in casu nostro recepta non fuisse sponsalitias arrhas, sed pura dona provenientia a libera Viduæ voluntate ita agentis, ut Juvenem facilius ad matrimonium secum contrahendum alliceret. Hoc autem posito, cum nutrire præcise spem alterius non imponat onus dandi alteri, quod ab eo speratur, sequitur nullam contigisse in casu ex parte Juvenis justitiæ violationem, et proinde ad nullam teneri receptorum munerum restitutionem, sicuti a pari nulla oritur obligatio restitutionis in muliere illecta per munera ad actus turpes, quos receptis muneribus præstare recusat, quamvis cognoscat eadem munera sibi unice ad dictum finem ab alliciente præberi. Ita cum Barthol. a S. Fausto de Rest. disp. 27. quæst. 18. aliisque.

MENSE MAII.

CAS. I. — Cum quadam die Capellanus ruralis ex obitu Matris magno animi mœrore gravatus esset, petiit a Parocho, an absque culpa posset tali die Horarum Canonicarum recitationem omittere, cui Parochus respondit affirmative. Qu. An bene responsum fuerit?

Resp. negat. Nam sicuti a Divini Officii recitatione non excusatur corpore infirmus, quando absque gravi incommodo, et corporalis nocumenti periculo præstare

eamdem potest, ita, cum recitatio prædicta magis spirituali animi solatio, quam ipsius gravamini valeat inservire, dicendum est, Capellanum nostrum nullam habere impotentiam moralem, quæ eumdem etsi magno animi mœrore gravatum a Canonicarum Horarum recitatione excuset. Et quamvis difficile quam maxime sit, ut mens tetra proxime secutæ mortis imagine oppressa, ac agitata prædictæ recitationi debita cum attentione, ac devotione incumbat, hoc non sufficit, tum quia distractio in casu foret involuntaria, tum quia per attentionem externam posset interioris defectum supplere. Ita cum Tambur. L. 2, in decal. c. 5, § 8, n. 15. Sanch. L. 7, consil. 2, dub. 45.

CAS. II.— Cum ruralis Clericus obtinuerit Beneficium, cujus annui fructus sexaginta librarum proventum non excedunt, certo credit ad nullam Divini Officii recitationem teneri. Qu. An nimium, et plus quam par est, sibi indulgeat?

Resp. affirm. Cum enim jura dicentia, Beneficium dari propter officium, indistincte de quocumque sive pingui, sive tenui beneficio loquantur, ut patet tum Cap. ult. de rescrip. in 6, tum sess. 9, concil. Later. sub Leone X. tum vers. *Declarantes* in S. Pii Quinti hac de re edita Constitutione, constat, Clericum nostrum nimium sibi indulgere, dum credit se ex tenui sexaginta librarum proventu ad nullam Divini Officii recitationem teneri. Et quemadmodum qui sponte dat nomen militiæ, vel pauperem ducit uxorem, tenetur militare, et uxorem alere, etiamsi quod congruum est pro militis sustentatione, et pro alenda uxore integre non receperit; ita qui tenue beneficium sponte acceptat, etiam ad illi adnexam quotidianam officii recitationem tenetur, quamvis fructus ab eodem beneficio provenientes honestæ nequaquam sustentationi sufficiant. Ita cum Cleric. cap. 17. Erot. num. 17. Corrad. de disp. L. 4, c. 2, n. 52.

CAS. III. — Ruralis Parochus Presbyterum in sua parœcia commorantem objurgat, quia, etsi pluries invitatus, publicis supplicationibus, quæ quolibet mense

fieri solent, interesse recusat. Qu. An jure merito fieri possit prædicta objurgatio?

Resp. affirm. Ratio est, quia quilibet Sacerdos vi characteris maximi, quo est insignitus, laicis præbere debet exempla pietatis, ac devotionis, omnemque quantum in se est, auferre debet ab eorumdem oculis admirationis, ac scandali occasionem. Oppositum autem contingit in casu, in quo nullum certæ pietatis exemplum, bene vero admirationis motivum præbet Sacerdos noster, dum pluries etiam invitatus supplicationibus illis interesse recusat, quibus omnes ferme laici præsertim in ruralibus locis magno devotionis ardore assistere non dedignantur. Ut igitur idem Sacerdos agnoscat male se gerere, indeque ab errore suo retrahat, locus jure merito datur prædictæ objurgationi, eo vel maxime quod, si Sacerdos titulo Patrimonii sit ordinatus, memor esse debet peculiari quodam vinculo sese Ecclesiæ servitio mancipasse, cum talis servitutis necessitas, vel Ecclesiæ commoditas in casu fuerit, ut idem in ministerium Altaris assumeretur, ut ex Trident. sess. 21, cap. 2, de reform. compertum est.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Titius transactis nonnullis diebus a copula habita cum Francisca Vidua, eidem se esse ex ejus concubitu fœtam asserenti potionem abortus causativam præbet, ex qua expulsio, et mors fœtus ex alio amante quatuor ante menses concepti secuta est. Qu. An possit a simplici confessario absolvi?

Resp. affirm. Ratio est, quia procuratio abortus, et mors inde secuta animati fœtus ad reservatum casum non pertinent, nisi fuerint per se, et formaliter intentæ ab eo, qui potionem præbuit ipsarum causativam; nam ad incurrendam ex causa homicidii etiam in abortu secuti casus reservationem, hæc duo simul concurrere necesse est, nempe, ut hominis occisio vere sequatur, et ut eadem per se intenta, ac volita dici possit; cum in reservatione non materialis, sed tantummodo formalis

abortus consideretur. Porro in nostro casu licet ex potione, quam Franciscæ Titius præbuit, expulsio, et mors animati fœtus secuta sit; adhuc tamen dici non potest, quod hæc fuerit per se intenta, et formaliter volita a Titio, nam ignorans hic, Franciscam quatuor ante menses fuisse ex alio amante fœtam, nil aliud intendere potuit, quam abortum fœtus inanimis, quem ex concubitu nonnullos ante dies cum ipso habito eadem Francisca se concepisse asserebat. Cum itaque abortusin nostro casu secutus formalis dici non possit, utpote per se a Titio nullo modo intentus, Titium nullam incurrisse casus reservationem, et proinde potuisse a simplici Confessario absolvi dicendum est. De Lug. de just. disp. 8, sect. 6, numer. 86. Tambur. L. 6, de præcep. de cal. cap. 4. Girib. de sacram. pœnit, cap. 15, num. 67.

CAS. II. — Postquam Berta externe tantum, et non ex animo sponsalia cum Titio inierit, eumque inde in sponsum ducere recusaverit, hic nova sponsalia cum Caja ipsius Bertæ sorore contraxit. At ortis Cajam inter et Titium dissidiis, hic iterum Bertam, quæ ipsum ducere parata est, in uxorem quærit. Qu. Quid agendum, ut Titius et Berta rite inter se Matrimonium contrahant?

Resp., ad sacram Pœnitentiariam pro opportuna dispensatione recurrendum fore. Ratio est, quia ex quo Berta externe tantum, et non ex animo prima sponsalia cum Titio inierit, perspicuum est subsistere quidem ista pro externo foro, pro interno vero non sic. Hoc autem posito, sequitur ex adverso nova sponsalia, quæ Titius cum Caja Bertæ sorore contraxit, invalida pro externo, valida vero pro interno foro esse adjudicanda, ita ut ex valido in primo casu, invalidum in secundo, et ex invalido in primo, validum in secundo inferatur. Dum igitur impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus cum Caja contractis sit mere occultum, et pro foro interno, in quo tantum ex dictis ipsa hæc sponsalia valida sunt, poterit sacra Pœnitentiaria, quæ pro occultis impedimentis opportuna gaudet facultate, dis-

pensationem pro casu nostro necessariam concedere, ut Matrimonium prædictum inter Titium, et Bertam rite, et valide celebretur.

CAS. III. — Petrus, et Francisca ignorantes se esse in secundo gradu affines Matrimonium inter se publice contraxerunt. Cum autem de prædicto impedimento, quod per plures annos occultum remansit, modo ipsi putati conjuges conscii facti sint, pro opportuno remedio Parochum consulunt. Qu. Quodnam Parochi debeat esse consilium.

Resp. cum distinctione. Si prædicti putati conjuges, qui ignorantes se esse in secundo gradu affines Matrimonium inter se publice contraxerunt, de prædicto impedimento conscii facti non sint, nisi post lapsum decennii, Parochi consilium erit, ut ad sacram Pœnitentiariam pro opportuna dispensatione obtinenda recursus fiat. Cardinalis enim Summus Pœnitentiarius ex concessione ipsi facta ab Innoc. XII, per Bullam, quam pro Pœnitentiariæ regula edidit, in Matrimoniis contractis cum ignorantia impedimenti consanguinitatis, vel affinitatis in secundo gradu, potest revalidationem opportunam concedere : dummodo prædictum impedimentum occultum remanserit per decennium. Si vero impedimentum, quo dicti putati conjuges publice contraxerunt, remansit occultum per plures quidem annos, standum dispositioni ejusdem Bullæ Innocentianæ supra laudatæ, ut ex Instructione hac de re edita a Sanctissimo Domino nostro feliciter regnante die 2 Octob. 1758, aperte videre est, et juxta has regulas debet consultus Parochus respondere.

MENSE JULII.

CAS. I. — Sciens Parochus Titium rusticum, qui, ne carceri propter debita traderetur, ad Parochialem Ecclesiam confugerat, dolo, et fraude fuisse ab eadem extractum, indeque a Curiæ Ministro captum, eidem sub excommunicationis censura præcipit, ut loco sacro eumdem

Titium restitueret. Qu. An Titio non restituto detur locus in casu supradictæ censuræ?

Resp. negat. Ratio est, quia cum post sacræ Congregationis Decretum die 22 Dec. 1716. emanatum, et a Summo Pontifice Clem. XI approbatum illæ duntaxat extractiones a loco immuni imposterum suffragentur, quæ aut violenter patratæ, aut sub fide salvi conductus secutæ fuerint, sequitur Titium nostrum, qui dolo præcise, et fraude extractus fuit a Parochiali Ecclesia, ad quam confugerat, nulla amplius Ecclesiæ immunitate gaudere. Hinc idem Titius ita ab Ecclesia extractus jure capi potuit a Curiæ ministro, quin hic ullam incurrat excommunicationis censuram, et proinde dicendum, Parochum, ex ignorantia novi juris esse locutum, dum sub excommunicationis censura Titium fore dixit loco sacro restituendum, cum vere ex supra laudato Decreto constet Titio etiam non restituto nullum dari locum in casu supradictæ censuræ.

CAS. II. — Cajus villicus, ut e Civitate venientem expectet dominum suum nobilem ac divitem, quem in Patrinum pueri sibi recenter nati elegit, ipsius pueri baptismum ad trigesimum usque diem differt. Qu. An dictum motivum a gravi culpa Cajum excuset?

Resp. negat. Ratio est, quia cum ex una parte nulla alia parvulis præter Baptismum comparandæ salutis ratio relicta sit, et ex altera iisdem propter ætatis imbecillitatem infinita pene pericula impendant, facile intelligatur, ut inquit Catechismus Romanus part. 2, de bapt. num. 28, quam gravi culpa sese obstringant, qui eosdem infantes Sacramenti gratia diutius, quam necessitas postulat, carere patiantur. Hac de re tam ex Ecclesiæ praxi universim recepta, quam ex pluribus Synodis, et præsertim in prima Provinciali Mediolanensi, et in nostra Diœcesana L. 2, cap. 2, de Baptism. statutum est, ne ultra nonum diem Baptismi collatio differatur, cujus proinde statuti violatores prælaudata Synodus nostra latæ excommunicationis pœna perstringit. Nisi igitur Villicus noster ex ignorantia legis, et praxis universim receptæ

a gravi culpa excusetur, neque motivum expectandi dominum, quem in Patrinum elegit, ipsum a gravi culpa excusat. Ita cum Suar. disp. 31, sect. 1. Diana part. 9, tract. 6, resol. 1. Leand. disp. 1. q. 15.

CAS. III. — Cujusdam oppidi Parochus Cajo, qui jam promisit se daturum centum libras Xenodochio, antequam a Xenodochii Rectoribus eadem promissio fuerit acceptata, suasit, ut dictam pecuniam Parochiali Ecclesiæ donaret, ut factum est. Qu. An talis donatio valeat?

Resp. affirmative. Ratio est, quia quamvis promissio facta in causæ piæ favorem valida, et irrevocabilis ab aliquibus censeatur, etiamsi nulla interveniat Promissarii acceptatio, adhuc tamen probabilius est nullam oriri in promissione prædicta sive naturalem, sive civilem obligationem, quamdiu ejusdem promissionis acceptatio non accedat; cum omnis promissio per se respective sit juxta cujusvis contractus naturam, qui sine mutuo duorum consensu consistere nunquam potest. Cum itaque promissio facta a Cajo in favorem Xenodochii neque dici possit acceptata a Deo quantum ad debitum, cum non supponatur ipsi Deo immediate facta per modum Voti, neque, ut inquit casus, acceptata fuerit a Rectoribus Xenodochii, dicendum est, potuisse pro libito eumdem Cajum absque alicujus injuria sive ex se, sive ex alterius suasione easdem libras centum, quas Xenodochio dare proposuit, voluntate mutata Parochiali Ecclesiæ donare, et consequenter donationem in casu factam valere. Ita cum Spor. de prom. cap. 2, sect. 2, num. 59. et seq. Lug. disp. 23, de just. sect. 3, num. 35, et seq. Sbogar. tr. 138, num. 4.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I.— Puella honesta ex ira gravem alapam Clerico ad ejus sinum manum extendenti inflixit, cum tamen an vere eam tangere vellet, nec ne, certo non sciret. Qu. An excommunicationis pœnam incurrerit?

Resp. negat. Ratio est, quia ad incurrendam excom-

municationis censuram necesse est, ut Clerici percussio ex suadente diabolo facta sit, ita ut nequeat a lethali culpa excusari. Cum autem ira, ex qua Puella gravem alapam Clerico inflixit, non alio ex fonte, ut apparet, orta sit, quam ex zelo servandæ propriæ honestatis, dicendum est, eamdem Puellam, utpote a gravi culpa in nostro casu immunem excommunicationis pœnam nullatenus incurrisse. Et quamvis certo non sciret, an idem Clericus ad ejus sinum manum extendens eam vere tangere vellet, nec ne; hoc nihil obstat, cum ad justum defensionis titulum vehemens imminentis injuriæ præsumptio sufficiens sit, non autem læsionis futuræ certitudo omnimodo requiratur. Potuit igitur Puella contra hujusmodi manus extensionem, quæ ut plurimum terminari solet ad tactum, prætermissa verborum defensione, quæ nihil, vel raro prodest, verbere se tueri, cumque ex tali facto commendanda potius sit, quam objurganda, nullam excommunicationis pœnam incurrisse dicendum est. Ita cum Bonac. in Bullam Cœnæ disp. 2, q. 2, punct. 6, §. 1, n. 3, aliisque communiter.

CAS. II. — Paulus senex confitetur se in ætate adolescentiæ plura commisisse obscœna, nec tamen recordari, an ea confessus fuerit, sed valde timere se ea silentio præteriisse. Qu. Quomodo Confessarius in casu se geret?

Resp. Ex quo Paulus præcise non recordetur an obscœna quæ in adolescentiæ ætate commisit, confessus sit, nulla oritur in ipso obligatio, cum de hac recordari non teneatur, præsertim post diuturni temporis lapsum, et in ætate senili, in qua memoriæ vigor decrescit. Ex quo autem idem Paulus valde ulterius timeat, ne prædicta obscœna tacuerit, debet Confessarius mediis opportunis interrogationibus investigare, undenam oriatur hic magnus timor; si enim valde timeat ex levi fundamento, uti scrupulosis accidere solet, prædictus timor nihili faciendus est; si vero valde timeat, ex quo sciens, vel dubitans obscœna, dum ea commisit, esse peccata, credat se ob ruborem, vel similem causam eadem in confessionibus factis silentio præteriisse;

in casu consulendum est eidem Paulo, ut vel tantum obscœna, quæ timet tacuisse, clavibus de præsenti subjiciat, si bona fide in confessionibus factis processit, vel ut una cum obscœnis etiam integras repetat confessiones, si ex quo mala fide in eisdem faciendis processerit, sacrilege factas esse dignoscatur. Et hoc modo juxta circumstantias superius recensitas Confessarius in casu cum pœnitente suo se geret. Ita cum Giribald. de pœnit. cap. 11, num. 4, et 6. Dian. part. 3, tr. 4, resol. 108. Madern. q. 4, art. 8, num. 14.

CAS. III. — Parochus assistere renuit Matrimonio, quod Caja contrahere vellet cum Titio, qui a nativitate surdus simul, ac mutus est. Qu. An bene se gerat?

Resp. cum distinctione. Si Titius a nativitate surdus simul et mutus nullo modo significat se intelligere, quod ad substantiam Matrimonii pertinere certum est, optime se gerit Parochus, si tali Matrimonio assistere renuit, ne illi assistat actui, quem ex necessariæ cognitionis, consensusque defectu jure merito invalidum, ac nullum putat. Si vero ex signis, et nutibus ipsius Titii possit Parochus fieri moraliter certus eumdem agnoscere, quid agat Matrimonium contrahendo, male se gerit Parochus, si prædicto Matrimonio assistere, alio non obstante impedimento, recusat. Ratio est, quia si nullum datur dirimens impedimentum, et contrahentes agnoscunt quid agant, validum, et licitum est Matrimonium, cui proinde Parochus ex officio tenetur assistentiam suam præbere; dura secus nimis foret hominum dictorum conditio, si a conjugalis status electione absolute et absque ullo discrimine prohiberentur. Ita cum Bos. de Matr. cap. 3, n. 53. Rosig. de sponsal. contr. 14, disp. 1, §. 9. Sanch. de sponsal. disp. 8, n. 11.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Filiusfamilias sub spe lucrandi officium valde honestum, et utile, recusat recognoscere publicis externis actibus Patrem, utpote vilis conditionis, licet eumdem interne diligat, et externis etiam pecuniæ subsi-

diis adjuvet. Qu. An dictus publicus agendi modus possit in casu licere?

Resp. affirmative. Cum enim negligere tales actus externos in casu non proveniat ex defectu filialis obsequii in Patrem, sed ex fine lucrandi officium valde honestum, et utile, quo non tenetur filius in Patris gratiam privari, dicendum est, prædictum publicum filii cum Patre agendi modum posse in casu nostro licere. Eo præcipue, quod Pater in casu nequit esse rationabiliter de dicto agendi modo invitus, cum ex una parte ipsi Patri cordi esse debeat filiorum honor, atque decens utilitas, et ex altera pietas filii in ipsum per subsidia ipsi a filio præstita sufficienter manifestetur. Quamvis itaque prædictus agendi modus filio in honore jam constituto non liceat, quia tunc publicis externis actibus recognoscere Patrem, quantumvis vilem, nullum ipsi filio præjudicium potest afferre, oppositum tamen dici debet in casu, ne filius, quod lucrari sperat, cognoscendo externis actibus Patrem magno sui detrimento omittat. Ita cum Rosig., de patr. potest. disp. 3, c. 1, n. 15. Bonac. in 4 decal. præcep. disp .6, q. unic. punct. 2, num. 4.

CAS. II. — Franciscus obtinuit a sancta Sede dispensationem impedimenti affinitatis, sed exprimendo copulam, quam habuit cum sua affini, non expressit intentionem, quam per dictam copulam habuit, obtinendi scilicet dispensationem. Qu. An obtenta dispensatio sit nulla?

Resp. affirmative. Quamvis enim diversimode sentiant Auctores circa valorem, vel subsistentiam dispensationis super affinitatis, vel consanguinitatis impedimento a sancta Sede obtentæ, quando in supplici libello reticetur vel copula habita, vel prava intentio obtinendi facilius vi copulæ habitæ dispensationem; adhuc tamen pro praxi dicendum est, dispensationem obtentam sine prævia manifestatione prædictæ copulæ pravæque intentionis, nullam, ac subreptitiam esse, cum ita a summis Pontificibus statutum sit, ut validius inter consanguineos, et affines detestabile incestus crimen impediatur. Hoc tamen intelligendum puto, primo, quando prædicta in-

tentio fuit exterius manifestata, cum Ecclesia de internis non judicet, secundo, quando eadem intentio fuit inter copulam habentes reciproca, cum æquum non sit, ut unius delictum alteri noceat, tertio denique, quando alia sufficiens dispensationis causa enarrata non fuit, cum secus obligatio manifestandi sive copulam, sive intentionem in copula habitam, non videatur amplius urgere. Ita cum Sanch. de Matr. tr. 8, disp. 25, n. 30 et 31. Corrad. in praxi dispen. L. 6, c. 1, n. 56 et seq.

CAS. III. — Juvenis in ætate annorum viginti constitutus, cum esset gravi infirmitate detentus, vovit, si convalesceret, determinato infirmorum xenodochio toto vitæ suæ tempore inservire. Cum autem infirmitatem suam perfecte evaserit, vellet adhuc per aliquod tempus voti sui executionem differre. Qu. An, et per quale tempus hoc liceat?

Resp. licere, sed ad modicum tempus. Ratio primæ partis est, quia dum dicitur, quod conditionate vovens, purificata conditione teneatur statim, seu quamprimum potest, votum suum implere, illæ particulæ statim, seu quamprimum accipi debent juxta communem prudentium virorum sensum, in quo aliquam semper temporis dilationem admittunt; sicuti alias similes obligationes sub dictis particulis enunciatas explicare solemus. Ratio secundæ partis est, quia ubi non datur rationabilis causa differendi ad notabile tempus voti facti executionem, licita esse nequit prædicta dilatio juxta illud, quod legitur Deuter. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Cum autem, ex quo juvenis noster perfecte jam convaluerit, et attenta ejus annorum viginti ætate sit jam bene aptus, ut xenodochio de præsenti inserviat, nulla appareat rationabilis causa differendi ad longum tempus voti facti executionem, imo ex quo votum perpetuum sit, quo magis differtur ejusdem executio, minus de eodem reddatur Deo, dicendum remanet, nequaquam licere, ut idem juvenis ultra modicum aliquod tempus, puta ultra spatium quatuor, vel quinque mensium xenodochio, ut vovit, differat inservire. Ita cum

Spor. de voto cap. 2, sect. 5, n. 111 et 117. Tambur. L. 3. in decal. c. 12, § 5.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Capellanus institutus ut quotidie absque ulla vacatione juxta institutoris mentem celebret, dubitat, an juxta eamdem celebrare teneatur sive in die Commemorationis omnium Defunctorum, sive in Cœna Domini, si aliquando hac die ei celebrandum occurrat. Qu. Dubii solutio?

Resp., pro dubii solutione per se loquendo teneri prima, non autem secunda die. Ratio pro prima est, quia cum ex nulla positiva lege, vel approbata consuetudine vim legis habente satis constet applicationem Sacrificiorum tali die fieri debere juxta mentem Pontificis, vel Ecclesiæ Defunctorum omnium suffragium, nulla adest efficax ratio excusandi Capellanum nostrum, si tali die Sacrificium non offerat juxta mentem sui institutoris. Ratio pro secunda est, quia si die Cœnæ Domini aliquando celebrare contingat, hoc non de jure aliquo communi, sed ex peculiari Superiorum indulto, et favore tali personæ concesso procedit; tali autem favori derogare non potest dispositio institutoris, cum iste nequeat Capellano a se instituto aliam celebrandi obligationem imponere, præter illam, quæ de jure communi permissa est, ita ut illæ particulæ, quotidie, absque ulla vacatione, etc. illos quidem respiciant dies, qui vel ob majorem decentiam, vel ob aliud motivum, solent de jure communi ad non celebrandum concedi, non vero illos, in quibus ex peculiari aliquando favore, ac privilegio celebratur. Ita cum Pasqual. de Sacrif. q. 1133 et 1135, et aliis.

CAS. II. — Rusticus Paterfamilias, ex quo audierit plures gabellas impositas esse ad pompas immoderatas publice sustinendas, vehit ut plurimum in Civitatem fructus cujusdam sui prædii absque solutione gabellæ. Qu. An licite hoc faciat?

Resp. cum distinctione. Si ex ore vulgi præcise audivit

Rusticus gabellas plures fuisse impositas ad pompas immoderatas publice sustinendas, dico eumdem gabellas fraudando illicite operari, quia cum vulgus ut plurimum obstrepere soleat, quando imponuntur, vel augentur gabellæ, etiamsi ex justa, et rationabili causa hoc fiat, ipsius vulgi dictum nequaquam præbet rationem vere probabilem, quæ ab earumdem gabellarum solutione excuset. Si vero gabellas prædictas sic esse impositas audivit Rusticus noster a viris honestis, et fide dignis, tunc censendum est rationem vere probabilem ipsi favere, ut licite possit vehere in civitatem prædii sui fructus absque solutione gabellæ : cum enim non temere judicet tales gabellas contra juris regulas fuisse impositas, optime potest ab earumdem solutione excusari. Hoc tamen intelligendum est, dummodo absit periculum depauperandi se et familiam in amissione rerum, quas vehit sine solutione gabellæ : stante enim tali periculo, cui licite se, aliosque exponere nequit, etiamsi gabellæ non forent jure impositæ, easdem licite fraudare nequaquam potest. Ita cum Lugo disp. 36, dis. 6. Less. L. 2, c. 33, num. 67. Girib. de just. cap. 5, num. 58.

CAS. III. — Cum dies anniversaria, qua Missa de Requiem juxta Testatoris mentem celebrari debebat, in duplex primæ classis festum inciderit, judicavit Parochus eamdem Missam die immediate sequenti, quæ erat de duplici tantum minori, celebrandam fore. Qu. An rectum fuerit Parochi prædicti judicium?

Resp. negative. Ut enim celebrari possint Missæ de Requiem in die, quæ sit de ritu duplici, sive majori, sive minori, requiritur copulative, et quod tales Missæ sint a testatore præscriptæ, et quod dies, in qua celebratur, sit vere dies illius obitus annua, ita enim disposuit sacra Rituum Congregatio, ut ex ipsius Decretis hac de re editis, die 22 Novemb. 1668 et 25 Sept. 1669, videre est. Cum igitur in nostro casu dies immediate sequens ad festum primæ classis, in quo Missa de Requiem celebrata non fuit, non sit amplius dies annua obitus Testatoris, dicendum est, non potuisse tali die, utpote de ritu duplici quantumvis minori, Missam antecedenti

die omissam celebrari, sed debuisse in alteram diem nullo duplici ritu impeditam ejusdem Missæ celebrationem transferri, et proinde, cum secus a Parocho nostro fuerit judicatum, rectum non fuisse judicium censendum est.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I.—Adolescens in arte scribendi peritus, utcum Caja sibi affini Matrimonium sine sumptu contrahere posset, falsum construxit Breve Datariæ, in quo opportuna dispensatio continebatur. Cum autem ejus fraude detecta confugerit ad Ecclesiam, petiit ab Ecclesiæ Rectore, an esset in tali loco securus, cui Rector affirmative respondit. Qu. An bene responsum fuerit?

Resp. affirmative. Quamvis enim Brevia, quæ solent a Dataria pro Dispensationibus matrimonialibus expediri, utpote nomine ipsius Pontificis scripta, jure merito inter Apostolicas Litteras enumerentur, adhuc tamen dicendum est, adolescentem nostrum, qui falsum Datariæ Breve construxit, nequaquam Ecclesiæ, ad quam ejus fraude detecta confugit, securitate privari. Ratio est, quia inter casus a jure asyli exceptos, quos Benedict. XIII, per suam Bullam, quæ incipit: *Ex quo Divina*, illis addidit Bullæ Gregorianæ, recensetur ille dumtaxat falsificantium, non vero falso construentium Apostolicas Litteras, uti ex verbis laudatæ Bullæ apparet. Cum igitur ex una parte sit quid diversum veras Litteras falsificare, ac falsas construere, et ex altera lex in odiosis ex communi regula restringenda sit, non amplianda, dicendum super est, Adolescentem in casu pœnas quidem incurrisse in Bulla Cœnæ contentas, cum in illa tam Apostolicas Litteras falsificantes, quam falso fabricantes distincte, et expresse recensentur, non tamen Ecclesiastica immunitate privari, cum in Benedictina Bulla falsificantium quidem, falso autem fabricantium mentio nullatenus fiat.

CAS. II.—Petrus Confessario suo exponit, ad facilius obtinendam impedimenti consanguinitatis dispensatio-

nem, falso in supplici libello narrasse se cum consanguinea, quam in uxorem jam duxit, carnalem copulam habuisse. Qu. Quid agendum, ut Matrimonium prædictum ex invalido in validum transeat?

Resp., ad Datariam iterum scribendum fore. Ratio est, quia licet alii obreptionis, vel subreptionis defectus, per quos dispensationes a Dataria obtentæ nullæ sunt, quamdiu occulti remanent, possint, ac soleant per favorabilem Pœnitentiariæ rescriptum sanari, ut contingeret, ex gr. si ipsa copula habita cum affini, quam quis in Matrimonium ducere intendebat, non fuisset in supplici Libello narrata, adhuc tamen ad casum copulæ falso narratæ ejusdem Pœnitentiariæ facultas nequaquam se extendit, cum in Innocentii XII. Bulla super Pœnitentiariæ facultatibus de revalidandis Matrimoniis nulliter contractis ex causa subreptionis, vel obreptionis occultæ Litterarum Apostolicarum efformata casus noster expresse excipiatur per hæc verba. Præterquam, si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ tamen antea non intercesserat. Ut igitur Petri Matrimonium ex falsa copulæ narratione invalide cum consanguinea contractum in validum convertatur, nova impedimenti dispensatio ex justæ causæ narratione a Dataria petenda est, ut Instructione a Sanct. Domino nostro die 2 Oct. 1758 hac de re edita sub n. 10, luculentissime edocemur.

CAS. III. — Ut contra usurpatorem prædii ad Ecclesiam Parochialem spectantis expensas litis sustineat Parochus, opportunam pecuniæ summam a Cajo recipiens, passivum censum super alio ejusdem Ecclesiæ prædio fundavit. Qu. An licite, et valide prædictum censum fundaverit?

Resp. negative, quoad utramque partem. Ratio est, quia contractus quilibet, quoad dominium aliquod sive directum, sive utile Ecclesiasticæ rei sive immobilis, sive mobilis pretiosæ; quæ servando servari potest, in alium sine debita facultate, et solemnitate transfertur, illicitus, et invalidus est, ut aperte colligitur tum in Extravag. *Ambitiosæ*, tum in cap. *Nulli* de rebus Ec-

clesiæ non alienandis. Cum autem prædictum dominium circa illam prædii partem, quæ pro quantitate receptæ pecuniæ censui subjecta est, in ipsum Cajum a Parocho transferatur, et ex altera parte nulla fiat mentio, quod debita facultas, atque solemnitas in casu nostro adfuerint, dicendum remanet, factam census impositionem, etiamsi ad sustinendas contra alterius prædii usurpatorem litis expensas fuerit ordinata, ita prohibitam esse, ut prorsus illicita, et irrita censeatur. Ita cum Bonac. de alien. bonor. Eccles. q. unic. punct. 2, n. 9. Riccio decis. 49 et 71.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Homo dives, simulque pius, et humilis, proxime moriturus, disposuit, ut, eo defuncto, ejus cadaver absque omni prorsus funebri pompa ad tumulum deferatur, cui dispositioni Parochus restitit. Qu. Quinam laudandus, divesne, an Parochus?

Resp. cum distinctione. Si pro funebri pompa id præcise intelligatur, quod ad nobilium, et altiorum graduum distinctionem fieri solet, non Parochi resistentia, sed divitis dispositio laudanda est, cum id elegerit vir pius, et humilis, quod magis Deo placere compertum est. Si vero funebris pompæ nomine veniant pii, ac religiosi illi ritus, quos in sepeliendis mortuorum corporibus Beatorum Apostolorum exempla secuta, ac regulis Sanctorum Patrum instructa servat Ecclesia, dicendum est, Parochum, non vero divitem laudandum fore. Cum enim aperte præscribat Rituale Romanum tit. de exequiis, ut sacras Cæremonias, ac Ritus, quibus Sancta Mater Ecclesia in filiorum suorum exequiis uti solet, Parochi summo studio observare debeant, atque usu retinere, et hoc idem per edictum suum Clemens XI confirmaverit, ut in ejusdem Bullario videre est, jure merito infertur, quod executioni mandari non debeat ultima defunctorum voluntas in ea parte, in qua eorum corpus absque ulla honorificentia ab Ecclesia instituta humari præscribant, uti jam ab annis 1699, 15 Jun. etiam Romana Rota de funeribus definivit.

CAS. II. — Cum duo Peregrini Romam devotionis causa adeuntes quadam die in via rixati, baculis, quos præ manibus gerebant, graviter ad invicem se percusserint, reconciliatis inde animis, pro obtinenda Sacramentali absolutione ad proximiorem Parochum accesserunt, qui eosdem absolvit. Qu. An vere potuerint a simplici Parocho absolvi?

Resp. affirmative. Ratio est, quia si aliqua in oppositum dubitandi ratio adesse potest in casu, illa maxime est propter excommunicationis censuram, quæ lædentes Romipetas Bulla Cœnæ perstringit; prædicta autem ratio nihil evincit, nam laudata Bulla exprimit quidem interficientes, vulnerantes, ac mutilantes, simpliciter vero percutientes non exprimit; quos tamen exprimere debuisset, si etiam hos voluisset Pontifex latæ excommunicationis pœnæ subjectos. Cum itaque in pœnis verba stricte sint accipienda, ut cap. in pœnis de reg. jur. in 6, dicendum est, Peregrinos nostros, qui se invicem baculis percusserunt, nullam incurrisse censuram, quod valeat, etiamsi graviter se percutiendo, aliqua carnis contusio, tumor, vel macula in cute appareret, dummodo nullum verum vulnus inflictum sit. Posito autem, quod Peregrini prædicti nulla reservata excommunicationis censura innodati remanserint, in dubium verti non potest eosdem potuisse a simplici Parocho absolvi. Ita cum Duard. L. 2, can. 10, q. 2, n. 2. Ugolin. c. 10, v. Vulnerantes num. 2. Bonac. in Bullam Cœnæ q. 11, punct. 1, n. 3.

CAS. III. — Cajus juvenis ad donum perseverantiæ in castitatis virtute impetrandum, dici sibi bene visæ annis singulis eligendæ in honorem sancti Joannis Apostoli jejunium vovit. At talis jejunii inde pertæsus opinatur per unicum jejunium pervigilii Nativitatis Dominicæ posse simul votum a se emissum implere. Qu. An opinio prædicta possit admitti ut tuta?

Resp. negative. Quamvis enim per se loquendo unico actu possit quis pluribus obligationibus satisfacere, adhuc tamen non videtur posse juvenem nostrum unico pervigilii Nativitatis Dominicæ jejunio, et Ecclesiæ præ-

ceptum, et votum a se emissum implere. Ratio est, quia votum jejunandi in honorem sancti Joannis Apostoli a Cajo emissum, videtur cadere supra jejunium alias non debitum, tum quia novam carnis afflictionem debuit idem Cajus intendere, dum eam ordinavit per votum ad donum perseverantiæ in castitatis virtute impetrandum, tum quia, ut dicitur in casu, jejunii in voto promissi Cajus fuit inde pertæsus, quod nisi de novo jejunio intelligi apte non potest. Dicendum itaque, quod etsi Cajus sit liber in electione diei pro jejunio, cum jejunium voverit dici sibi bene visæ singulis annis eligendæ, non tamen ita liber est, ut possit tanquam tuta admitti opinio illa, qua putat eadem die, qua jejunium aliquod ab Ecclesia præscriptum est, ut est illud pervigilii Dominicæ Nativitatis, posse simul jejunii votum a se emissum implere. Ita cum Girib. in primum decal. præcep. c. 5, n. 7. Mazuch. n. 16.

ANNO MDCCXLI.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Bertæ adulteræ mortem minatur Maritus, si adulterii commissi veritatem occultat, unde ipsa a Confessario consilium petit. Qu. Quid illi sit consulendum?

Resp. cum distinctione. Si novit Berta Marito certo innotuisse adulterium, consultius erit veniam injuriæ petere, ac pœnitentiæ signis Conjugis iram lenire, ne forte ipsius furorem in se magis concitet, si cognitam veritatem voluerit pertinaciter occultare. Si vero Maritus de adulterio a Berta patrato levia dumtaxat indicia, levemque habeat suspicionem, consulendum erit Bertæ, ut se adulterium commisisse neget, negationemque, si opus sit, juramento confirmet, intelligendo intra se, non commisisse adulterium, quod teneatur Marito interroganti aperire. Quamvis enim amphibologica, et æqui-

voca locutio, ubi nulla intervenit rationabilis causa, adhibenda non sit, licitus tamen est ejus usus, quando agitur de evitando gravi damno famæ, et vitæ, ut in nostro casu contingit. Neque uteretur Berta in casu restrictione pure interna, et mentali, quia de facili potest Maritus agnoscere, Uxorem non teneri cum tanto propriæ infamiæ et vitæ periculo turpitudinem suam fateri. Ita Cardenas in prop. damnat. disert. 19, c. 2, num. 17. Piselli p. 1, tr. 4, c. 2.

CAS. II. — Cajus perpetuo Carceri justa de causa mancipatus pluries tentavit fugam, et demum, fracto Carcere, fugit. Qu. An peccaverit sive tentando fugam, sive frangendo Carcerem?

Resp. negat. quoad utramque partem. Ratio primæ partis est, quia perpetui Carceris pœna, quæ pœnæ mortis æquiparatur, adeo gravis est, ut reus, quamdiu spes affulgeat, jus omne ad illam evitandam retineat, cum nulla potestas humana, nisi aliud postulet commune bonum, ad illam subeundam valeat obligare. Ratio posterioris est, quia cum licitum sit in casu fugam arripere, licita quoque esse debent media ad fugam, et consequenter ipsa Carceris fractio, sine qua ex hypothesi fuga haberi non potest. Cum igitur hic non agatur vel de gravi communis boni periculo, vel de aliquo judicis, aut ministrorum injuria, aut læsione, poterit ad summum dici, Cajum teneri ad reparandum damnum secutæ fractionis, nunquam vero eumdem, sive tentando fugam, sive frangendo Carcerem, peccasse. Ita D. Thom. 2, 2, q. 69, art. 6, ad 2. Lugo de just. et jur. d. 40, sect. 4, n. 41 et 42.

CAS. III. — Cum ruralis Parochus, ad consecrandam Particulam pro ministrando Viatico Parochiano moribundo, Missam celebrare deberet, nolit celebrare, quia Altare carebat luminibus opportunis. Qu. An bene se gesserit?

Resp. cum distinct. Si pro carentia luminum opportunorum, carentia quorumcumque luminum absolute intelligatur, dico Parochum se bene gessisse. Ratio est,

quia in quacumque hypothesi, sive dici festi, sive Viatici ministrandi, illicitum est, utpote contra reverentiam debitam Sacrificio, Missam absque omni lumine celebrare. Si vero intelligatur tantummodo carentia luminum in qualitate, aut numero per rubricas præscriptis, male Parochum se gessisse dicendum est. Quamvis enim ex rubricarum lege duo saltem lumina ex cera in quolibet Sacrificio sint adhibenda, lex ista, præciso scandalo, urgere non debet in casu necessitatis, qualis ille est, in quo noster Parochus reperitur ; in hoc enim casu, et unicum lumen sufficere, et illud sive ex cera, sive ex oleo, aut sevo confectum sit, sufficienter posse inservire communiter docent Auctores, ut ex Azor. l. 10, c. 28, q. 5. Girib. de Sacrif. Missæ tr. 5, c. 9. La Croix, l. 6, p. 2, n° 208, § 11.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Titius nonnullis vix transactis horis ab ultima denuntiatione vellet Matrimonium cum Berta contrahere. Qu. An Parochus licite possit Titii votis annuere?

Resp. negat. Quamvis enim ex Concil. Trid. sess. 24, c. 1, de reform. Matrim. expresse non habeatur, quod Matrimonii celebratio ad aliquod tempus, puta ad spatium duorum saltem, vel trium dierum, post ultimam denuntiationem differri debeat, adhuc tamen, cum finis post ultimam denuntiationem sit, ut si aliquod obstet impedimentum, detegi possit, atque opportune deferri, menti ipsiusmet Concilii, et Ecclesiæ valde consonum est, ut ultima peracta denuntiatione Matrimonium statim non contrahatur, sed duorum saltem, vel trium dierum spatium pro iisdem impedimentis, si quæ sint, opponendis supersit. Hac de re praxis est plurium Synodalium Constitutionum firmata, ut absque Ordinarii licentia ultimæ denuntiationis die Matrimonium non celebretur, nisi ultimam denuntiationem fieri illa die contingat, ad quam immediate Adventus, vel Quadragesimæ initium subsequatur. Ita ex Act. Eccles. Mediol. de

Instruct. Matrim. part. 4, c. 2. Girib. de denunc. n. 10.

CAS. II. — Sciens Sacerdos in Oratorio campestri recenter constructo, et nondum benedicto, ex duorum rixa secutam esse violentam sanguinis effusionem, Missam in eodem celebravit, antequam opportuna foret benedictione reconciliatum. Qu. Quot leges fregerit?

Resp., unicam legem fregisse. Ratio est, quia, cum ex. can. 1, de cons. d. 1. Missæ Sacrificium nequeat celebrari in Ecclesiis, vel publicis Oratoriis, nisi prius fuerint sacro Consecrationis, vel saltem Benedictionis ritu divino cultui dicata, clare apparet, Sacerdotem nostrum, qui Sacrum peregit in Oratorio Campestri recenter constructo, et sive ante, sive post, secutam Sanguinis effusionem nullatenus benedicto, contra supra laudatam legem egisse. Non apparet autem, quomodo aliam fregerit, cum dici non possit aliam fregisse, ex quo celebraverit in loco polluto, nam cum loci sacri pollutio a jure inducta, utpote importans legalem maculam, legali tantummodo sanctitati ex Consecratione, aut Benedictione ortæ opponatur, dicendum est Oratorium in casu nostro, utpote nullatenus consecratum, aut benedictum, neque proprie fuisse per violentam Sanguinis effusionem pollutum; et proinde stat Sacerdotem in eodem Oratorio celebrantem unicam dumtaxat legem fregisse, ut dictum est. Ita ex Pasqual. de Sacrif. q. 559, nº 1. Anaclet. de Sacram. q. 12, nº 116.

CAS. III. — Paulus accusans se in Confessione de re gravi furto sublata, non explicat tempus, quo rem ablatam apud se retinuit. Qu. An prædicta Confessio habeat sufficientem integritatem?

Resp. cum distinct. Si Paulus tempore, quo apud se rem ablatam retinuit, per novum specialem actum pluries renovavit propositum non restituendi: vel data pluries opportuna restituendi occasione, etiam cum advertentia ad dominum rationabiliter invitum, potens restituere non restituit, ejus Confessio sufficienter integra dicenda non est. Ratio est, quia, cum novum elicere non restituendi propositum, vel data restituendi occa-

sione non restituere, sit elicere novum actum, vel expressum, vel implicitum contra præceptum non retinendi alienam rem, quod, utpote negativum, semper, et pro semper obligat; hinc est, quod in casu Confessio ipsiusmet Pauli, utpote non explicans numerum peccatorum, sufficientem non habet integritatem. Si vero Paulus nunquam potuit restituere, vel semper fuit in eodem non restituendi proposito, nec aliquando majus domini malum secutum sit, tunc, cum diuturnitas temporis nec numerum augeat peccatorum, neque circumstantiam importet necessario in Confessione aperiendam, dicendum est, Pauli Confessionem etiam non expresso tempore, quod apud se rem ablatam retinuit, sufficientem integritatem habere. Ita Bon. de restit. disp. 1, q. 6, nº 10 et 11. Girib. c. 5, nº 27.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Rusticus in forma pauperum petiit a sancta Sede, et obtinuit dispensationem ad contrahendum Matrimonium cum Caja sibi in quarto gradu affini : antequam tamen Matrimonium contraheret, ex obitu cujusdam consanguinei sui, ei advenit pro statu suo pinguis hæreditas. Qu. An ex obtenta dispensatione possit valide prædictum Matrimonium contrahere?

Resp. cum distinct. Vel dispensatio a Pontifice obtenta, et per Commissarium executioni demandata est, antequam Rustico adveniat pinguis hæreditas, vel non. Si primum, dico, Rusticum jam vere, et legitime dispensatum posse valide dictum Matrimonium contrahere : ablatus est enim obex invaliditatis contractus Matrimonialis, quæ etiam adveniente pingui hæreditate revivisscere amplius non potest. Si secundum, dico, quod non existente causa finali dispensationis, quando hæc petitur a Pontifice, vel cessante prædicta causa tunc temporis, quando Commissarius est dispensationem executurus, nequit amplius ipsa dispensatio executioni mandari, cum intentio Pontificis concedentis, et alteri delegantis executionem dispensationis nonnisi veritati expositæ

causæ innitatur; proinde dicendum, impedimentum adhuc perseverare : et rusticum ex obtenta dispensatione non posse valide prædictum Matrimonium contrahere. Ita Layman. l. 1, tr. 4, cap. 22, de disp. nº 14. et 15. Suar. l. 6, de Leg. c. 20, nº 13.

CAS. II. — Cum quodam die festo non haberet Parochus ruralis vinum ad celebrandam Missam, celebravit in musto. Qu. An licite, et valide consecraverit?

Resp. affirmat. quoad utramque partem. Ratio, cur valide consecraverit, est, quia mustum, ex uvis maturis expressum, est verum vinum de vite, quamvis impurum, et imperfectum, et proinde materia vere sufficiens pro Calicis consecratione. Ratio, cur consecraverit etiam licite est, quia in casu necessitatis licitum est adhiberi vinum, etiamsi non sit totaliter purum, et defæcatum, quale est mustum ex uvis maturis expressum, ut colligitur ex cap. *Cum omne*, de consecr. dist. 2, ubi dicitur posse in necessitate botrum in Calice exprimi, et aqua misceri, et ita confici Sacrificium. Cum itaque habeatur in casu dicti Festi necessitas audiendi Sacrum, et ex altera parte usuale vinum pro Sacrificio conficiendo nequeat, ut inquit casus noster, adinveniri, Parochum nedum valide, sed etiam licite in musto celebrasse dicendum est. Ita ex Tambur, de Euchar. l. 4, c. 1, § 2, nº 2. Girib. c. 2, nº 15.

CAS. III. — Sacerdos finita Missa, cum jam esset in Sacristia, fragmentum in Patena invenit. Qu. Quid facere debuerit?

Resp. cum distinct. Si Sacerdos fragmentum in Patena invenit, antequam vestes Sacerdotales exueret, idem fragmentum, utpote Sacrificii a se peracti reliquiam, sumere tenebatur, cum hæc sumptio ejusdem Sacrificii, quod censetur moraliter perdurare, complementum sit, ac perfectio. Si vero prædictus Sacerdos Fragmentum invenit, postquam vestibus spoliatus jam fuit, debuit vel in Tabernaculum illud deferre, si commode, et absque populi admiratione fieri potuit, vel tuto, et decenter illud servare, ut ab altero Sacerdote consumeretur,

si adesset, qui eadem die celebraturus foret, vel denique in casu, quo sive Tabernaculum, sive alter Sacerdos celebraturus deficeret, debuit ab eodem sumi, qui Missam tunc celebravit. Ita ex Adnot. SS. D. N. Benedicti XIV, de Sacrif. sect. 2, § 146. Zucher. resol. mor. de Euchar. cas. 2, mense Decemb.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Maritus quidam in absentia suæ Conjugis sæpius habuit delectationem de actu conjugii sive præterito, sive futuro, absque tamen periculo pollutionis. Qu. An tales delectationes voluntarie eliciendo peccaverit?

Resp. negat. per se loquendo. Ratio est, quia delectatio specificatur ab objecto, et proinde talis est delectatio, quale objectum. Cum autem actus conjugii, qui in nostro casu est objectum, de quo Maritus in absentia Conjugis delectatur, licitus sit ipsi Marito, licitum quoque ipsi erit de eodem conjugii actu, sive futuro, sive præterito, delectari. Neque refert talem delectationem in Conjugis absentia non posse conjungi cum copula: nam sicuti possunt Conjuges, quando non adest periculum pollutionis honestis tactibus, et osculis invicem delectari absque peccato, etiamsi copulam non intendant; ita, absente eodem pollutionis periculo, possunt per se loquendo absque peccato delectari de actu conjugii, sive præterito, sive futuro, etiamsi copula pro tunc nequeat obtineri. Dixi, per se loquendo, hoc est attenta præcise natura prædictæ delectationis; nam propter aliquam inordinationem, quæ de facili in tali delectatione invenitur, nequit fortasse a veniali culpa excusari. Ita Girib. de Delect. mor. c. 16, n° 112. Laym. l. 1, tr. 3, c. 6, n° 12.

CAS. II. — Titius in die jejunii morose delectatur de esu carnium, quas mente revolvit. Qu. An peccet contra jejunii præceptum?

Resp. negat. Cum enim in die jejunii non interior de

esu carnium delectatio mente percepta, sed tantum externa carnium manducatio, et quidem non aliquo naturæ jure, sed tantummodo positiva Ecclesiæ lege prohibita sit, sequitur Titium, qui de esu carnium, quas mente revolvit, morosam fovet delectationem, nequaquam contra jejunii præceptum peccare. Nisi itaque Titius pravam foveret voluntatem carnes comedendi tempore vetito, quod casus noster non exprimit, nullo modo ipsum peccare contra Ecclesiæ præceptum dicendum est. Dixi contra Ecclesiæ præceptum, quia cum in vanis hujusmodi cogitationibus superflua quæri solcat delectatio, non erit Titius ex hoc capite ab omni saltem levi culpa immunis. Ita Layman. l. 1, tr. 3, c. 6, n° 9. Anaclet. de præcep. Decal. tr. 9, dist. 7, n° 18.

CAS. III. — Capellanus, accepta eleemosyna ad celebrandam Missam pro re gravi, differt celebrationem per aliquot dies. Qu. An graviter peccet?

Resp. cum distinct. Vel res illa gravis, pro qua celebratio Missæ fuit imposita Capellano, est res aliqua pendens, et necessitas de præsenti urgens, vel non. Si primum, ita ut tempore illo, quo Capellanus distulit celebrare, infirmus ex. gr. jam obierit, sententia pro lite prolata sit, vel simile aliud negotium transierit, dico, Capellanum neque posse a gravi culpa excusari, neque receptum Missæ stipendium posse retinere, cum egerit contra mentem illorum, qui Missam pro re gravi absque dilatione celebrandam postularunt, et Missa, re gravi jam transacta, nequeat amplius habere postulatum effectum. Si secundum, dummodo Missæ postulatores omnimodam non exigant celeritatem, dicendum est, Capellanum per aliquot tantum dies, hoc est, ad modicum tempus, differentem Missæ celebrationem, neque peccare, neque ad aliquam restitutionem teneri : cum Missa possit adhuc obtinere postulatum effectum, et modici temporis dilatio in Missarum celebratione etiam a sacra Rituum Congregatione permissa sit. Ita ex Marchin. c. 31, n° 2 et 5. Anacl. tr. 14, dist. 5, q. 8, n° 97. Girib. c. 6, n°. 58 et 59.

MENSE MAII.

CAS. I. — Franciscus detentus in Carcere tanquam reus causæ capitalis petit a Confessario, utrum Judici interroganti denegare possit delictum quod vere commisit. Qu. Quid debeat Confessarius respondere?

Resp. cum distinct. Si Franciscus scit aut dubitat, se non esse legitime interrogatum, eo quod de crimine a se patrato non dentur sufficientia indicia, vel non præcesserit infamia, aut semiplena probatio; tunc Confessarii responsio erit, eumdem Franciscum causæ capitalis reum posse absolute negare delictum. Ratio est, quia cum Judex, non servato juris ordine, jus non habeat interrogandi reum, illumque obligandi ad veritatem manifestandam, ut colligitur ex cap. *Cum oporteat*, et cap. *Inquisitionis* de accusationibus; neque reus, quamdiu illi non constat, se esse juridice interrogatum, tenetur ad mentem Judicis respondere, sed licite potest in possessione suæ famæ, suæque vitæ servari. Si vero Franciscus ab opposito sciat, se esse juridice interrogatum, erit Confessarii responsio, ipsum teneri veritatem fateri, etiamsi veritate manifestata morte plectendus sit; quia sicuti Judex secundum jura interrogans habet jus exigendi veritatem manifestandam, ita reus secundum jura interrogatus tenetur obedire, ac veritatem fateri. Ita ex D. Thom. 2, 2, q. 69, art. 1. Lessio c. 31, nº 12. Girib. de just. et jur. c. 6, nº 41 et 45.

CAS. II. — Uxor obtenta dispensatione impedimenti dirimentis occulti reddit debitum Marito petenti, non prius certiorato de nullitate prioris Matrimonii. Qu. An licite reddat?

Resp. negat. Ratio est, quia Matrimonium etiam obtenta impedimenti dirimentis dispensatione non potest revalidari, nisi ex parte utriusque Conjugis ponatur novus consensus, cum nullus contractus validus sit, ubi consensus contrahentium desideratur. Cum autem nequeat unquam poni novus consensus a Conjuge impedi-

menti ignaro, nisi prius notitiam certam habeat de nullitate prioris consensus, et Matrimonii, hinc sequitur, Marito non prius certiorato de nullitate Matrimonii prioris, juxta consuetam clausulam obtentæ dispensationis, non posse licite Uxorem debitum reddere, cum ista copula respectu Uxoris consciæ nullitatis prædictæ non matrimonialis, sed vere, et formaliter fornicaria dicenda sit, ut ex sapientissima Instructione a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIV, hac de re edita 2 Octob. 1738, aperte videre est.

CAS. III. — Petrus fingit se velle redimere Censum annuum, quem Paulo solvit, ut ab eodem Paulo diminutionem fructuum extorqueat, cum de facto neque possit redimere, neque velit. Qu. Utrum prædicta fructuum diminutio possit ut valida in conscientiæ foro tueri?

Resp. negat. Ratio est, quia Petrus fingendo se velle redimere annuum Censum ad extorquendam a Paulo fructuum diminutionem, nonnisi per dolum, et fraudem ipsiusmet Pauli Censualistæ consensum obtinuit. Cum autem dolus, et fraus dantes causam contractui, ipsum contractum irritum reddant, sequitur, non posse factam fructuum diminutionem tanquam validam in conscientiæ foro tueri. Non quidem, quia Petrus jus non habeat redimendi suum Censum; sed quia cum nolit, nec possit proxime Censum suum redimere, dolose se gerit, ut fructuum diminutionem, quam unice quærit, valeat obtinere. Ita de Lugo de contr. disp. 21, n° 171. La Croix l. 3, part. 2, n° 1018.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Parochus in Montanis, ad restaurandam Ecclesiæ suæ Capellam B. V. dicatam, unam ex duabus argenteis lampadibus, eidem Capellæ dono datis ab Ecclesiæ Patrona, vendidit, dubitans, an ipsi talis venditio in prædicto casu liceret. Qu. An aliquam excommunicationis pœnam incurrerit?

Resp. negat. Nam etiam dato, quod lampas argentea,

quam Parochus noster vendidit, non excipiatur a lege Extravagantis *Ambitiosæ* per cap. *Terrullas* 12, q. 2, dici adhuc non potest dari in Casu locum Censuræ per dictam Extravagantem inflictæ. Ratio est, quia laudata Bulla non perstrinxerit excommunicationis Censura alienantes sine consensu Apostolico Ecclesiæ bona sive immobilia, sive mobilia pretiosa, nisi hoc faciant ex certa scientia legis prohibentis, ut constat ex illis Bullæ verbis: *Si quis contra hujus nostræ prohibitionis seriem quidquam alienare præsumpserit.* Cum igitur Parochus lampadem vendiderit præcise dubitans, an ipsi in Casu restaurandi Capellam talis venditio liceret; non vero sciens, hoc sibi esse absolute interdictum, ausu temerario præsumpserit prædictam rem alienare, dicendum est, potuisse quidem peccare ea ignorando, quæ scire ex proprio munere tenebatur, non tamen aliquam incurrisse excommunicationis censuram. Ita ex Gavant. in Manual. Episc. v. Alienatio, nº 24. Suar. de censur. disp. 4, sect. 10, nº 2.

CAS. II. — Bononiensis Presbyter, domicilium habens in Diœcesi Mutinensi, officium ac Missam celebrat de Sanctis Bononiensibus, quia in Bononiensi Diœcesi possidet Beneficium. Qu. An licite?

Resp. negative. Ratio est, quia cum potentius sit vinculum domicilii, et residentiæ, quam Beneficii, obligatio recitandi Officium tali ritu, et forma, nequit consurgere ex Beneficio tali loco existente, quamdiu obstat habitatio Beneficiarii in alio loco, ut in casu nostro contingit. Sicuti proinde extraneus tenetur se accommodare moribus, et legibus locorum, in quibus habitat; ita Beneficiarius debet se accommodare consuetudini celebrandi, et recitandi divinum Officium juxta ritum loci, in quo residentiam suam sortiretur. Et hæc est praxis, juxta quam omnes sacris Ordinibus initiati Missam celebrare solent, Canonicasque horas persolvere de Sanctis illius Ecclesiæ, in qua eos morari contingat. Qua de re Bononiensem Presbyterum in Civitate Mutinensi commorantem, qui ratione Beneficii, quod possidet in Bononiensi Diœcesi, Missam et officium de Sanctis Bono-

niensibus celebrat, nequaquam licite se gerere dicendum est. Ita Gavant. de rubric. Breviar. sect. 2, cap. 2, num. 19. Filiuc. tr. 25, cap. 7, nº 221.

CAS. III. — Capellanus devotus, ac bene affectus erga Parochum suum, solet in Canone Missæ post expressum Episcopi nomen, illud Parochi recensere. Qu. An possit ab omni culpa excusari ?

Resp. negative. Cum enim ex præcepto S. Pii Quinti in principio Missalis relato præcipiatur, ut nemo aliquid addat, vel omittat in Missæ celebratione, sed ea præcise servet, quæ approbatis ritibus præscribuntur, dicendum est, Capellanum nomen sui Parochi in Canone addentem non posse ab omni culpa per se loquendo excusari. Dixi, ab omni culpa; quia cum additio unius tantum nominis, et quidem non ex fine introducendi novum ritum, sed solummodo ex affectu nimio erga Parochum, materiæ parvitatem non excedat, nequit in casu adinveniri culpa lethalis. Dixi, per se loquendo, quia si Capellanus devotus ex errore invincibili operatur, erit nedum a gravi, verum etiam ab omni culpa immunis. Ita ex Gavant. in Rubric. Missal. part. 2, tit. 8, num. 1. Tamb. de Sacrif. l. 2, c. 5, § 3, nº 6.

MENSE JULII.

CAS. I. — Susceptis duobus oneribus nonnullarum Missarum, applicavit Sacerdos prima Sacrificia ad mentem illius personæ, quæ primo pro iisdem oneribus stipendium datura erat. Qu. An prædicta applicatio licita fuerit?

Resp. negative. Ut enim fructus Sacrificii valide, et licite alteri applicetur, necesse est, ut in sacerdote Sacrificium applicante detur intentio absoluta, et determinata, hoc est, ab omni eventu in futurum contingente independens. Nam si Sacrificium applicari potest juxta mentem illius, qui primo ex duobus daturus est eleemosynam, vel fructus Sacrificii debet in scientia, et acceptatione Dei manere suspensus, usque dum eleemosynæ primo datæ conditio adimpleatur ; vel debet de præsenti illi prodesse, qui conditionem eleemosynæ primo adim-

plebit. Neutrum autem dici potest. Non primum; secus posset nunc etiam applicari satisfactorius Sacrificii fructus pro eo, qui est in actuali lethali peccato, ut illi prosit, quando futuro tempore justificabitur; quod dici nequit. Non secundum; secus esset in facultate illius, qui potest ponere, vel non ponere conditionem, reddere sibi proficuum, vel non proficuum fructum Sacrificii, qui sibi jam fuit transacto tempore applicatus; quo pariter nihil absurdius dici potest. Hac de re sacra Rituum Congregatio, 15 Novembris anno 1605, sub Clemente XIII, illorum consuetudinem, qui Missas celebrent pro iis, qui primo sunt stipem elargituri, tanquam a vetusto Ecclesiæ more aberrantem explosit, ac improbavit. Ita ex Homob. de exam. Eccles. tr. 4, c. 14, num. 130. Marchin. tr. 5, part. 2, cap. 31, num. 9 et 10.

CAS. II. — Ludens Titius rusticus cum filiofamilias suæ conditionis una die obulos quadraginta amisit, altera die sexaginta lucratus est. Qu. An hoc lucrum possit Titius retinere?

Resp., posse Titium absolute retinere obulos quadraginta, quos jam altera die amiserat: Sicut enim Titius perseverante eodem ludo, in quo amisit, poterat licite recuperare pecuniam amissam, ita potest eamdem in novo ludo recuperatam licite retinere; nam cum dictæ pecuniæ dominium ex consensu ipsiusmet Titii acquisierit vi ludi filiusfamilias, potest hic eodem modo vi novi ludi lucratæ pecuniæ dominium in eumdem Titium transferre. Quantum vero ad alios viginti obulos supra quadraginta, filiifamilias qualitas est attendenda: si enim constet, prædictum filium ex præsumpto Patris consensu plenam habere dictæ pecuniæ dispositionem, tunc etiam viginti supra quadraginta lucratus obulos poterit Titius retinere. Si vero non levis adsit suspicio, quod hic pecuniæ excessus vel sit furto e paterna domo sublatus vel contra rationabilem voluntatem Patris ludo exponatur; cum sit lucrum pecuniæ, quam filius alienare non potest, erit suo domino restituendum.

CAS. III. — Parochus, nulla obtenta facultate, cædit

arbores frugiferas sui Beneficii, ut eas vendat, et pretium in usus suæ Ecclesiæ necessario convertat. Qu. An aliquam pœnam incurrat?

Resp. affirmative. Nam si arbores frugiferæ absque ulla facultate a Parocho incisæ in magna sint quantitate, ita ut ex prædicta incisione notabilis deterioratio fundi sequatur, pœnam incurrit Parochus excommunicationis in Extrav. *Ambitiosæ* inflictam, quia istæ arbores solo cedunt, et judicantur pars fundi, quem Beneficiarius sine consensu Apostolico nec alienare potest, nec reddere deteriorem, ut ex decis. Rot. Rom. docet Donat. q. 69, n. 16. Gavant. in Manual. Episc. tit. de rebus Ecclesiæ non alien. n. 18, et Boss. n. 422 et 459. Si vero incisæ arbores in tanta non sint quantitate, ut prædictæ Extravagantis pœna incurratur, incurret Parochus in hac Diœcesi pœnam suspensionis ab officio, et beneficio ad Archiepiscopi beneplacitum, nec non compensationem illatorum damnorum, cum arborum non cæduarum incisio, etiam titulo expendendi earum pretium in usus necessarios Ecclesiæ, sub prædictis pœnis vetita sit, si absque Ordinari, vel ejus Vicarii facultate in scriptis obtenta fiat, ut aperte ex Synod. l. 3., c. 10, videre est.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Petrus, qui plura habuit fornicandi proposita, per lapsum notabilis temporis interrupta, non vult numerum talium propositorum in Confessione aperire, unde inabsolutus a Confessario rejicitur. Qu. An sit jure rejectus?

Resp. affirm. Ratio est, quia cum Petrus plura habuerit fornicandi proposita, hæcque per lapsum notabilis temporis fuerint interrupta, dicendum est, eumdem Petrum non unum, sed plura commisisse interna peccata, quæ numero censentur multiplicari, quoties ipsi voluntatis actus moraliter interrumpuntur. Cum autem ad Confessionis integritatem omnia, et singula peccata non solum quoad speciem, sed etiam quoad numerum, explicare necesse sit, ut habetur ex Trid. sess. 14, c. 5, et ex

alia parte noluerit Petrus propositorum suorum numerum aperire, dicendum est, eumdem Petrum, utpote indispositum, fuisse jure merito absque absolutione rejectum. Ita ex Girib. de integrit. confess. c. 7, n. 36, et communiter.

CAS. II. — Rusticus in voluntaria ebrietate graviter percussit Clericum, quod ante ebrietatem ex malo animo, quem nutriebat in ipsum, se facturum prævidit. Qu. An in Excommunicationem Papæ reservatam inciderit?

Resp. affirm. Nam ad incurrendam censuram nihil aliud requiritur, nisi quod una simul cum interno actu peccati ponatur ipsum factum externum sub censura prohibitum, etiamsi inter internum peccati actum, et ipsum factum externum aliqua temporis mora intercedat. Cum itaque Rusticus ex malo animo, quem nutriebat in Clericum, prævideret ex una parte delictum a se in ebrietate patrandum, et ex alia parte se voluntarie inebriando noluerit jam prævisi inde patrati mali periculum evitare, dicendum esse, taliter potuisse peccatum, et factum sub censura prohibitum, ut ratione actus ante ebrietatem eliciti, et ratione gravis percussionis in ebrietate secutæ, in excommunicationis censuram contra violentam manuum injectionem in Clericos latam, et Pontifici reservatam, inciderit. Nisi igitur ignorantia juris laboraverit Rusticus, censeri nequaquam potest a dicta censura immunis. Ita ex Suar. de censur. disp. 5, sect. 1, n. 20. Bonac. disp. 1, q. 1, punct. 4, n. 10.

CAS. III. — Diaconus simulans externe se habere intentionem, quam vere non habebat, accipiendi Sacerdotium intra annum, Beneficium Curatum obtinuit, licet mutata inde voluntate Sacerdos intra annum effectus sit. Qu. An fructus Beneficii tali anno correspondentes possit in conscientia retinere?

Resp. affirm. Quamvis enim ex dispositione cap. *Commissa* de elect. in 6, non solum mortaliter peccet, sed etiam ad restitutionem perceptorum fructuum teneatur, qui Beneficium Curatum accipit absque animo suscipiendi Sacerdotium intra annum a jure præscriptum;

adhuc tamen, cum in laudato textu habeatur, prædictam dispositionem quoad fructus non valere, quando qui Beneficium obtinuit, mutata voluntate, promotus ad Sacerdotium fuit, clare infertur, Diaconum nostrum, qui, mutata voluntate intra annum, Sacerdos effectus est, ita conditionem ab Ecclesia exigitam adimplevisse, ut possit in conscientia obtenti Beneficii fructus etiam primo anno correspondentes tanquam sibi debitos retinere. Ex quo itaque fraus aliqua ex parte ipsius Diaconi eo tempore, quo Beneficium Curatum obtinuit, intercesserit, inferri quidem potest, ipsum graviter peccasse; non tamen ad aliquam preceptorum fructuum restitutionem teneri, cum ipsa fraus, quantum ad fructus retinendos, per voluntatis mutationem, et conditionis impositæ adimplementum sufficienter purgetur. Ita Layman, lib. 4, tr. 2, cap. 14, n. 10, aliique ex Barb. de offic. Paroch. c. 6, n. 15.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Accusans se pœnitens de copula habita cum Meretrice, recusat solvere pretium, quod pro obtinendo illius corporis usu promisit. Qu. An hoc stante possit absolvi?

Resp. negat., probabilius loquendo. Ratio est, quia, quando in contractu oneroso, etiam de re illicita facto, una pars adimplevit quod jam promiserat, æquum est, ut etiam altera pars suam adimpleat promissionem; cum etiam res illicita sit pretio æstimabilis, non quidem ut illicita est, sed ratione periculi, aut damni, cui se exposuit, qui rem illicitam executus fuit, aut ratione voluptatis, vel utilitatis perceptæ ab eo, qui opus illicitum fieri procuravit. Hac itaque de causa, qui Meretrici pretium spopondit pro obtinendo illius corporis usu, eodem usu jam consecuto, pretium solvere tenetur, cum Meretrix non se obligaverit ad gratis faciendum, quod illicite fecit, sed solum dependenter a pretio, quod, turpi conditione jam adimpleta, solvi omnino licite potest. Et proinde, si pœnitens se accusans de copula habita cum Mere-

trice recusat solvere pretium, quod pro obtinendo illius corporis usu promisit, tanquam injustus rei alienæ possessor, probabilius loquendo, absolvendus non est. Dixi, probabilius loquendo, quia opposita etiam opinio sua probabilitate non caret. Ita Homob. in exam. Eccles. part. 2, tr. 9, c. 6, q. 24. Dian. t. 8, tr. 7, resol. 59, § 2. Girib. de restit. c. 4, n. 8 et seq.

CAS. II. — Dum Sacerdos, peracta Consecratione, signum Crucis supra Calicem cum Hostia efformat, Hostia e manibus in Calicem cadit, unde fere tota remanet madefacta. Qu. Quo ritu prosequendum sit Sacrificium?

Resp. cum distinctione. Si commode extrahi potest a Calice aliqua sensibilis Hostiæ pars, quæ non sit Sanguine madefacta, debet Sacerdos nihil reiterando prosequi Missam, cæremonias, et signa consueta cum prædicta residua Hostiæ parte faciendo usque dum integrum Sacrificium perfecerit. Si vero Hostia ita remaneat madefacta, ut extrahi non possit a Calice pars sensibilis, et ad perficiendum de more Sacrificium idonea, nihil a Calice extrahi debet, sed omissis signis, et Crucibus, quæ cum ipsa Hostia, vel supra ipsam Hostiam fieri solent, debet Sacerdos una cum Corpore sumere Sanguinem signans se cum Calice, et dicens : Corpus, et Sanguis Domini nostri, etc. et ita usque ad finem Sacrificium prosequendum est. Ita ex Rubr. Missal. tit. 10, n. 10. Gavant. in easd. Rubric. part. 3, et D. Thom. q. 83, art. 6, ad 6.

CAS. III. — Francisca vovit recitare quotidie septies Pater, et Ave in honorem B. V. sed ad negligentiam sæpe sæpius non recitavit. Qu. An graviter in tali omissione peccaverit?

Resp. negative. Ratio est, quia ex una parte nequit vovens ex communi mente Doctorum se obligare sub gravi ad ponendam materiam levem, cum Deus talem obligationem, utpote imprudenter factam, non acceptet, et ex altera parte singulæ recitationes fuerunt juxta terminos casus ex mente Franciscæ voventis singulis diebus affixæ, et proinde, cum omissio unius recitationis non

habeat continuationem cum omissione alterius, dicendum est quamcumque omissionem, etiam sæpius repetitam, nunquam omissionem gravem inferre. Nisi igitur Francisca ex erronea conscientia putaverit se teneri sub gravi ad singulas illas recitationes, nunquam in tali omissione, quantumvis fuerit omissio totius materiæ pro qualibet die per Votum promissæ, et fuerit sæpe sæpius repetita, eamdem Franciscam graviter peccasse dicendum est. Ita cum Dian. par. 4, tr. 5, resol. 36. Sporer. de voto tr. 3, c. 2, sect. 3, n. 89.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Peccatori excommunicato occulto Communionem publice petenti Sacerdos particulam præbuit non consecratam, ut Sacramenti reverentiæ consuleret. Qu. An bene se gesserit?

Resp. negative. Tum quia, dum peccatori occulto loco consecratæ præbetur particula non consecrata, intervenit simulatio, quæ in Sacramentorum administratione tanquam perniciosa, et execrabilis ab Innoc. XI, in prop. 29, proscripta est. Tum quia ex tali porrectione Hostiæ non consecratæ præbetur occasio idololatriæ, quæ longe gravius, et deterius peccatum est ipso peccato indignæ sumptionis. Sicuti igitur ad reverentiam Sacramento servandam licitum non est peccatori occulto publice petenti Sacramentum denegare, cum ipse Christus Dominus a participatione sui Corporis non repulerit Judam, quamvis ipsum indignum esse non ignoraret, ita pro eadem reverentia Sacramento servanda nequit loco consecratæ porrigi Hostia non consecrata; tum quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; tum quia major est irreverentia, quæ in casu patratur a Sacerdote, quam sit illa, quæ in suscipiente vitatur. Ita ex D. Thom. in 3 part. qu. 80, art. 6, ad secundum. Dian. part. 4, tr. 4, resolut. 47. Suar. tom. 3, in tertiam part. dis. 67, sect. 4.

CAS. II.—Postquam mulier, permittente Marito, co-

pulam habuit cum Mariti Fratre, eidem Marito petenti debitum negat. Qu. An jure negare possit?

Resp. affirmative. Nam quamvis unius Conjugis delictum nondebeat alteri præjudicium inferre, si alter Conjux innocens sit, ut colligitur ex cap. *Discretionem*, de eo, qui cognovit Consanguineam; attamen, quando alter Conjux patrati sceleris consensu, vel suasione particeps fuit, uterque debet eamdem pœnam incurrere, cum ex adducto cap. habeatur, ei tantum non debere officere affinitatem Conjugis post Matrimonium inique contractam, qui hujusmodi iniquitatis particeps non extitit, cum hic suo jure non debeat sine sua culpa privari. Cum itaque, ex quo Mulier copulam habuerit cum Mariti fratre, permittente Marito, clare appareat, Maritum suo consensu fuisse participem patrati incestus; sequitur, nedum ipsam Mulierem ratione affinitatis cum Marito contractæ privatam esse jure petendi debitum, sed hoc eodem jure privatum quoque esse ipsum Maritum. Dato autem, quod Maritus tali jure privatus sit, ipsi, utpote illicite petenti, jure merito debitum negari potest. Ita ex Girib. de Matrim. c. 19, n. 55. Sanch. de debito conjug. l. 9, disp. 27, n, 3.

CAS. III. — Putans vir quidam pius sexaginta duntaxat milliaribus Lauretum Bononia distare, ad B. V, Lauretanam peregrinationem vovit; sed inde distare cognovit milliaribus centum, et quinquaginta. Qu. An teneatur prædictum votum implere?

Resp. negative. Cum enim certum sit ex una parte ad voti valorem requiri consensum voventis in rem voto promissam, et ex alia parte nihil sit magis contrarium consensui, quam error, nec voluntas feratur in incognitum, dicendum est, virum pium, qui peregrinationem vovit ad B. Virginem Lauretanam ex errore, quo putavit Lauretum sexaginta duntaxat milliaribus Bononia distare, cum distet milliaribus centum, et quinquaginta, ad iter hoc subeundum nullatenus obligari. Eo præcipue quod vovens ex regula generali ad voti adimplementum non obligatur in eo eventu, qui si menti voventis tempore

emissi voti occurrisset, verosimiliter fuisset ab ipso voyente exclusus. Dicendum itaque, quod, cum emissum votum ex defectu consensus circa notabilem circumstantiam peregrinationis promissæ non valeat, vir pius nullatenus teneatur prædictum votum implere. Ita Suar. t. 2, de relig. de voto l. 1, c. 11, n. 8. Beat. part. 1, q. 33, resol. 2.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Cajus post Confessionem in Paschate factam advertit se duo peccata lethalia ex oblivione omisisse. Qu. An intra eumdem annum teneatur iterum confiteri?

Resp. cum distinctione. Si Cajus in Paschate alia lethalia confessus est, confiteri iterum non tenetur. Ratio est, quia præceptum Confessionis Sacramentalis semel saltem in anno faciendæ, juxta Decretum Concil. Later. sub Innoc. III, nihil aliud importat, quam ut quisque, postquam diligenter se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes, et latebras exploraverit, peccata confiteatur, quibus se Dominum, et Deum suum mortaliter offendisse meminerit, ut inquit Trid. sess. 14, c. 5. Cum igitur Cajus ea peccata in Paschate confessus sit, quibus se Dominum mortaliter offendisse recordabatur, dicendum est, ita satisfecisse annuæ Confessionis præcepto, ut vi talis præcepti peccata ex oblivione omissa iterum intra eumdem annum confiteri non teneatur. Si vero peccata, quæ in Paschate Cajus confessus est, fuissent tantum venialia, advertens post Confessionem se peccata lethalia ex oblivione omisisse, intra eumdem annum confiteri iterum teneretur : quia cum annuæ Confessionis præceptum nonnisi circa lethalia versetur, dicto præcepto non satisfecisset Cajus per solam venialium Confessionem, et proinde teneretur intra eumdem annum, sive de oblitis, sive de aliis lethalibus, si quæ denuo commisisset, iterum confiteri. Ita Lugo disp. 15, n. 164. Diana, part. 4, tr. 4, resol. 206. Girib. de pœnit. c. 5, n. 46.

CAS. II. — Res injuste sublata periit apud furem, sed periisset etiam apud dominum ex incendio in ejusdem domo secuto. Qu. Utrum Fur ad aliquam teneatur restitutionem?

Resp. negat. Quia, si Fur in casu ad aliquam teneretur restitutionem, hoc esse debet vel ratione rei acceptæ, vel ratione injustæ acceptionis : neutrum autem dici potest. Non primum; nam res accepta amplius non datur, cum ex hypothesi apud Furem perierit. Non secundum, cum injusta acceptio non inducat restituendi obligationem, nisi fuerit causa efficax damni, qualis non est in casu, quo res furto sublata etiam apud dominum ex incendio in ejus domo secuto periisset. Dicendum proinde, quod, si Fur nullo modo ex re furto sublata factus sit ditior, et res eadem, quæ apud ipsum periit, eodem modo apud dominum ex incendio periisset, ad nullam teneatur restitutionem : sicuti Nauta liberatur a quocumque onere restitutionis, licet invito domino Merces transtulerit ab una Navi ad aliam deteriorem, in qua perierunt, quando etiam prima Navis, a qua Merces translatæ sunt, in eadem tempestate naufragium passa est. Ita ex l. 1, ad Legem Rodiam de jactu. Less. de restit. l. 2, n. 92. Tambur. l. 8, tr. 3, c. 2, § 8.

CAS. III. — Cum Titius creditor agrum sterilem, et incultum, quem a Cajo debitore recepit in pignus, excoluerit, fructus aliquos inde percepit. Qu. An eosdem fructus licite valeat retinere?

Resp. negat. Ratio est, quia quamvis Titius fructus ex agro perceperit, ex quo ipsum propriis expensis, et laboribus excoluerit; adhuc tamen certum est, quod tales fructus spectent ad Cajum, qui dedit agrum in pignus; cum fructus eo ipso, quod ex aliquo fundo nascantur, ad dominum fundi pertineant, ut clare constat ex l. 1, cod. de act. pignor. et c. 1, de usur. Nisi igitur constet de expressa, vel saltem præsumpta domini voluntate libere concedentis, et condonantis tales fructus, debent fructus ipsi, extractis expensis, et laboribus in agro colendo insumptis, vel domino fundi restitui, vel in sor-

tem computari; secus Creditor tales fructus sine justa causa supra sortem recipiens ex re aliena, nullatenus posset ab injustitiæ labe excusari. Ita ex Rosig. de contract. contr. 3, prænot. 12, n. 3 et 4. Navar. in Manual. c. 17, n. 216.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Paulus Presbyter, accepta Eleemosyna pro Sacrificio in talis animæ suffragium offerendo, Sacrificium obtulit quadam die, sed absque intentione satisfaciendi debito contracto per eleemosynam. Qu. An teneatur Sacrificium novum offerre?

Resp. cum distinctione. Si Paulus nunquam habuit intentionem applicandi Sacrificium juxta illius mentem, qui Eleemosynam præbuit, clarum est, Paulum nequaquam debito a se contracto satisfecisse, quia nulla præexistente determinata intentione, habitualiter saltem durante, dici nequit, quod pro uno potius, quam altero Sacrificium offeratur. Si vero ab opposito accepta Eleemosyna pro Sacrificio in talis animæ suffragium offerendo, habuit aliquando intentionem applicandi Sacrificium juxta mentem petentis, dicendum est quod etiamsi eo die, qua Paulus obtulit Sacrificium, novam non habuerit intentionem satisfaciendi debito contracto per Eleemosynam, taliter eidem debito satisfecerit, ut ad nihil amplius teneatur. Ratio est, quia cum applicatio Sacrificii sit veluti ejusdem donatio, quæ a Deo acceptatur, etiam antequam fiat ipsiusmet Sacrificii actualis oblatio, necesse non est, quod voluntas applicandi pro tali anima existat, quando fit Sacrificium, sed sufficit præcise fuisse, et retractatam non esse. Et hæc est praxis, juxta quam pii etiam Sacerdotes non sunt solliciti de renovanda intentione ea die, qua offerunt Sacrificium, dummodo jam habitam non retractaverint. Dicendum proinde, neque Sacerdotem nostrum in hac hypothesi amplius teneri pro sui debiti satisfactione Sacrificium novum offerre. Ita Girib. de Sacrif. Missæ c. 4, n. 3. Cacheran. tr. 9, c. 4, § 2, n. 30. Lug. disp. 8, sect. 6, n. 93.

CAS. II. — Ut diutius devote populum in Ecclesia retineat, solet ruralis quidam Parochus Natalitia nocte tres Missas successive celebrare. Qu. An licite hoc faciat?

Resp. negat. Quamvis enim olim non defuerint Theologi, et Canonistæ, qui, teste Diana pluribus in locis, et de Lugo de Euchar. disp. 20, sect. 1, n° 25. docuerint, licitum esse post primam Natalitiæ noctis Missam successive immediate duas alias celebrare; hoc tamen dici amplius non potest, cum per plura tum Sacræ Rituum Congregationis, tum Synodalium Constitutionum Decreta tales Missas successive celebrare vetitum sit. Cum enim pluries Sacræ Rituum Congregationi propositum fuerit dubium, an liceret Sacerdotibus, Natalitia nocte celebrantibus tres Missas successive celebrare, eadem Congregatio semper respondit : Non licere ; ut constat ex Decretis emanatis die 7 Decembris 1641, die 9 Augusti 1653, die 20 Aprilis 1664, die 15 Novemb. 1678. confirmatis postremo sub Clemente XI, die 18 Decembris 1702. Quibus decretis innixa Synodus nostra Diœcesana, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda, prædictas tres Missas successive celebrare vetat, ut c. 5, de celebratione Missæ videre est; et ex Pignatel. tom. 7, consult. 25. Girib. de Sacrif. Missæ c. 7, n° 14.

CAS. III. — Berta, ad magis fovendum amorem in Puerum Jesum, in Missa nocturna Natalis Domini enixe petiit sacra refici Communione, cui petitioni Parochus annuit. Qu. An Parochus bene se gesserit?

Resp. negat. Nam ex super adductis pro secundo hujus mensis casu Decretis sive sacræ Rituum Congregationis, sive Synodi nostræ Diœcesanæ, æqualiter vetitum fuit, tres successive Missas Natalitia Nocte celebrare, ac sacram Synaxim in Missa, quæ celebrari permittitur, deposcentibus exhibere. Cum autem prædicta Decreta vim legis habeant, et obedientiæ obligationem inducant, Parochum nostrum, qui Bertæ petitioni annuit, male se gessisse dicendum est. Ita cum supradictis, aliisque communiter.

ANNO MDCCXLII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Tempore Jubilæi, quo concessa fuerat facultas commutandi vota, petiit Petrus a Confessario commutationem juramenti ad Dei honorem facti de non amplius aleis ludendo. Qu. An stante legitima permutandi causa, potuerit tale juramentum Confessarius permutare?

Resp. affirm. Ratio est, quia cum juramenta promissoria in honorem Dei emissa nil aliud sint, quam promissiones reddendi Deo juratam rem; ita ex communi mente Doctorum induunt naturam voti, ut moraliter loquendo vinculum juramenti prædicti a vinculo voti non differat, cum unum æque, ac aliud eamdem omnino obligationem inducat. Licet proinde, si de aliis juramentis sermo sit, quæ diversam a voto important obligationem, privilegium, quod communi juri adversatur, de uno ad aliud nequeat extendi, poterit in nostro casu privilegium commutandi vota extendi ad commutationem juramenti in honorem Dei emissi de non amplius aleis ludendo, cum juxta regulam juris, quod in uno æquiparatorum dispositum est, etiam in altero dispositum censeatur. Ita Anacl. de juram. n° 41, et de voto n° 52. Laym. L. 4. tr. 3, c. 11. Homob, tr. 7, q. 77.

CAS. II. — Antonius occidendo Cajum ex defectu plenæ advertentiæ venialem tantummodo culpam commisit. Qu. An teneatur sub gravi culpa resarcire damnum occisi Caji familiæ inde secutum?

Resp. negat. Ratio est, quia sicuti, si in Caji occisione nulla prorsus intervenisset culpa ex eo quod per motum primo primum, vel per casum omnino fortuitum ipsiusmet Caji occisio accidisset, nullatenus ad reparandum damnum occisi Caji familiæ secutum Antonius teneretur; ita, si ex defectu plenæ advertentiæ gravis

culpa non intercessit, nulla debet ipsi Antonio obligatio gravis imponi, cum æque repugnet, quod habeatur effectus absque ulla causa, ac quod effectus major sua causa admittatur. Et sicuti in foro externo gravi pœna puniri non solet illud delictum, quod in eodem foro non probatur ex negligentia graviter culpabili, vel alia gravi legali culpa accidisse; ita in foro interno, seu conscientiæ nemo ad gravis damni reparationem damnandus est, qui in eodem damno causando gravis theologicæ culpæ reus non fuit. Ita Less. L. 2, c. 7, nº 27. Lug. disp. 8, sect. 5. Girib. de restit. dub. 4, nº 26.

CAS. III. — Rusticus parterfamilias confitetur se diligere filios suos plus quam Deum, unde tanquam reus gravis culpæ increpatur a Confessario. Qu. An sit justa Confessarii increpatio?

Resp. cum distinctione. Vel Confessarius ex confessione agnoscit, Rusticum patremfamilias filios suos plus quam Deum diligere amore appretiativo; ita ut propter nimium amorem, quem nutrit in filios, ita sinat ipsos male vivere, ut Deum ipsum offendere non vercantur; vel tantummodo agnoscit, patrem filios plus quam Deum diligere amore pure intensivo, vi cujus ex. grat. intimius doloris sensu afficiatur ex infortuniis filiorum, quam ex offensa ipsius Dei. Si dicatur primum, cum ex præcepto dilectionis Dei teneamur Deum super omnia appretiative diligere, ita ut simus parati omnia potius amittere, quam ipsum Deum, Confessarii exprobratio justissima erit, justa illud Matth. 10. *Qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Si vero dicatur secundum; injustam esse Confessarii objurgationem dicendum est, cum præceptum dilectionis Dei nos ad Deum super omnia intensive diligendum non cogat. Ita ex Palao de Char. disp. 1, punct. 2, nº 5. Girib. c. 4, nº 15, et seq. Sanch. l. 2, c. 33, nº 2.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Ruralis Parochus recusat absolvere Rusticum a peccato gravis percussionis Clerici, sanctæ Sedi reservato, licet sciat, eumdem Rusticum propter incommoda ætatis, et corporis, esse perpetuo impeditum. Qu. An bene se gerat?

Resp. affirm. Cum enim ex Decreto Clementis Octavi ita reservetur Pontifici gravis clerici percussio, ut etiam quacumque necessitate, nisi sit necessitas articuli mortis, cuicumque inferiori Confessario adempta sit absolvendi facultas; nullam dari in Rurali Parocho facultatem ad absolutionem Rustico nostro impendendam, compertum est. Neque refert, Rusticum nostrum esse perpetuo impeditum; quamvis enim eximitur a lege adeundi Apostolicam Sedem, non eximitur tamen a lege se præsentandi eo modo, quo potest, Episcopo, cum ab isto, in casu impedimenti prædicti, absolutionis beneficium valeat obtinere. Poterit Parochus, si aliqua gravis urgeat necessitas, et facilis non pateat aditus ad Episcopum, Rusticum suum absolvere cum onere se præsentandi Episcopo, eo tempore, et modo, quo poterit. Cæterum si eumdem extra mortis articulum absolvere per se loquendo recusat, bene se gerere dicendum est. Ita Bonac. de Censur. disp. 2, q. 3, punct. 6, nº 16. Girib. c. 2, n. 25. Suar. de pœnit. disp. 30, sect. 3, n. 12. Lug. disp. 20, sect. 10.

CAS. II. — Titius dispensatus in Quadragesima ad comedendas carnes præcise ex motivo, quod valde ei noceant cibi Quadragesimales, iis diebus quibus comedit carnes, jejunium non servat. Qu. An graviter peccet?

Resp. affirm. Ratio est, quia cum abstinentia a carnibus non præcipiatur ab Ecclesia tanquam res pertinens ad essentiam jejunii, sed præcise ut res magis ad carnis mortificationem conducens, sequitur, ut qui diebus esurialibus Quadragesimæ dispensatus est ad comedendas carnes præcise ex motivo, quod valde ei noceant

cibi Quadragesimales, adhuc ad carnis suæ mortificationem, per comestionem unicam teneatur. Et sicuti ex quo jejunii præceptum pluribus veluti partibus moralibus constet, nempe unica comestione, abstinentia a carnibus, et nonnunquam etiam ab ovis, et lacticiniis, sequitur, ut possit quis aliquando ovis, et lacticiniis vesci, nec tamen plus quam semel comedere, aut carnibus uti; vel si nondum quis vigesimum primum annum excessit, possit pluries se cibo reficere, nec tamen carnibus vesci, ita infertur, ut semel edendi lege teneatur, cui carnes ex super adducto motivo jejunii tempore conceduntur. Cumque hæc doctrina ita sit confirmata per iterata Edicta, quæ sanctissimus Dominus noster Benedictus XIV, die 30 Maii, et 2 Augusti 1741. promulgavit, ut nulla amplius oppositæ opinioni probabilitas remaneat, dicendum est, certo graviter peccare Titium, qui diebus, quibus comedit carnes, jejunium in unica comestione non servat. Ita ex D. Thom. in 4, dist. 15, art. 3. Cajet. in 2, 2, q. 147, art. 6. La Croix, l. 4, q. 140, n. 1266.

CAS. III. — Cajus, cui onus incumbit familiæ, vetulam, ac cæcam Matrem acrioribus verbis quotidie increpat, eo quod eadem velit se negotiis domesticis non sine aliquo eorum damno immiscere. Qu. An peccet Cajus contra quartum præceptum Decalogi?

Resp. cum distinctione. Si verba, quibus utitur Cajus ad increpandam quotidie Matrem cæcam, et vetulam, adeo aspera sint, ac dura, ut contemptum præseferant Matris, et amori, ac reverentiæ Matri debitæ adversentur, Cajum peccare, et quidem graviter contra quartum Decalogi præceptum, pro certo dicendum est, cum ex vi prædicti præcepti teneantur filii non solum corde diligere, sed etiam ore, et externis actibus parentibus amorem, et reverentiam exhibere. Si vero acrioribus verbis utatur Cajus non quidem ratione alicujus odii, quod habeat in Matrem, vel ex aliquo reverentiæ defectu in eamdem, sed præcise, ut illa domesticis negotiis non sese immisceat, et hoc modo detrimentum familiæ evitet, dico, Cajum contra quartum Decalogi præceptum

non peccare, cum reverentiam Parentibus debitam adhuc integram servet, nisi fortasse ex modo loquendi elata voce, vel alia circumstantia, excessus aliquis in prædicta increpatione contingat, quo casu dicere deberemus, Cajum non fore a levi saltem culpa immunem. Ita ex Tambur. l. 5, in decal. c. 2, § 2. Tolet. l. 5, c. 1. Trullench. l. 4, c. 1, dub. 2, n. 2.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Paulus una hora post solis ortum comedit ex pane, et pisciculis in quantitate septem unciarum, non advertens esse diem jejunii, de quo inde admonetur. Qu. An teneatur tali die adhuc servare jejunium?

Resp. affirmative. Ratio est, quia cum ex una parte non dicatur in casu, quod pluries de mane Paulus comederit, sicque unicam comestionem, in qua natura jejunii consistit, reddiderit impossibilem; et ex altera non sit contra jejunii substantiam, quod comestionis ordo invertatur, dicendum est, Paulum posse adhuc, cum de jejunii die admonetur, jejunium servare, et proinde ad jejunium tali die servandum teneri. Igitur cum pro ea refectiuncula, quam Paulus licite sero fecisset, possit ea cibi quantitas inservire, quam Paulus, non advertens esse diem jejunii, sumpsit una hora post solis ortum; eamque comestionem, quam faceret in prandio, optime possit in casu usque in cœnam differre, dicendum est, ita Paulum agere debere, et sic servare jejunium. Ita cum Girib. de jejun. n. 75. Bossio cas. 18, n. 105. Filliuc. tr. 27, c. 2, n. 29.

CAS. II. — Franciscus, contractis sponsalibus cum Berta, Copulam habet cum ipsa; inde justam invenit causam resiliendi a sponsalibus, quæ quamvis daretur etiam ante Copulam, tamen ignorabatur. Qu. An secuta Copula possit ex dicta justa causa a sponsalibus resilire?

Resp. affirmative. Ratio est, quia cum voluntas in incognitum non feratur, nemo censetur per proprios actus illis juribus renuntiare, quæ actionis tempore se habere non agnoscebat. Et proinde quamvis Franciscus

animum ostenderit permanendi in sponsalibus contractis cum Berta, per Copulam habitam cum ipsa; adhuc tamen, cum ante prædictam Copulam ignoraverit jus, quod habebat, recedendi a promissione, sequitur neque post Copulam amittere proprium jus, sicque posse a contractis sponsalibus resilire : eo nimirum modo quo uxor ignorans Mariti adulterium, et proinde etiam jus, quod ipsa ad divortium acquisivit, non censetur juri suo renuntiare per hoc, quod Marito debitum reddat, neque animus cohabitandi cum eodem Marito, dum ejus adulterium ignoratur, aufert ab eadem Uxore jus ad petendum divortium, dum patratum adulterii delictum detegitur. Ita Lessius l. 2, cap. 42, dub. 7, num. 34. Filliuc. tr. 10, c. 8, l. 11, n. 296.

CAS. III. — Filiusfamilias statuit nomen dare militiæ, propter quod petit a Patre pecuniam suo statui convenientem. Qu. An Pater teneatur in conscientia filii votis annuere?

Resp. affirmative per se loquendo. Ratio est, quia filii ex una parte in eligendo vitæ statu, qui status perpetuitatem importet, ut est status Religionis, Ordinis sacri, et Matrimonii, sive status perpetuus non sit, dummodo ipsi filio, ejusque familiæ conveniens sit, liberi censeri debent. Cum autem ex altera parte teneatur Pater jure naturæ alimenta filiis præbere juxta propriam conditionem ac qualitatem; non est, per se loquendo, cur filio, qui statuit nomen dare militiæ nulli dedecus afferenti, pecuniam proprio statui convenientem neget. Dixi, per se loquendo : nam si ex hoc, quod talis filius daret nomen militiæ, aliquod grave damnum vel domesticæ gubernationi, vel ipsi Patri accideret, aliter esset loquendum; cum enim in his, quæ ad domesticam pertinent gubernationem, Filius Patri subditus sit, idemque Filius teneatur, vi naturalis pietatis, etiam a Religionis ingressu abstinere, ut Patri in extrema, vel gravi necessitate constituto subveniat, Patrem in his circumstantiis non teneri in conscientia Filii votis annuere, dicendum est. Ita ex Thom. Sanch. in Decal. l. 4, c. 35, n. 15, et seq. aliisque communiter.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Paulus uxoratus ignorans Catharinam esse conjugatam, adulterium cum ipsa committit, cum promissione Matrimonii in casu, quo Mulier, quam habet de præsenti, moriatur. Qu. An mortua Pauli uxore, et Catharinæ Marito, possit Paulus ducere Catharinam?

Resp. negative. Quemadmodum enim si Paulus uxoratus adulterium committeret cum Catharina uxorata cum promissione eam ducendi in uxorem statim ac liber evadat a primo conjugio, non potest etiam, mortua propria uxore, ducere Catharinam; ita licet uxoratus adulterium committat cum Catharina, quam ignorat esse uxoratam, cum promissione eam ducendi in uxorem statim ac mulier, quam de præsenti habet, moriatur, etiam hac muliere mortua una cum Catharinæ Marito, nequit ducere Catharinam. Ratio pro utroque est, quia, cum ad contrahendum in casu criminis impedimentum non requiratur, quod uterque sciat se duplex adulterium patrare, sed sufficiat, quod unus agnoscens conjugium alterius, cum ipso adulterium committat cum promissione Matrimonii, si liber a tali conjugio evadat, dicendum est, sufficere, quod Catharina, sive libera sit, sive conjugata non agnoscatur, sciat Paulum esse uxoratum: ut adulterium cum ipso patratum sit, et dicatur ex utraque parte formale, prout requiritur, ut una cum promissione Matrimonii impedimentum inducat. Ita ex Anael. de imped. crim. num. 95. Girib. c. 14, n. 15. Roncagl. c. 17, n. 2.

CAS. II. — Solus Titius conscius est impedimenti affinitatis orta ex Copula illicita inter Antonium, et Bertam. Qu. An dum fiunt publicationes pro Matrimonio, teneatur hoc impedimentum Parocho revelare.

Resp. affirm. per se loquendo. Ratio est, quia quando agitur de vitando alterius gravi damno, et peccato, tenetur quis mali causam manifestare, etiamsi probare non

possit, et præsertim ubi Superioris præceptum hoc postulat. Sumus autem in casu : nam in Matrimonio cum impedimento dirimente celebrato non solum gravis injuria irrogatur Sacramento, quod sic contractum est nullum, sed etiam grave damnum, sive spirituale ipsis contrahentibus, qui sic scienter contrahendo peccant, sive temporale proli, quæ hoc modo nascitura est illegitima, irrogatur. Quamvis propterea solus Titius conscius sit impedimenti affinitatis ortæ ex copula illicita inter Antonium, et Bertam, dum fiunt publicationes, tenetur per se loquendo prædictum impedimentum Parocho revelare. Dixi per se loquendo, nam si vel speraret profuturam esse privatam admonitionem, ut contrahentes opportunam peterent dispensationem, vel sibi grave damnum imminere timeret ex illa occulti criminis denuntiatione, in hoc casu ex communi sententia ad prædictam denuntiationem non tenetur, quia vel necessaria non foret, vel lex illum in casu non obligaret. Ita ex Girib. de denunt. n. 45 et 48. Boss. c. 7, n. 173 et 159. Palao punct. 13, § 6, n. 5.

CAS. III. — Petronius vir alioquin bonus, filium habens ludo, et ebrietatibus deditum, veritus uxoris indignationem, ipsiusque filii audaciam, omnia dissimulat. Qu. An possit in casu ab omni culpa excusari?

Resp. negative. Ratio est, quia si cæteri, quibus paterna non incumbit sollicitudo, curam tenentur habere suorum domesticorum, (qui enim suorum maxime domesticorum curam non habet, teste Apost. 1, ad Cor. 5, est infidelis, et infideli deterior) ; multo magis Pater curam filiorum habere debet, cum ad filios recte educandos naturalis pietatis lege, ac peculiari quodam vinculo adstringatur. Cum proinde omni studio teneatur Pater filios a peccatis maxime gravibus avertere, atque in hunc finem objurgationes, ac punitiones opportune adhibere; nisi agnoverit Petronius, ipso etiam objurgante, nullam fore in filio emendationis spem, imo magis ex impudenti uxoris iracundia, ipsiusque filii audacia delicta augeri ; clare infertur, eumdem Petronium, qui delicta filii ludo, et ebrietatibus dediti

omni penitus omissa objurgatione dissimulat, non posse ab omni culpa excusari. Ita Sot. l. 3, q. 2, art. 1. Navar. c. 24, n. 18. Azor. part. 2, l. 2, c. 4, q. 17 et 18.

MENSE MAII.

CAS. I. — Sciens Parochus, Antonium suum Parochianum sepulturam elegisse extra Ecclesiam Parochialem, illum morti proximum ad revocandam electionem factam cogit, et de facto revocavit. Qu. An dictus Parochus in aliquam Censuram inciderit?

Resp. negative. Ratio est, quia excommunicationis pœna per Clementis Quinti Constitutionem inflicta contra eos, qui ad electionem sepulturæ, vel ad mutationem electæ aliquem inducunt, ad eos tantummodo casus se extendit, in quibus aliqui ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducuntur, ut ex verbis ipsius Constitutionis, quæ incipit, *Cupientes, de pœnis*, videre est. Cum autem in nostro casu nulla fiat mentio de voto, juramento, vel alio simili vinculo promissionis, perspicuum est, laudatam Constitutionem nequaquam ad casum nostrum extendi. Deinde cum prædicta constitutio in Parochorum favorem edita sit, et juxta regulas juris, quod in favorem alicujus inductum est, in ipsius damnum retorqueri non debeat; ex hoc etiam capite, Parochum nostrum nequaquam in censuram incidisse dicendum est. Ita communiter apud Sayrum l. 4, c. 12, n. 8. Suar. disp. 22, sect. 4. num. 25. Filliuc, tr. 15, c. 7, q. 3. Bonac. de excommun. extrav. Bull. Cœnæ, disp. 2, q. 6, punct. 4, n. 2 et 3.

CAS. II. — Rusticus quidam confitetur, se inopia pressum dixisse nullam Dei inesse suæ familiæ providentiam, quo vix audito, Confessarius Pœnitentem inabsolutum ad Pœnitentiarios mittit. Qu. An Confessarius bene se gerat?

Resp. negative. Ratio est, quia cum agatur de persona Rustica, quæ regulariter loquendo ea non distin-

guit, quæ sunt distinguenda, antequam Confessarius pœnitentem ad Pœnitentiarios inabsolutum mittat, inquirere debet primo, an pœnitens paupertatis tædio affectus ita ex puro impatientiæ impetu protulerit blasphema verba, aut ad improbum ipsorum sensum non plene adverterit; nam in tali casu, sicuti a gravi culpa, ita etiam a reservatione excusaretur. Secundo, dato, quod Pœnitens prædicta verba proferendo lethalem culpam contraxerit, debet Confessarius inquirere, an etiam corde crediderit, Deum revera familiæ suæ providentiam non habere; si enim hoc Rusticus credidisset, cum esset formalis hæresis reus, ad Pœnitentiarios inutiliter mitteretur, qui ab hæresis crimine absolvere nequeunt. Tertio denique, si pœnitens vere incidisset in casum blasphemiæ hæreticalis, et non hæresis, Confessarius debet examinare, an detur locus absolutioni indirectæ, dum interim facultas pro impertienda absolutione directa obtineatur. Cum itaque nihil ex his egerit Confessarius noster, nonnisi male se gessisse remanet concludendum.

CAS. III.—Cum Berta fuerit sæpe a Marito verberibus correpta, utpote valde loquax, et querula, fugiens quadam die se recepit in paternam domum, a qua recusat ad Maritum reverti. Qu. An confessarius possit Bertam absolvere, si renuat ad Maritum redire?

Resp. cum distinctione. Si Maritus graviter, et cum excessu Bertam uxorem verberibus sæpe corripiat, dico, eamdem Bertam, utpote quæ ratione simplicis loquacitatis non præbeat ipsi Marito rationabilem causam eam graviter verberibus corripiendi, jus habere recedendi a Marito; et proinde, etsi ad Maritum redire nolit, non posse ex hoc capite absolutionis beneficio privari. Si vero Maritus leviter tantum Bertam verberet, prout habita ratione personæ, conditionis, et status, id judicat pro ejusdem uxoris emendatione opportunum, dico, Bertam jus non habere recedendi a Marito, cum Maritus jure suo possit uxorem ratione nimiæ loquacitatis etiam moderatis verberibus castigare. Sicque quamdiu Berta in hoc casu ad Maritum redire recuset, præsertim si Ma-

ritus de tali reditu sollicitus sit, indisposita erit, ut eidem absolutionis beneficium conferatur. Ita Girib. in 4. Decal. præcept. c. 2, n. 1. Bonac. punct. 7, n. 1 et 2. Filliuc. tract. 28, part. 2, c. 9, q. 3, n. 141.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Famulus quidam quinquaginta successivis furtulis domino suo nec diviti, nec pauperi, furatus est viginti quatuor julios sine prævia intentione perveniendi ad talem summam, et sine advertentia ad priora furtula, dum singulis vicibus furatus est. Qu. An teneatur sub gravi prædictos julios restituere?

Resp. affirmative. Quamvis enim, ex quo famulus paulatim furatus sit summam viginti quatuor juliorum sine prævia intentione perveniendi ad talem summam, et sine advertentia ad furtula antecedenter commissa, rite colligatur, ipsum nunquam in prædictis furtulis graviter peccavisse; adhuc tamen, cum obligatio gravis restituendi non solum ex gravi injusta acceptione, sed ex notabili etiam rei acceptæ quantitate consurgat, dicendum est, famulum sub gravi ad restitutionem teneri. Et quemadmodum plures leves obligationes ortæ ex pluribus levis rei emptionibus successivis gravem unam constituunt obligationem solvendi rem emptam, si hæc ad quantitatem gravem pervenerit, ita plures leves obligationes ortæ ex pluribus rei levis furtulis successivis taliter possunt moraliter continuari, ut ratione notabilis rei alienæ simul sumptæ gravem restituendi obligationem inducant, quod ex proscripta per Innoc. XI, propositione 38 satis manifeste apparet. Ita communiter ex Navar. in man. c. 17, n. 139. Sanch. l. 7. Mor. c. 21, num. 2 et 9. Girib. de furto dub. 3, num. 19 et 20.

CAS. II. — Antonius nonnullas arbusculas in agro alieno recidit valoris tunc scutorum decem, valituras tamen triginta, ut spes erat, post annos decem. Qu. Quid solvere debeat domino agri?

Resp., solvere debere juxta prudentis viri judicium.

Ratio est, quia ex una parte, cum restitutio commensuranda tantummodo non sit valori præsenti rei, in qua damnum proximo illatum est, sed existimationi damni provenientis ex ipsa ablata, vel destructa aliena re, sequitur, quod licet arbusculæ in agro alieno recisæ non excedant de præsenti valorem scutorum decem, adhuc tamen, cum vigeat spes, ut post nonnullos annos scutorum triginta valorem habituræ sint, non satisfaciat Antonius propriæ obligationi erga dominum agri, si præcise summam scutorum decem restituat. Ex altera autem parte, cum spes scutorum triginta de futuro totidem scutorum valorem de præsenti non habeat, sed tanto minus valeat, quanto majoribus infortuniis ipsæ arbusculæ in toto decennii lapsu obnoxiæ sunt; hinc est, quod consideratis omnibus circumstantiis, nonnisi juxta prudentis experti viri judicium summa illa, major scutorum decem, et minor scutorum triginta, taxari potest, quam Antonius domino agri solvere debet ad reparandum damnum, quod per arbuscularum incisionem illatum est. Ita ex Navar. l. 4, c. 1, n. 52. Azor. 3 part. l. 4, c. 23. Bonac. de rest. disp. 1, q. 3 punct. 1, n. 8.

CAS. III. — Vir dives, et nobilis vult mensas lusorias in suo rurali Palatio tenere diu noctuque paratas ad nobilium vivorum, ac fœminarum honestam recreationem, etiamsi sciat aliquos inde occasionem arripere ad fovendos turpes amores. Qu. An possit a gravi culpa excusari?

Resp. negative. Quamvis enim aliis ministrare rem omnino indifferentem, ut esset pro viro divite, ac nobili parare mensas pro ludo moderato, et brevi cum delectu temporis, et personarum, possit ab omni culpa vacare: tamen cum tenere mensas lusorias diu, noctuque paratas, viris simul ac fœminis, licet nobilibus, præsertim quando quis certo scit aliquos inde occasionem arripere ad fovendos turpes amores, quod ex plerumque contingentibus prævidere difficile haud est, non sit amplius res indifferens, bene vero res mala, media qua aliis præbetur occasio peccandi; dicendum est, virum nobilem, utpote qui in casu aliorum peccatis absque ulla necessi-

tate cooperatur, esse nequaquam posse a gravi culpa immunem. Ita Suar. de Charit. disp. 10, sect. 4. Coninch. disp. 18, n. 217, aliique.

MENSE JULII.

CAS. I.—Rusticus non habens, nec inveniens panem, quo vivat, accepit a domino suo mutuos decem julios cum obligatione eos restituendi tempore messis. Qu. An adveniente messis tempore teneatur acceptos julios domino reddere?

Resp. affirmative. Ratio est in primis, quia licet prædictus Rusticus esset in casu extreme pauper in re, talis tamen non erat in spe, et proinde sicuti non potuisset clam, vel manifeste surripere a domino decem julios, nisi cum onere restituendi tempore debito; ita non potuit subvenire propriæ necessitati mutuos accipiendo a domino eosdem decem julios, nisi sub eodem onere restitutionis. Secundo, quia etiamsi in extrema necessitate omnia dicantur communia, valde tamen probabile est, quod ad subveniendum ipsius Rustici necessitati non teneretur dominus donare, sed licite posset mutuos dare decem illos julios, quibus ipse Rusticus indigebat. Hoc autem posito, sicut jure potuit a domino contractus mutui iniri, et Rusticus de facto ex pecunia vi contractus mutui acquisita necessitati propriæ subvenit; ita non est, cur vi ejusdem contractus, adveniente messis tempore, pecuniam mutuo acceptam restituere non teneatur. Ita ex Bonac. de rest. in gen. q. ult. punct. 1, n. 35. Navar. l. 4, c. 4, num. 21, et alii apud eosdem.

CAS. II. — Confessarius cum ignorantia vincibili excommunicationis in eum latæ, qui extra mortis articulum complicem in peccato turpi absolvit, talem absolutionem elargitus est. Qu. An prædictam excommunicationis pœnam incurrat?

Resp. cum distinctione. Si confessarii ignorantia ita vincibilis est, ut sit aperte volita, et affectata, dico, Confessarium nequaquam posse ab excommunicationis

pœna excusari. Tum quia nolle scire censuram, est species quædam contemptus in Superiorem, et proinde, ne commodum ex delicto recipitur, non debet gratiam immunitatis ab ipsa censuræ pœna importare. Tum quia ignorantia affectata reddit actum ex ipsa provenientem directe, et per se voluntarium, et proinde ita scientiæ æquiparatur, ut a censuris scientiam, et temeritatem exigentibus non excuset. Si vero Confessarii ignorantia, licet graviter culpabilis, expresse volita, et affectata non sit, censeo, eumdem esse a dicta censura immunem. Ratio est, quia ad incurrendam excommunicationis pœnam pro casu nostro impositam audacia requiritur, et temeritas, ut ex terminis Bullæ Benedicti XIV feliciter regnantis sub die 17 Junii an. 1741, videre est. Cum autem non dicatur operari ex audacia, et ausu temerario, qui ex ignorantia quantumvis vincibili operatur, nisi hæc sit expresse volita, et affectata, quæ scientiæ æquiparatur, dicendum est, Confessarium esse in hoc casu ab excommunicationis pœna immunem. Ita ex Suar. disp. 4, sect. 10, n. 2. Palao tom. 1, tr. 2, disp. 1, punct. 13, n. 1. Leand. disp. 9, q. 21.

CAS. III. — Sejus cogit passim rurales famulos diebus festis viridaria rigare, et soli exponere frumenta, et alia grana. Qu. An ad prædicta opera famulos cogendo peccet?

Resp. circa primum, quod est, viridaria rigare : dicendo, quod cum tale opus nunquam fieri soleat sine aliqua necessitate, et proinde, veluti ex natura sua, cum necessitas illud faciendi moraliter conjungatur, nullum per se videtur importare peccatum, cum in cap. ult. de feriis opera servilia diebus festis prohibeantur, nisi necessitas urgeat, quæ legem non habet. Circa secundum autem, quod est, frumenta, et alia grana soli exponere, observandum est, an adsit necessitas hoc faciendi : si enim grana in ingentem massam, grandioresque acervos congesta tabem aliquam contrahere possent ex humore non satis exsiccato; tunc etiam festis diebus soli exsiccanda exponi possunt absque peccato, ex supra jam pro primo adducta ratione : si vero hæc præcisa necessitas

pro die festo non urget, ut contingit, quando frumenta, et grana non sunt in tanta quantitate, dicendum, non posse opus hoc plane servile diebus festis præstari, et proinde Sejum nostrum rurales famulos hujusmodi grana festis diebus soli exponere cogentem peccare. Ita Sanch. in cons. 5, c. 2, dub. 18, n. 11. Palao punct. 10, n. 3. Regin. l. 13, c. 50.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Rusticus in via publica invenit annulum cum lucido lapillo, quem vitreum esse putans, vendidit vili pretio alteri rustico, qui pariter lapillum vitreum esse putabat. Qu. An emptor, certior inde factus, lapillum esse adamantinum, teneatur initum contractum rescindere?

Resp. affirmative. Ratio est, quia mutuo contrahentium consensui, ad valorem cujuscumque contractus requisito, nihil ex communi axiomate est tam contrarium, quam error. Cum itaque Rusticus in casu nostro annulum adamantinum pro vitreo vili pretio vendiderit, alterque Rusticus eodem pretio vitreum, non adamantinum annulum se emere existimaverit, et proinde tam venditor, quam emptor ex errore, et ignorantia circa substantiam rei vertente contractum suum inierint, dicendum est, emptorem, statim ac certior factus sit, lapillum annuli, quem vitreum putabat, esse adamantinum, initum contractum, utpote nullum, rescindere omni jure teneri. Ita cum D. Thom. p. 2, qu. 6, art. 8. Less. l. 2, c. 17, n. 27. Girib. de contr. c. 1, n. 29.

CAS. II. — Parochus ruralis quadam die curiositate motus Calvini librum scienter legit, ignorans, ignorantia tamen crassa, et supina, legentibus hæreticorum libros impositam esse excommunicationis censuram. Qu. An prædictam Censuram incurrerit?

Resp. negative. Quamvis enim legentibus etiam ex mera curiositate libros hæreticorum imposita sit excommunicationis censura, et quidem Pontifici in primo Bullæ Cœnæ capite reservata, si prædicti libri contineant hæ-

resim, vel tractent de religione; adhuc tamen cum ad incurrendam prædictam censuram non sufficiat habere scientiam facti, id est, cognoscere librum esse auctoris hæretici, sed etiam juris scientia requiratur, hoc est, necesse sit scire tali lectioni adnexam esse censuram, dicendum est, Parochum nostrum excommunicationem in casu non incurrisse. Ratio est, quia scienter legere librum Calvini cum ignorantia, quod lectio prædicti libri sub excommunicationis censura vetita sit, etiamsi prædicta ignorantia crassa sit, et supina, non est legere cum tali scientia, quæ ad incurrendam pœnam sufficiat, cum pœna hæreticorum libros legentibus imposita nonnisi a directe, et vere scientibus incurratur. Ita Duard. l. 2, q. 36, num 3. Sanch. l. 2, c. 10, n. 38. Bonac. disp. 1, q. 2, punct. 4, num. 8.

CAS. III. — Plures famuli stipendium accipiunt a nobili Viro ære alieno valde gravato, unde hic fit magis impotens ad satisfaciendum Creditoribus suis. Qu. An illi, statum domini non ignorantes, in conscientia sint tuti?

Resp. cum distinctione. Si Famuli certo moraliter sciant, virum nobilem ex stipendio ipsis soluto impotentem magis reddi ad satisfaciendum Creditoribus suis, et ex alia parte ipsorum copia necessaria non sit ad conservandum decorem, et statum familiæ domini convenientem; tanquam probabilius dicendum est, eosdem Famulos non posse a domino stipendium recipere, vel retinere acceptum, nisi forte tantumdem eidem domino inserviendo acquisierint. Si vero ex adverso non habeant Famuli certitudinem moralem de majoris impotentia domini ad debita solvenda, vel ita sint necessarii, ut dominus sine ipsis cum decore sibi, suæque familiæ debito vivere nequeat; tunc Famulos stipendium a domino recipientes omnino in conscientia tutos esse, affirmamus. Sicut enim dominus, ne a statu sibi debito decidat, excusatur, si non satisfaciat Creditoribus suis; ita excusari debent et Famuli, ut proinde non teneantur vel a domo recedere, vel a recipiendo stipendio abstinere. Ita Navar. c. 19, n. 270. Vasq. de restit. c. 11, dub. 2, n.

82. Tambur. tr. 4, c. 7, § 1, n. 54. Bonac. disp. 1. q. 8, punct. 2, n. 30.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Rusticus confitetur, se aliquam exercuisse operationem ignorans, an esset venialiter tantum, an vero etiam mortaliter mala. Qu. Pro qua culpa stare debeat Confessarii judicium?

Resp. Stare debere pro culpa veniali. Ratio est, quia nulla actio censeri debet graviter peccaminosa, nisi ejus malitia sit formaliter, vel virtualiter volita: quod ut contingat suspicionem, seu dubitationem de gravi culpa occurrere necesse est; secus omnia fere rusticorum, personarumque idiotarum peccata, ut sunt imprecationes, verba obscœna, et hujusmodi, essent dicenda lethalia, utpote commissa ab illis, qui ea quidem mala esse cognoscunt, venialia autem esse, vel lethalia prorsus ignorant. Cum igitur non dicatur in casu, quod Rusticus operationem exercuerit suspicando, seu dubitando, eam esse posse graviter peccaminosam, sed præcise quod illam exercuit ignorans, an esset venialiter tantum, an etiam mortaliter mala, sequitur, quod nullo modo periculum malitiæ gravis adverterit, et proinde quod de levi tantum culpa damnandus sit. Ita Boss. de peccat. § 15, n. 79. Dian. p. 5, tr. 15, resol. 31. Girib. de act. hum. c. 3, n. 56 et 57.

CAS. II. — Berta non adhuc certa de morte Mariti novum contraxit Matrimonium cum Cajo, quod intelligens Parochus eidem Bertæ dixit, eam tali durante incertitudine non posse petere, nec reddere debitum. Qu. An Parochus vera docuerit?

Resp., vere Parochum docuisse quoad petitionem, non sic quoad debiti redditionem. Ratio primæ partis est, tum quia Berta per Matrimonium tali incertitudine contractum nullum jus acquisivit in corpus alterius, cum possessio mala fide incœpta nullum tribuat jus, tum quia petendo in casu se exponeret fornicationis periculo,

nempe periculo cognoscendi virum, qui vir suus non sit. Ratio secundæ partis est, quia cum Cajus non dicatur conscius incertitudinis Bertæ, potuit bona fide Matrimonium cum Berta contrahere, et proinde, cum vi juris in corpus Bertæ acquisiti, et vi bonæ fidei, in qua supponitur perseverans, possit licite a Berta petere debitum, illa debitum petenti Cajo denegare nullatenus debet. Tota hæc doctrina fundatur in cap. *Dominus* de secundis nuptiis, in quo expresse habentur hæc verba = Super Matrimoniis, quæ quidam ex vobis contraxerunt nondum habita obeuntis conjugis certitudine, respondemus : Si aliquis de morte primi conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Ita ex Girib. de Matrim. c. 19, n. 77, aliisque communiter.

CAS. III. — Cum Titius ab amico olim suo gravem quamdam passus fuisset injuriam, statuit, ipsum, quotiescumque obvium haberet, non amplius salutare. Qu. An Titius in tali proposito perseverans possit absolvi?

Resp. negat. Quamvis enim non teneamur ex charitatis præcepto exhibere proximo specialia amicitiæ, et benevolentiæ signa, qualia sunt, eum blandis alloqui verbis, et in salutatione prævenire; adhuc tamen cum omissio salutationis in casu, quo quis aliquem, utpote sibi amicum, solitus erat antea salutare, sit de facili signum odii, vindictæ, et inimicitiæ, et possit vel in gravem proximi injuriam, vel in aliorum scandalum cedere, dicendum est, omissionem prædictam præcepto diligendi proximum adversari. Nisi igitur Titius et ex corde injuriam remittat, et manifestet animum suum ad salutationis antiquæ officia paratum, saltem, quando alter, utpote offensor, ipsum in salutatione præveniat, idem Titius ita indispositus est judicandus, ut beneficio sacramentalis absolutionis donandus non sit. Ita cum Valent. tom. 3, d. 3, q. 3, punct. 2. Tambur. in Dec. l. 5, c. 1, § 3, n. 12.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Francisca est moraliter certa, Cajum pravis affectibus, desideriis, et verbis esse graviter peccaturum, si ipsa tempore bacchanaliorum ad choreas accedat, ad quas aliæ fœminæ sine tali periculo accedunt. Qu. An teneatur sub gravi culpa a tali accessu abstinere?

Resp. negat. Quemadmodum enim non tenetur Mulier semper, vel diu domi se continere, sed licite potest moderate exire sive causa visitandi consanguineas, et amicas, sive causa honestæ, proprioque statui convenientis recreationis, et hujusmodi, etiamsi sciat aliquem ex infirmitate ob ejus intuitum peccaturum, cum ad vitandum proximi peccatum etiam ex fragilitate proveniens nemo vi charitatis proximo debitæ cum gravi suimet incommodo teneatur : ita licet Francisca sit moraliter certa, Cajum esse graviter peccaturum, si ipsa bacchanaliorum tempore ad choreas accedat, non tenetur a choreis, saltem toto prædicto tempore, vel diu abstinere, sed licite potest ad easdem, dummodo honestæ sint, modeste, ac temperanter accedere, quin talis accessus charitati proximo debitæ adversetur. Eo præsertim quod, cum Cajus non tantum ex fragilitate, quam ex malitia, pravis scilicet desideriis, et verbis sit peccaturus, nullatenus culpæ ipsius Franciscæ adscribendum videtur, si ad impedienda peccata Caji toto bacchanaliorum tempore, quod nimis arduum fortasse illi esse potest, a choreis abstinere parata non sit. Ita ex Girib. in pr. Decal. præcept. c. 7, n. 65 et communiter.

CAS. II. — Caja juvenis modesta, quamvis sciat, sui præsentiam, et collocutionem esse Titio, cum quo sponsalia contraxit, occasionem plurium peccatorum, non vult se oculis Titii subtrahere, dicens : Si terga verto Titio, hanc mihi propitiam nubendi occasionem amitto. Qu. An prædicta nubendi causa Juvenem Cajam sufficienter excuset?

Resp. affirmat. Quamvis enim ad extenuandam spiritualis ruinæ occasionem a Titio acceptam teneatur Caja

ex charitatis lege rarius, quam potest, ad secum loquendum Titium ipsum admittere; adhuc tamen cum vi charitatis prædictæ non tencatur Caja privari jure sibi jam ex sponsalibus acquisito; dicendum est, neque teneri se absolute ab oculis Titii subtrahere, licet sciat, illum hac occasione in peccata plura lapsurum. Quod potiori jure dicendum videtur, si Caja aliam non speret æque sibi propitiam invenire nubendi occasionem, neque continentiæ statum sustinere parata sit : tunc etiam cum justam habeat causam fovendi licitis modis amicitiam Titii, etiamsi Titius ex sui infirmitate, aut malitia tali occasione abutatur, poterit Caja eamdem amicitiam sive modesta sui præsentia, sive moderata confabulatione fovere, quantum opus est, ne cum gravi suo incommodo prædictam cum Titio nubendi occasionem amittat. Ita ex Girib. in pr. Decal. præcep. cap. 7, ut supra.

CAS. III. — Armenta Caji ducebant famuli ad pascua, eaque sinebant, inscio tamen Cajo, vagari per proximos Sempronii campos, unde ingens frugibus damnum secutum est. Qu. An Cajus in casu teneatur de damno Sempronii campis illato?

Resp. negat. Quia neque ex Caji mandato, suasione, aut alio impulsu, neque ex ipsius Caji negligentia graviter culpabili, sed ex simplici famulorum incuria, ac culpa, inscio ipso Cajo, ingens damnum Sempronii campis illatum est. Cum autem conveniens non sit, ut qui damni alteri illati culpabilis causa non fuit, teneatur in foro conscientiæ, præsertim ante omnem Judicis sententiam, ad reparationem ipsius damni in aliena re sive ex armentis, sive ex alia causa, secuti, dicendum est, ne pœna infligatur, ubi culpa non est, Cajum in casu nequaquam de damno proximi Sempronii campis illato teneri. Ita Card. de Lug. de just. dist. 8, n. 41. Molin. disp. 715. Less. de just. l. 2, c. 9, dub. 17. Tambur. in Decal. l. 6, c. 4, § 2, n. 4.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Taxato a Principe pretio pro qualibet frumenti mensura, Mercator quidam frumentum

vendidit, exigendo et recipiendo pro qualibet mensura duos Julios ultra taxam. Qu. An dictus Mercator contra justitiam peccaverit?

Resp. cum distinct. Si frumentum venditum a Mercatore in casu non excedit in bonitate frumentum vulgare, hujus pretium a Principe taxatum est, et solet ab aliis Mercatoribus communiter observari, dicendum est, Mercatorem contra justitiam peccasse. Ratio est, quia pretium legale taxatum a Principe, seu Magistratu supponitur justum, nisi manifeste constet oppositum, et proinde illud non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ servandum est. Si vero frumentum prædictum melioris sit conditionis, et notabiliter vulgare frumentum in bonitate excedat, dummodo duo julii supra taxam recepti non excedant, venditi frumenti pretium naturale, erit Mercator ab omni injustitiæ labe immunis. Sicuti enim triticum longe inferius tritico communi vendi debet pretio inferiori; ita, si in bonitate sit longe melius, pretio taxam excedente, jure merito, et absque ulla injustitia, vendi potest. Ita Homob. consult. 2 part. 6 resp. 15. Diana part. 1, tr. 8, resol. 52. Girib. de Contr. c. 2, n. 58.

CAS. II. — Confessarius in quadam rurali Parœcia, ut populum alliciat ad frequentiam Sacramenti pœnitentiæ, non alias solet, etiam pro gravibus culpis, pœnitentias imponere, quam opera alias debita, ex gr. auditionem Sacri in die festo, et similia. Qu. An iste agendi modus esse possit ab omni culpa immunis?

Resp. negat. Ratio est, quia licet in eo casu, quo Confessarius prudenter timet, ne acidiosus pœnitens, multis gravatus delictis, sit executurus condignam satisfactionem, si plura libera opera ei pro pœnitentia imponantur, possint una saltem cum aliquo libero opere etiam opera alias debita pro eadem pœnitentia imponi; adhuc tamen regulariter loquendo debent Sacerdotes pœnitentiæ Ministri, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate, salutares, et convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, alienorum pecca-

torum participes efficiantur, ut inquit Trid. sess. 14, c. 8. Cum autem tota hæc doctrina destruatur, si generale motivum alliciendi populum ad Sacramenti frequentiam licitum redderet, ut non alia opera etiam pro gravibus culpis pœnitentibus imponantur, præter ea, quæ jam sunt aliis titulis debita; dicendum est, modum agendi, quem tenere solet Confessarius noster, esse non posse ab omni culpa immunem. Ita Lug. disp. 24, n. 67. Avers. q. 13, sect. 3. Girib. de pœnit. c. 12, n. 44 et 45.

CAS. III. — Titius, ne a suo statu decidere cogatur, non solum antiqua non solvit, sed nova etiam congerit debita. Qu. An utrumque Titio liceat?

Resp. negat. Quamvis enim possit alicui aliquando licere solutionem debitorum jam contractorum differre, ne subire cogatur grave incommodum decidendi a proprio statu, si status iste sit juste acquisitus, si nihil in superfluos sumptus insumatur, et creditoribus ex tali dilatione æquale incommodum non immineat; adhuc tamen nemini licere potest nova congerere debita, ne a proprii status decore decidat. Ratio est, quia nova congerere debita in eo statu, quo quis videt se impotentem ad solvenda antiqua, aliud non est, quam surripere alienam rem cum impotentia restituendi, et cum evidenti prædictæ impotentiæ cognitione, quod nonnisi invito domino contingere potest, cum nemo unus ex creditoribus sponte consentiat amittere, quod sibi debitum est. Cum autem, ut constat ex damnatione Innocentiana prop. 56, nonnisi in extrema necessitate, vel saltem ita gravi, ut æquiparari possit extremæ, qualis certe non est illa conservandi decorem proprii status, furari licitum sit: sequitur, licitum non fore Titio in casu nova congerere debita, ne decidere a suo statu cogatur. Ita cum Layman. l. 3, tr. 2, c. 12. Lug. disp. 21, n. 6. Carden. part. 3, disp. 23, n. 56.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Petro recidivo imposita fuit a Confessario pro pœnitentia recitatio integri Rosarii, et unius tertiæ partis, quoties in idem peccatum incideret. Dum autem redit ad pœnitentiæ tribunal, confitetur, prima recitatione completa, secundum tribus vicibus omisisse. Qu. An omissas Rosarii partes teneatur iterum recitare?

Resp. neg. Nam illa tertia Rosarii pars a Petro recitanda, quoties in idem peccatum incideret, utpote quæ fuit imposita a Confessario non ut Judice, sententiam supra exposita crimina proferente, sed ut Medico, remedia præscribente ad præcavendum relapsum, non est pars integralis Sacramenti, nec proinde ut talis vel ad remissionem pœnæ transactis peccatis debitæ, vel ad specialia a Deo auxilia impetranda pro præcavendis peccatis futuris ex opere operato conducit. Sicque quamvis dici possit, quod peccaverit Petrus ea media non exequendo, quæ ipsi data sunt, ut se a relapsu coerceat, adhuc tamen cum nequeat amplius haberi finis intentus a Confessario, qualis fuit vitandi in pœnitente secundum, et tertium relapsum; dicendum est, Petrum non amplius ad omissas Rosarii partes teneri. Ita æquivalenter apud Dian. Card. t. 1, tract. 6, resol. 21. Sanch. t. 1, l. 3, c. 5, n. 17. Fagund. in Decal. t. 1, præcep. 2, l. 1, c. 8, n, 21.

CAS. II. — Confessarius Pœnitenti, qui solet injunctas graves pœnitentias non adimplere, imponit quidem pro atrocibus delictis pœnitentiam gravem, sed nonnisi sub onere venialis culpæ, si eam omittat. Qu. An licite possit sub levi tantum culpa pœnitentiam dictam imponere?

Resp. affirm. Quemadmodum enim, licet Confessarius in Sacramento Pœnitentiæ judicium exerceat nomine Christi, et judicii natura postulet, ut pœna commensuretur culpæ; adhuc potest, attenta rationabili causa, et majori Pœnitentis utilitate, pœnitentiam levem pro gravibus culpis imponere, quia ex hoc possit inferri Con-

fessarium agere contra Sacramenti institutionem ; ita licet Confessarius non proprio, sed Christi nomine satisfactionem imponat, et sacramentalis judicii natura requirat, ut gravis pœna sub præcepto gravi imponatur ; poterit adhuc, pro majori Pœnitentis utilitate, gravem pœnam sub levi præcepto, absque ulla Sacramentalis judicii læsione imperare. Ratio est, quia tam in primo, quam in secundo casu ita Sacramentum Pœnitentiæ institutum est, ut Sacramenti Minister facultate ligandi, atque solvendi sibi credita eo modo uti possit, quem Pœnitentis saluti utiliorem fore crediderit. Cum igitur Confessarius noster ex rationabili causa vitandi majora delicta sui Pœnitentis, qui solet pœnitentias injunctas non adimplere, easdem etsi graves sub levi tantum onere imponat, licite omnino hoc agere dicendum est. Ita Card. de Lug. de pœnit. disp. 25, sect. 4, n. 59. Dian. t. 1, tr. 6, resol. 31, n. 5. Suar. de pœnit. disp. 38, sect. 7, n. 5.

CAS. III. — Titius absque filiis moriens, de maxima bonorum suorum parte disposuit in favorem cujusdam Ecclesiæ ; Fratri autem valde egenti ne obulum quidem reliquit. Qu. An Titius ita agens sit in conscientia tutus ?

Resp. negat. Ratio est, quia si charitas omnino postulat, ut graviter indigenti saltem ex bonis naturæ, et statui superfluis subveniatur, multo strictior, et urgentior est hæc obligatio erga Fratres in gravi constitutos necessitate. Hinc cum Titius plura habens bona, quippe qui de maxima bonorum suorum parte in Ecclesiæ favorem disposuit, ne obulum quidem reliquerit Fratri valde egenti, videtur dicendum, in conscientia tutum non esse. Quamvis enim non teneatur Frater Fratri aliquid ex justitia in testamento relinquere ; si tamen Frater superstes valde egenus sit, tenetur mortis tempore, quando habet, unde libere possit disponere, ita ex charitatis, ac pietatis lege Fratri superstiti providere, ut eidem juxta indigentiæ gradum subveniat. Ita ex Laym. l. 3, tr. 3, c. 3, n. 17. de Lug. disp. 24, n. 175. Bonac. de contr. disp. 3, q. ult. punct. 3, n. 13.

ANNO MDCCXLIII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Capellanus Ruralis ex negligentia Missam celebrat ad longum tempus absque Clericali tonsura, qua de re a Parocho tanquam gravis culpæ reus corripitur. Qu. An jure sic corripiatur ?

Resp. negat. Cum enim simplicis tonsuræ delatio sub pœna quidem privationis privilegiorum, vel privationis, aut inhabilitatis beneficiorum, non autem sub aliqua forma lethalem culpam indicante præcipiatur, ut in c. 6, sess. 23. Concil. Trid. et in Bullis Sixti V, hac de re editis videre est ; dicendum remanet Capellanum nostrum nequaquam fore per se loquendo de gravi culpa damnandum. Si tamen negligentia Capellani prædicti vel clarum præseferret Ecclesiasticarum legum contemptum, vel cum rudis populi admiratione, atque scandalo conjungeretur, tunc ratione harum circumstantiarum jure merito a Parocho de gravi culpa correptum fore dicendum est. Ita ex Marchino de Ord. in part. tr. 2, part. 1, c. 6, n. 3 et seq. Dian. moral. instit. part. 2, tr. 4, resol. 183. Henriq. l. 10, c. 11.

CAS. II. — Titius nonnullis gravatus debitis, nec habens, unde ea solvat, cum invenerit annulum aureum, cujus frustra quæsivit dominum, vellet ad solvenda debita annulum inventum insumere. Qu. An licite possit?

Resp. affirmat. Si enim aliquid obstat, est, quia res inventa, cujus dominus opportunis etiam adhibitis diligentiis ignotus est, præsertim si illa maneat in propria specie, debet juxta præsumptam domini voluntatem in pauperes, vel alias pias causas erogari : ex quo videtur, eamdem rem insumi non posse pro solvendis debitis, quibus aliunde inventor ipse gravatur. Cum autem Titius in nostro casu, ex quo non habeat, unde debita solvat, dici possit ex una parte pauper, et ex altera inventum annulum, ne ipse debitor vexetur a Creditoribus, qui-

bus ex bonis propriis satisfacere est impar, possit revera in piam causam insumere, dicendum est, nihil obstare, quin Titius licite agat, utpote qui agit juxta præsumptam incerti domini voluntatem, annulum aureum insumendo in extinguendis debitis, quibus aliunde satisfacere potens non est. Ita Girib. de restit. c. 5, n. 34. Rosig. prænot. 8, n. 2. Lug. 20, n. 5.

CAS. III. — Petrus bona fide per aliquod tempus possedit Agrum, deinde postquam per annum dubitaverit, Agrum esse alienum, certo alienum esse cognovit. Qu. Quid restituere teneatur?

Resp. Petrum teneri primo ad restitutionem Agri, si Agri ipsius dominium, præscriptionis legitimæ beneficio, non acquisivit. Secundo, detractis expensis, teneri ad restituendos fructus pariter non præscriptos; qui, loquendo de ordinaria præscriptione inter præsentes, sunt fructus correspondentes ultimo triennio sive bonæ, sive dubiæ fidei possessionis, dummodo tamen idem Petrus anno dubiæ possessionis moralem diligentiam pro veritate rei inquirenda adhibuerit, in tali enim casu per dubium superveniens bonæ fidei possessio non interrumpitur, ac proinde neque præscriptionis continuatio impeditur. Quod si Petrus non adhibuit diligentiam prædictam, tunc, cum initio dubiæ possessionis jam evaserit malæ fidei possessor, annus ille inter utiles ad præscribendum non poterit amplius enumerari. Denique si Petrus bona fide possedit Agrum pro tempore insufficienti ad aliquam sive ipsius Agri, sive ejus fructuum legitimam præscriptionem, dico, Petrum teneri restituere Agrum, totumque id, in quo factus est ditior integro tempore sive dubiæ, sive bonæ fidei possessionis, cum legitimum titulum non habeat retinendi sive fundum, sive fructus ex alieno fundo perceptos, servatis semper regulis expensarum, ut supra dictum est. Ita Girib. de just. et jur. c. 5, n. 76 et 77. Laym. l. 5, tr. 1, c. 8, n. 10. Covarr. § 7, n. 5.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Rusticus graviter ab altero vulneratus, quamvis ex denegata pace agnoscat Offensorem suum sumpturum inde occasionem perseverandi in odio, et ira, dicit se quidem ex corde remittere offensam, velle tamen injuriæ sibi illatæ juridicam satisfactionem. Qu. An possit absolvi, si in tali proposito perseveret?

Resp. affirm., tam si nomine juridicæ satisfactionis veniat compensatio damni, quod Rusticus in bonis vitæ, et fortunæ passus est, quam si veniat prosecutio actionis coram Judice, donec sequatur punitio rei. Ratio primi est, quia nemo tenetur cedere juri suo, sed licite potest pro damno sibi illato debitam petere compensationem. Ratio secundi est, quia sicuti Judex, ex motivo punitivæ justitiæ, licite potest injustos aliorum Offensores punire: ita ex eodem motivo poterit Offensus licite petere a Judice, ut injuria sibi illata puniatur. Et quemadmodum potest Judex reum punire, etiamsi prævideat illum inde occasionem sumpturum odii, et iræ, ita licet idem prævideat Offensus, poterit sui Offensoris juridicam petere punitionem, scandalum enim passivum Rei, et Offensoris, Judicio, aut Offensi delicto imputari non potest. Si itaque Rusticus noster, dimisso vere, et practice omni odio, et affectu vindictæ, ex puro amore, zeloque justitiæ velit injuriæ sibi illatæ juridicam satisfactionem, non est, cur absolvi non possit, etiamsi in tali proposito perseveret. Ita Suar. de Charit. disp. 5, sect. 5. Homob. de Exam. tr. 6, c. 25, q. 113. Tambur. l. 5, in Decal. c. 1, § 3, n. 9.

CAS. II. — Petronius, qui intra Ecclesiam existens grave vulnus inflixit Rustico extra foras Ecclesiæ commoranti, petit a Parocho, utrum in eadem vel in altera Ecclesia immunitatis beneficio valeat gaudere. Qu. Quodnam Parochi debeat esse responsum?

Resp. cum distinctione. Sive grave vulnus, quod Petronius intra Ecclesiam existens inflixit rustico, extra

fores Ecclesiæ commoranti, ita grave sit, ut secum ferat vel vulnerati rustici mortem, vel alicujus membri mutilationem, Parochi responsum esse debebit, eumdem Petronium, secuta morte, aut mutilatione prædicta, non illius tantum, e qua vulnus inflixit, sed cujuscumque etiam alterius Ecclesiæ communitate privari : hoc enim expresse colligitur ex Bulla Benedicti XIII, quæ incipit = *Ex quo divina :* = Si autem grave vulnus rustico inflictum tale non sit, ut mortem, aut aliquam rustici mutilationem secum ferat, Parochi responsum erit, Petronium tam in illa Ecclesia, e qua patravit delictum, quam in altera quacumque asyli jure gaudere, cum delictum ab eo patratum nullibi per canonicas leges ab asyli jure excludatur.

CAS. III. — Cajus non parum avaritiæ deditus, cum horrea frumento plena possideat, in gravis indignationis actum prorumpit, ex quo audierit indictas esse publicas preces ad obtinendam pluviam pro ortu satorum. Qu. An sufficienter se exprimat in Confessione dicendo, se gravem indignationis actum commisisse ?

Resp. negative. Nam in primis debet exprimere, se talem indignationis actum ex motivo avaritiæ commisisse, cum malitia avaritiæ ab illa simplicis indignationis diversa sit. Secundo, etsi Cajus actum indignationis fortasse non elicuerit contra indictas supplicationes, ut sunt res ad Religionem spectantes, sed præcise, quia sunt medium ad pluviam obtinendam pro ortu satorum, adhuc Caji peccatum adnexam sibi videtur habere irreligiositatis malitiam, quæ utpote ab illa indignationis, et avaritiæ diversa, ad confessionis integritatem exprimenda pariter est. Ita de Pœnit. Auctores communiter.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Postquam Berta, de Mariti consensu, cum ejusdem Mariti Fratre copulam habuit, petenti Marito nollet amplius debitum reddere. Qu. An jure possit debitum denegare ?

Resp. negative. Quamvis enim ex quo Innoc. Tertius respondens Præposito Magdeburgensi in Cap. *Discretionem tuam* de eo, qui cognovit consanguineam, dicat affinitatem post matrimonium inique contractam ei non debere officere, qui hujusmodi iniquitatis particeps non extitit, soleant plures Auctores ex adverso inferre, delictum unius Conjugis alteri etiam nocere, quando alter etiam Conjux patrati sceleris consensu, vel suasione particeps fuit; adhuc tamen non videtur hoc ita affirmandum, ut Bertæ Maritus in Casu jure petendi debitum privatus sit. Tum quia argumentum a contrario desumptum non est efficax in jure ad inducendam pœnam, qualis est privatio juris ad petendum debitum, quando talis pœna in jure expressa non reperitur. Tum quia crimen commissum a consentiente Marito non vere, et proprie ipsum crimen incestus est, sed tantum secundario, et reductive, pro quo in laudato capite nulla prædicti juris petendi debitum privatio imposita est. Cum itaque ex jure clare non constet Bertæ Maritum in Casu jus petendi amisisse, dicendum est, neque Bertam jure merito posse Marito petendi debitum denegare. Ita Dian. t. 2, tr. 6, resol. 242, n. 4. Anton. a Sp. S. n. 620. Dicastil. et alii.

CAS. II. — Titius, dum absolvitur, recordatur peccati lethalis, quod non aperit Confessario nisi post prolatam absolutionem. Qu. An valide sit absolutus?

Resp. negative per se loquendo. Ratio est, quia Titius in Casu sciens, et volens reticuit peccatum aliquod, quod antequam integre prolata foret essentialis forma absolutionis, confiteri poterat, et debeat, rogando Sacerdotem, ne absolutionem incœptam perficeret, antequam ei novum crimen confiteretur, sicuti ad Sacramenti valorem ex Trid. sess. 14, c. 5, necessarium omnino esse perspicuum est. Cum igitur idem Titius non aperiendo peccatum suum Confessario, nisi post prolatam absolutionem, reddiderit Confessionem dimidiatam, et in materia necessaria non formaliter integram, dicendum est, non fuisse per se loquendo valide absolutum. Dixi, per se loquendo, nam si intervenisset vel perturbatio mentis, quæ ut plurimum solet in Casu contingere, vel bona

fides, qua Titius putasset, interrumpendam non esse absolutionem propter reverentiam debitam Judici proferenti sententiam, in tali Casu Titius ita excusaretur, ut valide absolutus censendus foret, a peccatis quidem ante absolutionem expositis directe, ab altero vero indirecte, sicque cum onere illud iterum clavibus subjiciendi, ut per absolutionem directam tollatur. Ita Zuccher. de Sacram. Pœnit. ad cas. 2 Januar. et communiter.

CAS. III. — Petrus, ne cogatur imperfectam relinquere domum, quam cœpit laute ædificare, cum nequeat alio modo pecuniam invenire, eamdem mutuam sub usura accepit. Qu. An licite hoc fecerit?

Resp. affirmative. Nam cum mutuum petere sit petere rem per se indifferentem, et licitam, utpote quæ fieri potest absque peccato, et nonnisi per accidens, et ex malitia alterius occasio peccandi alteri fiat, sequitur, nos non teneri, justa accedente ac rationabili causa, a tali petitione abstinere. Cum autem causa perficiendi domum, quam Petrus cœpit laute ædificare, justa ac rationabilis sit, cum secus nequeat Petrus vel commoditatis gratia in domo sua habitare, vel eamdem aliis locare gratia utilitatis, infertur, Petrum posse in casu, si alia via non possit, ex pecuniis sub usura acceptis incœptam domum perficere. Quando tamen Petrus ita laute domum cœpisset ædificare, ut tale ædificium ipsius Petri conditionem, ac statum multum excederet, jam licite prosequi non posset, quod omnino illicite incœpisset, et proinde illa cessaret rationabilis causa, propter quam tantum licite pecuniam sub usuris accipere posset, ut dictum est. Ita Suar. de charit. disp. 10, sect. 3, num. 1 et 4. Busemb. l. 2, tr. 3, cap. 2. Bonac. de Pec. dist. 2, q. 4, punct. 2, num. 21.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Paterfamilias tempore carnisprivii ad esum carnium legitime dispensatus, ne plures pararentur men-

sæ, ad integram familiam facultatem sibi concessam per Medicum extendi curavit. Qu. An licite ?

Resp. negative. Ratio est, quia Paterfamilias curando, ut per Medicum extendatur ad totam familiam facultas circa esum carnium, sibi tantum legitime concessa, ex illo motivo, ne scilicet plures parentur mensæ, Medicum inducit ad id, ad quod jus Medici nullatenus se potest licite extendere ; cum ad Medicum quidem spectet judicare de morbis, vel morborum periculis, non autem de inopia, et impotentia parandi plures mensas ; de qua, si vere detur, judicare debet Ecclesia. Dixi, si vere detur ; nam æquali, vel forte minori sumptu eo, quo Paterfamilias parcam, et sobriam sibi tantum concessam salubrium carnium mensam ad integram familiam extendere paratus est, poterit eidem familiæ mensam alteram in Quadragesimalibus cibis parare, quando ejus necessitati subvenire quærat, non vero gulæ indulgere ; ex quo sequitur quod, cum facultas in casu a Medico pro familia concessa, dici debeat absque justo motivo, et dolose obtenta, illicite omnino Paterfamilias se gesserit. Ita ex Benedict. XIV, vol. 1, inst. 15.

CAS. II. — Ex quo quidam Parochus elapsis annis nonnullos Parochianos extra Paræciam in Paschate communicantes non reprehenderit, Paulus hoc anno absque expressa ipsius Parochi licentia in aliena Paræcia Paschali communione refectus est. Qu. An Paulus prædictus Paschali præcepto fecerit satis?

Resp. negative. Ratio est, quia quamvis Parochus elapsis annis aliquos suos subditos extra Paræciam sacram Synaxim sumentes non reprehenderit, adhuc certum est, neminem posse sine expressa Episcopi, vel Parochi sui licentia Paschale Communionis præceptum extra propriam Paræciam adimplere. Hinc cum dici debeat in casu, vel Parochum ex rationabili motivo non reprehendisse Parochianos prædictos, vel pastorali suo muneri non satisfecisse, eosdem Parochianos non corripiendo, nullatenus a violatione Paschalis præcepti ex præterito Parochi silentio potest excusari Paulus noster,

dum absque expressa ejusdemmet Parochi sui licentia sacra Synaxi extra Paræciam refectus est. Ita Girib. de Euch. c. 8, n. 28, aliique communiter.

CAS. III. — Medicus non solet suos Infirmos de confessionis peragendæ necessitate admonere, nisi vere judicet eosdem lethali morbo affectos fore, ne ipsa admonitio despectui habeatur. Qu. An bene se gerat?

Resp. negative. Cum enim Medici omnes, dum doctoralem lauream recipiunt, jurent se servaturos sancti Pii Quinti Constitutionem, in qua expresse præcipitur, ut cum vocati fuerint ad infirmos, ipsos ante omnia moneant de facienda Confessione Sacramentali, indiscriminatim loquendo de infirmis omnibus in lecto jacentibus, sive lethali morbo affecti sint, sive altero non lethali graventur, sequitur non bene se gerere Medicum nostrum, qui suos infirmos de Confessionis peragendæ necessitate admonere non solet, nisi vere judicet eosdem fore lethali morbo affectos. Neque satis excusari potest ex adducto motivo, ne scilicet ipsa admonitio despectui habeatur, nam vel hoc non accidit, sicuti non accidit, dum infirmi omnes ad Xenodochia accedentes, etiamsi lethali morbo affecti non sint, statim de eorum conscientia per Confessionem Sacramentalem expianda admonentur, vel et si penes aliquem prædicta admonitio despectui haberetur, adhuc alienus defectus Medicum non excusaret, cum hic teneatur, quantum in se est, observantiam a se juratæ Constitutionis incorruptam servare. Ita SS. D. Noster Bened. XIV, vol. 2. Notif. 2.

MENSE MAII.

CAS. I. — Cajus mutuat Mense Majo decem modios tritici Petro cum pacto, ut sibi mense Augusto mutuet decem corbas vini, quo scit Petrum abundare, et sibi prævidet defuturum. Qu. An talis contractus usuram involvat?

Resp. affirmative. Cum enim, ex generali regula, omne pactum, vel gravamen, sive onus additum mutuo præter id, quod ei proprium, et intrinsecum est, reddat

contractum usurarium, sequitur usuram involvere contractum illum, quo Cajus mutuat mense Maio decem modios tritici Petro cum pacto, ut sibi vicissim mutuet mense Augusto decem corbas vini, quo scit Petrum abundare, et sibi prævidet defuturum : obligatio enim ista, quæ pretio æstimabilis est, importat onus additum mutuo ultra id, quod mutuo proprium, et intrinsecum est, ut clare patet. Ita La Croix l. 3, p. 2, de usur. dub. 7, q. 151, n. 905. Bonac. dist. 3, quæst. 3, punct. 3, et alii.

CAS. II. — Duo Rustici tempore Missæ de præcepto de domesticis eorum negotiis per notabile quidem tempus, sed interpolate, ad invicem collocuti sunt. Qu. An præcepto audiendi Sacrum satisfecerint?

Resp. negative. Ratio est, quia cum locutio, licet interpolata, de domesticis negotiis per notabile tempus habita, excludat per notabilem Missæ partem attentionem externam ab Ecclesia præceptam, per quam quis efficitur religiose assistens, et moraliter præsens Sacro, dicendum est, non servari cum locutione prædicta substantiam actus ab Ecclesia imperati, sicque præceptum de audienda Missa non adimpleri. Hinc sicuti non satisfaceret Ecclesiæ præcepto ille, qui interpolate discederet, et rediret, dummodo discessus etiam interpolatus notabili Missæ parti corresponderet : ita eidem præcepto non satisfaciunt rustici, qui de domesticis eorum negotiis per notabile spatium notabili Missæ parti correspondens ad invicem locuti sunt. Ita Gobat. n. 288. La Croix n. 655. Pasqualig. tom. 2, q. 1524, n. 6, et seq.

CAS. III. — Judex anceps, cuinam parti adjudicet quamdam hæreditatem ob rationes, quas pro utraque parte putat æquales, illam tandem adjudicat parti, quam sibi magis in alio negotio profuturam sperat. Qu. An hoc fieri possit sine læsione justitiæ?

Resp. negative. Si enim Judici liceret in casu totum adjudicare illi parti, quam sibi magis in alio negotio profuturam sperat, licitum æquali jure esse posset eidem Judici pecuniam accipere pro ferenda sententia in favo-

rem unius præ alio, quando litigantes pro se opiniones æque probabiles habent, quod post jam profligatam ab Alex. XII, propositionem dici amplius nequit. Si igitur post accuratam causæ discussionem, inspectisque cum juris, tum facti momentis pro utraque parte adductis, Judex adhuc anceps est, cuinam parti hæreditatem adjudicet, debebit vel partium consensu Arbitros deputare, vel suadere, aut imperare compositionem, ita ut tandem cuilibet parti dimidium hæreditatis adjudicetur; secus nonnisi injuste eumdem Judicem agere dicendum est. Ita Anael. de act. hum. dist. 3, n. 62, aliique communiter.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Dum inspectis doctrina et pietate Capellani Ruralis nonnulli ex Parochianis jurarunt, se non alium præter ipsum in demortui Parochi Successorem nominaturos, alter simul proponitur Sacerdos, qui Ecclesiæ utilior censetur. Qu. An secundus Sacerdos licite possit ab omnibus in Parochum nominari?

Resp. affirmative. Cum enim ex fine primario instituendi Ecclesiastica beneficia, qui fuit major Dei cultus, et majus Ecclesiæ bonum, clare constet, in electione ad beneficia, præsertim Parochialia, adesse obligationem sub gravi eligendi digniores, illos nempe, qui utpote magis idonei ad promovendam spiritualem proximi utilitatem, et ad conservanda legitima Ecclesiæ jura, ipsi etiam Ecclesiæ utiliores existimantur; manifestum est, a fortiori, licite posse Parochianos in demortui Parochi Successorem nominare Sacerdotem illum qui cæteris paribus Ecclesiæ utilior censetur. Neque obstat, quod Parochiani juraverint, se non alium præter Capellanum in demortui Parochi Successorem nominaturos, quia juramentum prædictum, accedente Sacerdote digniori, non tenet, cum majori divino cultui, Ecclesiæque utilitati adversetur. Ita D. Thom. 2, 2, q. 65, art. 1, de Lugo disp. 35, de just. et jur. sect. 2, num. 10. Anael. tract. 11, num. 43.

CAS. II. — Capellanus, qui per sinceram promissionem, a duobus ex tribus Compatronis acceptam, certus est, Parochiali Beneficio se fore præsentandum; ut majori honore eligatur, tertium etiam Compatronum aliquo non levi munere ad ipsummet præsentandum inducit. Qu. An absque labe aliqua Simoniæ hoc egerit?

Resp. negative. Cum enim ex communi Theologorum et Canonistarum Doctrina Simoniam committat, qui dat temporale pro spirituali, vel e contra; nequit a Simoniæ labe excusari ille, qui, ut ad Parochiale beneficium eligatur, aliquem ejusdemmet beneficii Compatronum ad sui præsentationem non levi munere inducit; sic enim verificatur, quod per temporale paret sibi viam ad spirituale, in quo Simonia consistit. Neque refert, quod Capellanus in casu munus præbeat tertio Compatrono præcise, ut majori honore eligatur, cum per sinceram promissionem a duobus aliis compatronis acceptam certo credat, se fore Parochiali Beneficio præsentandum: nam cum duos alios Compatronos, vel aliquem ipsorum possit adhuc pœnitere factæ promissionis, inducendo per non leve munus tertium Compatronum ad sibi favendum, sub specie majoris honoris, sternit sibi viam ad Beneficium certius acquirendum, quod a Simoniæ labe excusari non potest. Ita quoad substantiam Suar. Bonac. et alii.

CAS. III. — Sejus perfecte adoptatus in Filium a Titio, mortuo Titio, vellet matrimonium contrahere vel cum Berta Titii Filia, vel cum Rosa, quæ ipsius Titii Uxor fuit. Qu. Bertamne, an Rosam ducere possit?

Resp. Bertam ducere posse, non Rosam. Ratio primæ partis est, quia licet cognatio legalis orta ex perfecta adoptione etiam in linea transversali dirimat Matrimonium, et proinde nequeat Matrimonium contrahi inter filias adoptantis et adoptatum; hoc tamen verum est solum pro tempore, quo durat patria potestas; ideoque hac soluta, vel morte adoptantis, vel emancipatione filiorum, potest adoptatus Filiam naturalem adoptantis ducere, vel Filius naturalis adoptantis Filiam ducere

adoptatam. Ratio secundæ partis est, quia cum inter adoptatum et uxorem adoptantis, vel adoptantem et uxorem adoptati cognatio legalis sit ad instar affinitatis carnalis, parit impedimentum perpetuum, adeo ut nunquam possit adoptatus Matrimonium contrahere cum uxore adoptantis, et e contra, cum semper duret reverentia debita tali modo conjunctis, super qua ex antiqua Ecclesiæ consuetudine tale impedimentum fundatur. Ita ex Rosig. n. 13 et 15. Sanch. disp. 63, num. 28 et 30. Girib. de Matrim. c. 12, num. 44 et 45.

MENSE JULII.

CAS. I. — Quidam capitis pœna bannitus accedens ad simplicem Confessarium confessus est, petens suorum criminum absolutionem. Cum tamen pluribus Censuris, et Casibus reservatis innodatus existeret, noluit illi Confessarius absolutionis beneficium impertiri. Qu. An bene Confessarius se gesserit?

Resp. negative. Ratio est, quia sicuti potest princeps, et Respublica, ob difficultatem capiendi capitis pœna Bannitos, quemlibet in Ministrum et executorem sententiæ in illos latæ deputare; ita potest hoc titulo quilibet de populo, tanquam Minister justitiæ a Republica constitutus, eosdem Bannitos licite occidere, et quidem etiam proditorie, et per insidias, si alia via eos occidendi non suppetat. Ex hoc autem, quod capitis pœna Bannitus possit licite a quocumque occidi, præsertim si intra proscribentis territorium reperiatur, infertur, eumdem bannitum, si aliunde sit bene dispositus, a quolibet etiam simplici Confessario absolvi posse, utpote qui semper versatur in satis probabili mortis periculo, pro quo ex Tridentini Doctrina nulla est sive Censurarum, sive criminum reservatio. Male proinde se gessit Confessarius in Casu, qui ratione Censurarum, et casuum reservatorum, noluit bannito petenti absolutionis beneficium impertiri. Ita Homob. tom. 1, consult. part. 2, resp. 120. Bossius mor. nar. tit. 5, n. 12 de Lugo disp. 10, n. 82.

CAS. II. — Cum imposuerit Petro Confessarius pro Sacramentali satisfactione, ut per mensem quolibet die festo duas Missas audiret, Petrus propriæ negligentiæ indulgens, pro adimplenda sibi imposita satisfactione, solitus fuit duas Missas in duobus Altaribus eodem tempore celebratas audire. Qu. An Petrus propriæ satisfecerit obligationi?

Resp. negat. Quamvis enim possit quis eodem tempore, et actu satisfacere pluribus obligationibus, quando aliter non constet de mente imponentis obligationes, adhuc tamen quando aliter constat, nonnisi diverso tempore, et actu repetitis obligationibus satisfieri posse dicendum est. Cum igitur Confessarii, imponentes pro Sacramentali satisfactione auditionem plurium Missarum, intendant communiter imponere onus audiendi plures Missas diversis temporibus, ut apparet ex communi sensu Confessariorum, et praxi pœnitentium, satis perspicuum est, Petrum, qui pro adimplenda sibi imposita satisfactione de audiendis quolibet die festo per Mensem duabus Missis, solitus fuit, propriæ negligentiæ indulgens, duas Missas in duobus altaribus eodem tempore celebratas audire, nequaquam obligationi sibi impositæ satisfecisse. Ita Joan. de Lugo de Sacr. Euchar. dis. 22, sect. 1, n. 10. Turian. disp. 16, part, 2, dub. 7. Girib. de obser. fest. c. 2, n. 18.

CAS. III. — Rusticus tanquam gravis Sacrilegii reus arguitur a Confessario, quia cum recordatus fuerit unius lethalis peccati in ultima Confessione obliti, dum erat proxime recepturus sacram Synaxim, hanc recepit, quin saltem Contritionis actum præmiserit. Qu. An jure ita arguatur?

Resp. negat. Si et enim rusticus, dum recordatus fuit lethalis peccati in Confessione prævia obliti, non poterat recedere a sacra Mensa, quin circumstantibus præberetur occasio temere judicandi contra ipsum; in tali casu, cum jam per præviam Confessionem formaliter integram fuerit etiam a peccato lethali oblito indirecte absolutus, nullam habuit obligationem præmittendi Contritionis actum, ut licite ad sacram Mensam accede-

ret. Si vero rusticus idem obliti peccati memor recedere poterat a loco, in quo proxime recepturus erat sacram Synaxim absque supradicta sui infamatione, vel proximi admiratione, ut facile contingere potest, cum plures soleant in praxi recedere, vel se retrahere ab altari, etiam dum actu administratur venerabile Sacramentum, quin aliqua sequatur infamia, vel admiratio, tunc recedere debuit ab altari, ut, præmissa nova Confessione peccati obliti, ad sacram Synaxim opportuna accederet dispositione; et ita rusticus jure merito pro non præmisso Contritionis actu arguendus fuit. Ita Girib. de Euchar. c. 4, n. 29. Suar. disp. 66, sect. 4. Bonac. disp. 4, q. 4, punct. 1, n. 17 et 18. Tambur. l. unic. c. 1, §. 8, n. 61 et 72.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Titio Clerico assignata fuerunt in patrimonium omnia paterna bona, annuatim reddentia aliquid plus ultra taxam ducentarum librarum, cum onere tamen alendi Patrem senem, quousque vivat. Qu. An tale patrimonium possit ut legitimum approbari?

Resp. negat. Ratio est, quia ut patrimonium possit tanquam legitimum approbari, debet constitui super bona stabilia libera, et juxta Synodales leges ducentarum librarum fructum annuatim reddentia. Hoc autem de bonis Titio Clerico a Patre sene in Patrimonium assignatis nequaquam verificatur: quamvis enim, ut inquit Casus, prædicta bona aliquid plus ultra taxam reddant; cum vero aliquid plus non denotet summam sufficientem ad integram Patris sustentationem, sed præcise partem aliquam diminutam sustentationis, clare apparet, quod, deducta integra Patris sustentatione, integrum non remaneat pro filio patrimonium ducentaram librarum; sicque constat, patrimonium prædictum nequaquam posse tanquam legitimum approbari. Ita ex Notif. 6, vol. 2, SS. D. N. Bened. XIV. edita 1. Febr. an. 1754.

CAS. II.—Berta ex Pauli mandato rapta a Sejo, Sejum potius quam Paulum in Conjugem ducere parata est. Qu. An Sejum ducere possit?

Resp. affirmative. Cum enim rapiens nomine alterius dicatur quidem auxilium, et favorem raptui præbere, non vero committere raptum; sequitur, Sejum, qui non pro se rapuit Bertam, sed præcise pro Paulo, et ut ipsiusmet Pauli mandatum exequeretur, non posse dici, nec vere esse raptorem. Cum autem ex alia parte impedimentum raptus dirimens Matrimonium non oriatur, ut constat ex Tridentino sess. 24, c. 6, nisi inter raptam, quamdiu est in manu Raptoris, et ipsum verum Raptorem, qui in casu nostro est solus Paulus raptum mandans, non vero Sejus mandati executor, clare infertur, inter Sejum et Bertam nullum raptus impedimentum adesse, ratione cujus nequeat inter eosdem, si mutuo consentiant, Matrimonium valide celebrari. Ita Girib. de imped. raptus n. 61. Avers. q. 12, sect 3, aliique communiter.

CAS. III. —Petrus nonnulla gravia peccata confessus est ex dolore quidem offensæ Deo illatæ, sed sine proposito formali, et expresso ea vitandi in futurum; imo actu judicans, se quamprimum in eadem crimina relapsurum. Qu. An prædicta Confessio absolute invalida dicenda sit?

Resp. negative. Ratio desumitur ex Tridentino sess. 4, cap. 4, decernente, quod ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem nil aliud requiratur, quam dolor ex motivo supernaturali conceptus, qui voluntatem peccandi excludat. Cum autem tam bene excludat voluntatem peccandi propositum formale, et explicitum, quam propositum virtuale, et implicitum, inclusum in dolore universali, qualis est dolor de offensa bonitate divina, dicendum est, defectum formalis propositi invalidam non reddere Confessionem. Neque illa non peccandi voluntas in Sacramento Pœnitentiæ requisita vitiatur per judicium, quo quis judicat se brevi in eadem crimina relapsurum; nam cum propositum sit actus voluntatis, et judicium sit actus intellectus, nullam dicunt ad invicem ex natura sua oppositionem, cum videamus, quod etiam in hominibus sanctis stet cum bono proposito justus timor, ne ex vertibilitate voluntatis humanæ de bonis in

malos mutentur. Dixi ex natura sua, quia si de hominibus fragilioribus sermo sit, timor de futuro relapsu præstare potest, ut in proposito ita mutent, ut ex hujus defectu ipsa Confessio omnino invalida dicenda sit. Ita Zucher. de pœnit. ad cas. 1. et 2 Jun. num. 12 et 29, et alii.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Julia vidua, cum ex occulta fornicatione reddita fuit prægnans, verita, ne ejus turpitudo, turgescente ventre, aliorum oculis patefiat, ita domi se continet, ut etiam diebus festis ab audienda Missa abstineat. Qu. An Sacrum non audiens possit a gravi culpa excusari ?

Resp. affirm., dummodo non possit sine suæ turpitudinis nota summo mane, aut in aliquo Oratorio remoto Missam de facili audire. Ratio est, quia quotiescumque non potest quis absque propriæ famæ lasione præceptum aliquod servare, ad idem servandum non tenetur, præsertim si tale præceptum sit Ecclesiasticum, quale est illud de Missa audienda in die festo ; cum Ecclesia, utpote pia Mater, subditos sibi fideles non intendat cum gravi eorum incommodo obligare. Cum itaque Julia vidua grave subiret incommodum, si cogeretur, occasione audiendæ Missæ in die festo, propriam turpitudinem ex turgescente ventre aliorum oculis patefacere, dicendum est, non teneri in Casu Missam audire ; ideoque Sacrum non audiens, etiam in die festo, ab omni, sicque multo magis a gravi culpa excusari. Ita Pasqualig. de sacrif. tom. 2, q. 1536, n. 4. March. de ord. tr. 5, p. 5, cap. 17, n. 19. Laym. l. 4, tr. 7, c. 4, n. 16.

CAS. II. — Franciscus interrogatus a Confessario de numero peccatorum mortalium, respondet, se nunquam fuisse solitum illum exprimere. Qu. An Confessiones præteritas repetere teneatur ?

Resp. cum distinctione. Vel Franciscus solitus fuit non exprimere numerum peccatorum ex ignorantia prorsus

inculpabili, aut saltem non graviter culpabili, vel ex malitia, seu ignorantia graviter culpabili. Si dicatur primum, Franciscus non videtur absolute obligandus ad repetendas confessiones præteritas, cum silentium inculpabile, vel tantum leviter culpabile circa numerum peccatorum lethalium, si ipsa peccata exposita sint in genere, vel specie, una cum dolore universali, et sincero proposito non peccandi de cætero, ipsiusmet Confessionis valorem non vitiet, ut in Confessione moribundi, aliisque Casibus manifestum est. Dixi, non videtur absolute obligandus ad repetendas Confessiones præteritas; nam saltem in confuso nunc, dum est admonitus, tenetur exprimere multitudinem numericam peccatorum, quam reticuit, ut sic, quantum potest, peccata sua, prout ea habet in conscientia, in Confessione præsenti exponat. Si postea dicatur secundum, jam ex se patet, Confessiones præteritas nullas esse, imo fuisse sacrilegas, et proinde a Francisco, si modo velit valide confiteri, integre, quantum fieri potest, repetendas fore. Ita Cleric. de Pœnit. decis. 51, n. 4 et 5. Zuccher. cas. 1 Febr. num. 18. Girib. c. 11, num. 4 et seq.

CAS. III. — Joannes raptus amore Franciscæ, eidem quadam die ante Imaginem divi Antonii dixit: Ego, teste hac sacra Imagine, duco te in Uxorem; illa vicissim respondente: Et ego duco te in Maritum; inde post mensem idem Joannes infirmatur, et moritur. Qu. An Francisca, mortuo Joanne, possit cum Cajo Joannis Fratre Matrimonium contrahere?

Resp. negat. Licet enim certum sit, promissionem inter Joannem et Franciscam non habere valorem vel Matrimonii, cum defuerit præsentia Parochi, et testium, ex Tridentini lege necessario requisita, vel sponsaliorum, cum hæc contrahantur per verba de futuro, non de præsenti; adhuc tamen, cum conjugium, in Casu attentatum, invalidum sit defectu solemnitatis a Concilio requisitæ, non vero defectu consensus, dicendum est, oriri ex ipso impedimentum publicæ honestatis, cum hoc etiam a Matrimonio invalido, dummodo tale non sit defectu consensus, ex satis communi Doctorum

mente oriatur. Posito autem prædicto publicæ honestatis impedimento, clarum est, mortuo Joanne, Franciscam nequaquam posse cum Cajo Joannis fratre Matrimonium contrahere. Ita Girib. tr. 10, c. 13, n. 53. Bonac. q. 3, punct. 11, n. 18. Dian. part. 9, tr. 6, resol. 53.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Pœnitens, cui fuit imposita a Confessario eleemosyna pauperi elargienda, pecuniam pro eleemosyna destinatam insumpsit in alenda Matre paupere, etsi eidem Matri ex alio titulo alimenta præstare deberet. Qu. An obligationi a Confessario impositæ satisfecerit?

Resp. negative. Ratio est, quia cum Filius jure naturalis pietatis tenetur Matri alimenta præbere, dum Matri fit elargitio pecuniæ pro eleemosyna destinatæ, nequit amplius proprie dici eleemosyna, cum dici potius debeat solutio debiti legalis, ad quam solutionem potest per Judicem Filius compelli casu, quo hic sit satis dives, ut solvere possit. Cum itaque mens Confessarii, imponentis pœnitenti, ut eleemosynam pauperi largiatur, non sit mens imponendi alicujus legalis debiti solutionem, bene vero opus satisfactorium, ad quod alio titulo ipse pœnitens non teneatur, dicendum est, pœnitentem in nostro Casu, qui in alenda Matre paupere pecuniam insumpsit, quam tenebatur in eleemosynam elargiri, obligationi sibi a Confessario impositæ nequaquam satisfecisse. Ita Cleric. de pœnit. decis. 54, num. 11. Surd. de aliment. tit. 7, q. 37. Dian. part. 6, tr. 4, resol. 54.

CAS. II. — Fictus mendicus secus viam sedens omni externo conatu per Christi vulnera transeuntes adjurat, ut ipsi eleemosynam præbeant. Qu. An usu dictæ adjurationis graviter peccet?

Resp. negative. Quamvis enim fictus mendicus contra religionem peccet, eleemosynam per Christi vulnera in falsa mendicitate implorans; adhuc tamen, cum supponatur in ipso ficto mendico animus, et voluntas obtinendi quod petit, non ita vane et irrisorie Christi vul-

nera contestatur, ut graviter lædatur divinus honor, et proinde neque ut idem fictus mendicus gravis culpæ reus in usu dictæ adjurationis dicendus sit. Dixi, in usu dictæ adjurationis; nam si fictio mendici in grave proximi damnum cederet, ut eveniret, si ille copiosam eleemosynam a transeuntibus consequeretur, tunc certe graviter peccaret, non quidem contra religionem, sed contra justitiam, unde et obligationem haberet restituendi pecuniam, quam sub eleemosynæ titulo recepisset. Ita Palao disp. 4, punct 1, num. 5. Cleric. in erotem. c. 42, q. 5 et 6. Tambur. l. 5, in Decal. c. 8, § 1, n. 4.

CAS. III.—Cum Parochus loci aquis Rheni circumdati frequenter laboret capite, relicto in Parœcia idoneo Sacerdote, qui ejus vices supplere valeat, solet Mensibus Julio, et Augusto in alio non valde distante salubriori loco morari. Qu. An in conscientia sit tutus?

Resp. negat. Tum quia Parochus, ex quo propter aeris intemperiem frequenter laboret capite, non inde habet causam sufficientem, quæ ipsum a residentia excusat, ut constat ex Sacræ Congreg. Decr. sive anno 1575. sive die 7 Julii an 1604. hac de re emanatis. Tum quia licet aeris intemperies a residentia excusaret, non potuisset adhuc Parochus noster, etiam relicto in Parœcia idoneo Sacerdote, ab eadem absque expressa Ordinarii licentia per duos menses abesse, ut pariter juxta formam Concil. Trid. sess. 23, c. 1. Sacra Congreg. sub die 7 Octob. anni 1604, decrevit. Cum itaque in nostro Casu nulla fiat mentio dictæ facultatis ab Ordinario expresse obtentæ, dicendum est, Parochum, qui solet mensibus Julio, et Augusto in alio a Parœcia non valde distante salubriori loco morari, in conscientia tutum non esse, ut ex erudita SS. D. nostri Bened. XIV. Instructione sub die 6 Martii anno 1755, diffuse videre est.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Cum parvam duntaxat plateam distet a Parochiali Ecclesia Domus cujusdam Rustici, putat hic

satisfacere præcepto diei festi, Missam audiens e fenestra Domus suæ, unde Celebrantem commode intuetur. Qu. An verum putet?

Resp. negat. Ratio est, quia si fenestra domus per plateam, licet parvam, sejuncta est ab Ecclesia, audiens Missam e tali fenestra, nisi adsit tanta populi multitudo, ut ab Ecclesia ad Rustici domum pertingat, neque physice, neque moraliter dici potest Sacrificio assistens, et præsens, sicuti ad satisfaciendum præcepto diei festi necessarium est. Cum enim præsentia fundetur non in majori, vel minori distantia, sed in communicatione locorum, si loca ex eorum dispositione ita separantur, ut invicem non communicent, excluditur non solum physica, sed etiam moralis præsentia, quamvis per accidens per sensus percipiatur quid fiat, ut contingit in his, qui in duobus ejusdem domus cubiculis solo pariete medio separatis reperiuntur, qui quamvis se ipsos loquentes ad invicem audiant, non tamen sibi ipsis præsentes vel physice, vel moraliter sunt. Quamvis itaque Rusticus e fenestra suæ domus commode Celebrantem valeat intueri, adhuc, cum nequeat dici, quod sit intra Ecclesiam, vel sit pars multitudinis Sacrificio in Ecclesia peracto assistentis, dum putat se e tali loco satisfacere diei festi præcepto, falsum putare dicendum est. Ita Pasqual. tom. 2. q. 1304, n. 5. Rosign. art. 11 et alii.

CAS. II. — Rosa juvenis Bononiensis cum a nonnullis mensibus ad Mutinensis Diœcesis locum non valde distantem transierit, receptis ab Ordinario Bononiensi liberi sui status attestationibus matrimonium ibi contraxit. Quod intelligens Bononiensis Parochus, sub quo Rosa habet domicilium paternum, judicat, Matrimonium a Rosa contractum nullum esse. Qu. An rectum sit Parochi Bononiensis judicium?

Resp. negat. Ratio est in primis, quia ad Matrimonii valorem non requiritur, quod contrahatur coram Parocho sponsæ, cum possit æqualiter contrahi coram Parocho viri, et proinde licet Rosa habeat domicilium paternum sub Parocho Bononiensi, adhuc potest valide in

Mutinensis Diœcesis loco Matrimonium contrahere, si ibi sponsi sui domicilium reperitur. Secundo, quia cum dicatur, quod Rosa a nonnullis mensibus ad Mutinensis Diœcesis locum transierit, jam animum habere potuit ibi figendi domicilium, vel quasi domicilium acquirendi, in qua hypothesi potest etiam valide Matrimonium contrahere coram Parocho illo, sub cujus Parœcia Rosa ipsa moratur. Qua de re Parochus Bononiensis, licet habeat in propria Parœcia domicilium paternum Rosæ, adhuc non recte judicat, Matrimonium ab eadem Rosa in Mutinensi loco contractum nullum esse. Ita ex declarat. Sacræ Congr. sub an. 1573. L. 1, decret. pag. 125. ut ex instruct. 15, volum. 2. Bened. XIV. clare apparet.

CAS. III. — Postquam Lucius Matrimonium cum Livia contraxit, certior factus est, ipsum a prima juventute in Liviæ Baptismo Patrini munus exercuisse. Qu. Quo sit recurrendum, ut Matrimonium prædictum sanetur?

Resp. cum distinctione. Si impedimentum cognationis spiritualis, de quo certior factus est Lucius, cæterorum quoque notitiæ perventum est, ita ut occultum dici non possit, ad Datariam faciendus est recursus, ut Matrimonium invalide contractum sanetur, cum sacra Pœnitentiaria nullam circa impedimenta publica habeat facultatem. Si autem dictæ cognationis impedimentum publicum, aliisque notum non sit, tunc pro revalidando hujusmodi matrimonio ad sacræ Pœnitentiariæ tribunal recurrere satis est. Cum enim loquendo de impedimentis occultis, a quorum dispensatione, vigore Bullæ Innocentii XII abstinere debet major Pœnitentiarius, enumeretur illud cognationis spiritualis solummodo, quando sermo est de Matrimoniis contrahendis, non vero quando sermo sit de Matrimoniis contractis; sequitur, quod si impedimentum in nostro Casu occultum sit, possit Matrimonium cum tali impedimento contractum per simplicem summi Pœnitentiarii dispensationem sanari. Ita ex Instruct. 20, tom. 4, SS. Domini nostri Bened. XIV. feliciter regnantis.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Cajus mutuo dans Petro summam auri, obligat sese ad eam intra triennium non repetendam: sed quia probabiliter putat, aliquod lucrum cessans, vel damnum emergens sibi tali tempore eventurum, tria pro quolibet centenario annuatim petit. Qu. An sine labe usuræ hoc petere possit?

Resp. affirmative. Quamvis enim mutuans nequeat aliquid recipere vel pro sola carentia pecuniæ, vel pro obligatione pecuniam non repetendi intra triennium; potest tamen aliquid recipere pro damno probabiliter emersuro, aut pro lucro intra prædictum tempus probabiliter cessaturo, quanti scilicet arbitrio prudentis potest hoc periculum æstimari; cum mutuans non teneatur cum sui probabili detrimento beneficium ex sua pecunia mutuatario præbere. Cum igitur Cajus mutuans nullatenus servetur indemnis nisi mutuatarius se obliget ad compensandum integrum damnum, quod ex mutuata pecunia eidem Cajo forte emergat, aut lucrum, quod cesset; si tria pro quolibet centenario spei lucri, vel probabilitati damni commensurantur, poterit ea Cajus annuatim licite petere, et hinc ab omni usuræ labe excusari. Ita P. Viva in expos. prop. 42, ab Alex. VII proscriptæ, aliique.

CAS. II. — Antonius, dum male ageret cum Seja, invasus fuit stricto ense a Titio Sejæ Marito. Qua de re, putans alia via non posse vitam propriam tueri, Titium præveniendo occidit. Qu. An per talem occisionem irregularitatem incurrerit?

Resp. negat. Ratio est, quia licet Antonius deprehensus fuerit in adulterio cum Seja Titii uxore, tamen fuit adhuc injuste a Titio invasus ad mortem, cum hic non possit vel uxori in adulterio deprehensæ, vel Antonio cum eadem adulteranti mortem propria auctoritate inferre, ut constat ex 19, ab Alex VII proscripta propositione; sicque cum idem Antonius, etsi propria

culpa causam dederit homicidio, potuerit jure naturæ et vitam propriam tueri, potuit etiam licite, alio deficiente modo sese defendendi, invasorem suum præveniendo occidere. Cum autem ex Clement. *Si furiosus* de homic. absolute, et absque ulla distinctione habeatur, quod irregularitatem nequaquam incurrat, qui suum invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ sese defendendo occidit, sequitur, Antonium, occidendo invasorem Titium, irregularitatem nullatenus incurrisse. Ita ex. Less. l. 2, cap. 9, dub. 1, n. 257. Dian. part. 5, tr. 5, resol. 47. Girib. in. 5 Decal. præcept. c. 1, n. 43.

CAS. III. —Vetula minis, ac verberibus territa, maleficio in catellum translato, destruxit maleficium, quod ad perdendum Antonii puerulum jam paraverat. Qu. An hocc ontigerit absque novo peccato ?

Resp. cum distinctione. Si sermo sit de Vetula destruente maleficium jam paratum in puerum medio maleficio translato in catellum, dicendum est, factum hoc non contigisse absque novo peccato. Ratio est, quia adhibere novum maleficium, vel maleficium transferre de puero in catellum, cum sit magicæ artis usus, tacitam, vel expressam involvens dæmonis invocationem, est res intrinsece mala, quæ proinde, ad evitandum etiam quodcumque grave sibi imminens damnum, nunquam licite potest executioni mandari. Si vero sermo sit de Antonio, qui minis, ac verberibus vetulam induxit ad destruendum maleficium, quod ad perdendum ejus puerum jam paraverat, respondendum est, quod Antonius, dummodo judicaverit posse vetulam destruere maleficium paratum in puerum absque nova dæmonis ope, novoque maleficio, eamdem ad hoc præstandum licite cogere potuit minis etiam, atque verberibus, si aliud remedium non suppetebat; quia mens Antonii in Casu fuisset curare duntaxat puerum, evertendo diaboli opera, vetulæque maleficæ execrando impietatem, quod quam maxime licitum dicendum est. Ita ex Anacl. tr. 5, dist. 2, q. 5, n. 49, et 50. Less. l. 2, c. 8, dub. 8, n. 48. Girib. loco. cit. sup. n. 49.

ANNO MDCCXLIV.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Titius habens votum castitatis, confessus est se commisisse peccatum Fornicationis, non aperiendo ex oblivione circumstantiam voti : inde putavit errorem corrigere in nova Confessione, dicendo : Violavi votum castitatis in re gravi, non explicando Fornicationem. Qu. An hæc secunda Confessio errorem primæ sufficienter correxerit.

Resp. affirm. Quamvis enim non liceat circumstantiam peccati tanquam novum distinctumque peccatum in eadem Confessione aperire, quia tunc pro uno individuo peccato ad duplicem moralem speciem pertinente subrogaretur duplex numero peccatum, quod non esset confiteri peccatum commissum, sed alia non commissa; adhuc tamen, quando in una Confessione exposita est una malitia peccati, et ex oblivione omissa est alia malitia ejusdem, tunc sufficit, quod in secunda Confessione hæc posterior duntaxat malitia exponatur, perinde ac si esset peccatum physice a primo distinctum. Hinc est, quod Titius, qui voto castitatis obstrictus confessus est se commisisse peccatum Fornicationis, non aperiendo ex oblivione circumstantiam voti, dicens in secunda Confessione, se in re gravi violasse votum castitatis, etiam non expressa Fornicatione, errorem primæ sufficienter correxit. Ita de Lug. disp. 16, de pœnit. num. 652. Dian. part. 1, tr. 7, ref. 45. Viva prop. 50, ab Innoc. XI damnat. num 1.

CAS. II. — Complacet sibi Franciscus de pollutione, quam passus est in somniis; sed quia nullam habet delectationem sensibilem, putat se nullatenus in tali complacentia peccare. Qu. An verum putet, se putando ab omni peccato immunem?

Resp. negat., per se loquendo. Ratio est, quia sicuti

nemo potest sibi complacere de homicidio in somniis, vel in ebrietate patrato, ita nec de solutione naturæ, quam in somniis passus est, cum tam in primo, quam in secundo casu complacentia utpote de objecto turpi, et illicito, illicita omnino sit. Dixi, per se loquendo; nam sicuti licita esse potest complacentia de homicidio in somniis patrato, quando ea habetur ob motivum præponderans, ex. gr. ob ingentes res, bonum spirituale, vel quid simile, quod inde emergat; ita licita esse potest complacentia, absque illa voluntaria sensibili delectatione, de pollutione in somniis secuta, quando talis complacentia sit ob motivum præponderans, puta, ut quis evadat a tentationum vexatione immunis, vel valetudinem ad magis inserviendum Deo recipiat. Ita P. Viva prop. 49, ut sup. n. 18. Less. l. 4, c. 3, n. 105. Anacl. tr. 9, dist. 4, n. 54 et 55.

CAS. III. — Dum Fundator cujusdam Capellaniæ in ejusdem fundatione dixerit : Eligatur Sacerdos, qui quotidie celebrans oret pro anima mea; dubium ortum est, an Sacerdos teneatur Sacrificium quotidie pro Fundatore applicare. Qu. Quid pro solutione dubii respondendum?

Resp. affirm. Quamvis enim hæc duo, Missam pro Fundatore applicare, et orare pro eodem separabilia sint, et proinde si exprimatur unum, et non alterum, possit obligatio in unum, et non in aliud ferri: adhuc tamen, cum tanta sit conjunctio verborum illorum, quibus usus est Capellaniæ Fundator, dicendo: Eligatur Sacerdos, qui quotidie celebrans oret pro anima mea, dicendum videtur, ipsum Fundatorem Orationem, et implicite etiam Sacrificii applicationem pro anima sua exegisse. Si enim noluisset utrumque, debuisset expressius hoc indicare; quia si ex aliqua circumstantia clare constet oppositum, præsumendum semper est, quod communiter accidit, hoc est, a Fundatore applicationem Missæ posci. Ita Tamb. l. 3, c. 1, § 3, n. 28. de Lug. disp. 21, sect. 1, n. 25. Barbos. t. 2, de potest. Episc. alleg. 24, n. 55.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Capellanus ruralis, qui ex Confessionibus jam pluries auditis scit Rusticum quemdam in occasione proxima voluntaria versari, ab eodem Pœnitente iterum quodam die festo vocatus, se ab ejus Confessione audienda excusat. Qu. An hoc licite facere possit?

Resp. affirm., dummodo non adsit periculum, quod alii malum de rustico suspicentur. Ratio est, quia cum se excusare in casu ab audienda Rustici Confessione non sit per se loquendo aliquid de auditis Confessionibus revelare, nec sit exercere aliquem actum circa ipsam Pœnitentis personam, qui rationabiliter esse possit ipsi Pœnitenti ingratus, dicendum, licite se posse Capellanum ab audienda Rustici Confessione excusare. Imo quemadmodum non solum licite, sed etiam laudabiliter negatur Pœnitenti absolutio, ut a sua peccandi consuetudine resipiscat, ita ob eumdem finem poterit laudabiliter negari Confessio, cum eodem modo in utroque casu res utilis Pœnitenti agatur. Dixi, dummodo non adsit periculum, quod alii malum de Rustico suspicentur; quia tunc ex Confessarii facto aliqua saltem indirecta sigilli fractio sequeretur, quæ omnino illicita est. Ita cum Tamb. l. 5, de pœnit. cap. 6, § 3, n. 15, plerique alii.

CAS. II. — Dubitans Parochus, an puer in mortis articulo constitutus ad rationis usum pervenerit, noluit illum sacro Oleo inungere, dicens, in tali dubio puerum non esse inungendum. Qu. An bene senserit, et bene se gesserit?

Resp. negative. Ratio est, quia Parochus vi sui muneris toties tenetur Sacramenta sive necessaria, sive ad salutem utilia ovibus suis præbere, quoties et Sacramenta possunt sine irreverentia conferri, et oves possunt illis indigere; positis enim duabus his circumstantiis, oves jus habent ad Sacramenta vel absolute recipienda, si sint absolute capaces, vel si sub dubio capaces, ad ea recipienda sub conditione. Sed puero

nostro ex una parte potest Sacramentum Extremæ Unctionis sine irreveren tia conferri, cum ejusdem sub conditione recipiendi sit capax; et ex altera parte potest idem puer sub dubio usus rationis Extrema Unctione indigere, tum ad abstergendas peccatorum reliquias, tum ad superandas diaboli tentationes, si et peccatorum, et tentationum capax sit: ergo nec bene sensit, nec bene se gessit Parochus noster, qui dubitans, puerum in mortis articulo constitutum ad rationis usum esse perventum, et illum noluit sacro Oleo inungere, et dixit, non esse in tali dubio inungendum. Ita Pasqualig. in theor. et prax. q. 375. Palaus tr. 26, punct. 8, n. 4. Sbogar. tr. 78, n. 27. Dian. part. tr. 3, resol. 196.

CAS. III. — Parochus habens eleemosynas pauperibus suæ Paræciæ distribuendas, eas distribuit istis, qui solent ipsi confiteri, licet sciat alios esse in Paræcia pauperiores. Qu. An possit ab omni culpa excusari?

Resp. negative. Tum quia præsumendum est, quod Testatores, vel alii, qui Parocho reliquerunt eleemosynas Paræciæ pauperibus distribuendas, ipsas reliquerint, ut ibi juxta prudens Parochi judicium ordinarie loquendo distribuantur, ubi major paupertatis necessitas dignoscatur. Tum quia dum Parochus eleemosynas sibi ob prædictum finem relictas illis duntaxat distribuit, qui solent ipsi confiteri, videtur aliquo modo violare jus aliorum magis indigentium, qui ipsi æque cogniti supponuntur. Tum denique quia Parochus eleemosynas distribuendo, ut in casu, præbet pauperibus id scientibus occasionem accedendi ad ipsum titulo quidem Confessionis, sed ob finem obtinendi eleemosynas, et proinde exponit animas sibi commissas periculo simulandi sanctitatem, et faciendi Confessiones invalidas, ut in similibus casibus non infrequenter contingit. Parochus igitur se gerens ut in exposito casu, præscindendo ab aliquo rationabili peculiari motivo, nullatenus potest ab omni culpa excusari. Ita communiter.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Juvenis corruptæ vitæ dixit pluries Sociis suis, tempore Bacchanaliorum voluptates venereas licitas esse. Qu. An sit denunciandus?

Resp. affirm. Ratio est, quia sextum Decalogi præceptum, per quod prohibentur venereæ voluptates, cum sit negativum, eas semper prohibet absque ulla temporis exceptione. Hinc cum dicere, quod tempore Bacchanaliorum licitum sit venereis voluptatibus frui, sit prædicto Decalogi præcepto directe oppositum, sequitur, juvenem nostri casus, utpote falsa, et hæretica dogmata proferentem, nisi ex joco ea protulisse a Sociis dignoscatur, esse hæreticæ pravitatis Inquisitoribus denunciandum, ut ex Edicto ipsiusmet sanctæ Inquisitionis compertum est.

CAS. II. — Confessarius, audita Petri Confessione satis prolixa, coram aliis dixit, Petrum nondum absolvi, quia Confessionem suam non adhuc finivit. Qu. An dicta locutio sigilli fractionem importet?

Resp. affirmative. Cum enim, communiter loquendo, prolixa Confessio, præsertim in viris extra casum Confessionis generalis, vel denotet multa peccata, vel certe gravem aliquem ipsius Pœnitentis defectum significet; dicendum est, quod Confessarius, qui coram aliis dixit, Confessionem Petri fuisse prolixam, ipsumque Petrum non obtinuisse absolutionem, quia Confessionem nondum finivit, indirecte saltem, et virtualiter dixit, Petrum vel multa patrasse peccata, vel gravem aliquem defectum habere; et proinde, cum nulla fiat mentio in casu, quod Petri Confessio sit Confessio generalis, de qua nemini ignotum est esse prolixam, fractionis sigilli reus idem Confessarius censendus est. Ita Granado de Sacr. contr. 7, c. 11, num. 2. Tamb. l. 5, de pœnit. cap. 3, n. 15, et alii.

CAS. II. — Cajus famulus domino suo graviter ægrotanti, et serio minitanti privationem cujusdam legati,

in ejus favorem jam facti, si ei non ministraret vinum, hoc ipsi ministravit, ex quo, morbo ingravescente, mortuus est. Qu. An sit irregularis?

Resp. cum distinctione. Si Cajus mortem domini sui nequaquam prævidit ex propinato vino secuturam, dicendum est, mortem prædictam per accidens respectu ipsius Caji esse secutam, et proinde sicuti reus homicidii ex gravi theologica culpa dici non potest ipsemet Cajus, ita neque ex secuta morte irregularis dicendus est, cum irregularitas ex delicto, utpote grave malum, nonnisi ex gravi culpa incurratur. Si vero Cajus vel habuisset præceptum a Medicis de vino non ministrando, vel aliunde scivisset, vinum in casu ægroto domino fore mortiferum; tunc dico, eumdem Cajum, qui, ne legato sibi a domino facto privaretur, vinum domino porrexit, cum in causa fuerit, ut ingravesceret morbus, indeque sequeretur domini mors, tanquam ipsius mortis secutæ voluntarium auctorem irregularitatis impedimentum canonicum incurrisse. Ita ex Dian. part. 4, tr. 2, resol. 21. Leand. disp. 16, quæst. 5. Girib. de censur. c. 6, n. 99, et seq.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Joannes eximie peritus in cognoscendo gemmarum valore, emit gemmam pretio per alios minus peritos taxato, sed longe minori vero gemmæ valore. Qu. An talis emptio sit ab omni culpa, et obligatione immunis?

Resp. affirmat. Ratio est, quia res, quæ pretium a principe taxatum non habet, tanti valet, quanti communiter æstimatur, licet emptor ex peculiari sua cognitione sciat, rem pluris valere, quam a viris in tali arte peritis communiter æstimetur. Hinc quemadmodum, qui ex speciali et extraordinaria cognitione agnoscit in fasce herbarum, quæ ad cibum hominum, vel pabulum animalium venduntur, herbam adesse pretiosam, magnæque virtutis, potest herbas illas emere pretio currenti, et communi, quia vili pretio communiter

æstimantur; ita cum in nostro casu Joannes emerit gemmam pretio per peritos taxato, licet ipse, utpote in cognoscendo gemmarum valore eximie peritus, judicet eamdem gemmam pluris valere, erit ab omni culpa, et obligatione immunis; salva enim est tota ratio commutativæ justitiæ, quæ in emptionis contractu intercedere debet, si res ematur tanti, quanti a viris in tali negotio peritis communiter æstimatur. Ita Rosign. cont. 2, disp. 4, § 5. Tambur. l. 8. Decal. tr. 5, c. 7, § 11, n. 38. Girib. de cont. cap. 2, n. 105, et seq.

CAS. II. — Audiens Parochus a Titio, hominem proxime moriturum velle confiteri, ad illum ingressus, absente Titio, nullum potest extorquere doloris signum, neque ullum ab adstantibus consequi testimonium de petitione absolutionis. Qu. An hoc non obstante debeat moribundum absolvere?

Resp. affirmat. Ratio desumi potest ex Rituali Romano, quod nullatenus distinguens testimonium datum in præsentia, ac in absentia moribundi, absolute disponit, quod si moribundus confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est. Hac de re licet Clemens VIII. Decreto publico reprobaverit Confessionem factam per nuncium, tamen declaravit casum de moribundo, qui, absente Sacerdote, Confessionem petiit, et postea sensibus destitutus accedenti ad ipsum Confessario nullum amplius doloris signum dare potest, non comprehendi in supradicto Decreto, ut Cardinalis Bellarminus, et Archiepiscopus Armacanus se ab eodem Pontifice audivisse anno 1608, testati sunt. Debet igitur Parochus noster, qui a Titio audivit, moribundum velle confiteri, eumdem moribundum sub conditione absolvere, etiamsi nullum ab adstantibus habere ulterius possit testimonium de petitione absolutionis. Ita Madern. quæst. 4, art. 10. Marchan. de peste part. 3, c. 13, num. 8. Boss. part. 1. Mor. tit. 1. §. 25 n. 333, et seq. Girib. de pœnit. c. 9, n. 29, et seq.

CAS. III. — Lucius, ex quo Missam audierit, quæ solet nocte Natalis Domini celebrari, putat, se non te-

neri Natalitio die aliam Missam audire. Qu. An verum putet?

Resp. affirmat. Licet enim ad magis fovendam Fidelium devotionem in die, quo memoria recolitur singularis Mysterii nati Dei, introducta sit consuetudo audiendi tres Missas; nullum tamen præceptum ex prædicta consuetudine firmatum est. Unde sicuti non tenentur Sacerdotes tres Missas tali die celebrare, ita, naturam sequendo celebrationis, taliter libera censenda erit trium Missarum auditio; et qui nocte natalitium diem præcedente, et ad eumdem diem spectante, Missam unam audivit, verum putat, putando se nullatenus ad alteram natalitia die audiendam teneri. Ita Filliuc. tr. 5, c. 7, n. 207. Leand. de præcept. Eccl. tract. 2, disp. 1, q. 19. Pasqualig. 1253, n. 3 et 4. Bonac. de Sacr. disp. 4, q. ult. punct. 11, n. 10.

MENSE MAII.

CAS. I. — Petronius, initis cum Francisca vidua Sponsalibus, certior factus est, eam post primi Conjugis mortem fuisse fornicatam, unde vellet Sponsalia rescindere. Qu. An habeat justam causam rescindendi?

Resp. affirmative, sive ante, sive post Sponsalia cum Petronio inita Fornicatio Franciscæ secuta sit. Ratio est, quia promissio Sponsaliorum non obligat, quotiescumque post promissionem vel oritur, vel detegitur notabilis aliqua turpitudo, quæ si ante promissionem fuisset cognita, nullatenus facta fuisset ipsa promissio. Cum igitur satis verosimile sit, quod Petronius noluisset inire Sponsalia cum Francisca, si ejus impudicitiæ conscius fuisset, sequitur, quod, cum nonnisi per errorem, et prædictæ turpitudinis ignorantiam consensum suum in Sponsalia præbuerit, possit, errore detecto, ab iisdem Sponsalibus resilire. Ita Less. l. 2, cap. 42, dub. 7, num. 34. Sanch. l. 1, disp. 62. Bonac. de spons. q. 1, punct. 8, n. 16 et 17.

CAS. II. — Eadem vidua Francisca, etsi prævideat

grave damnum secuturum Filiis ex primo Marito susceptis, omnem ponit artem, ut ad secundas nuptias transeat. Qu. An absque gravi culpa possit ad optatas nuptias transire ?

Resp. cum distinctione. Si Francisca passura sit pariter grave damnum casu quoad secundas nuptias non transeat, dicendum, etiam præviso notabili damno primi Mariti filiis secuturo, posse ad secundas nuptias transire. Ratio est, quia cum lex Charitatis unicuique dictet magis se ipsum diligere, quam alios, nequit obligare prædictam Mulierem ad impediendum damnum filiorum medio damno sive temporali, sive spirituali, quod ipsa sustinere cogatur, si in viduitatis statu permaneat. Si vero eadem Francisca nullum, vel leve in statu viduitatis detrimentum passura sit, tunc cum vi naturalis pietatis in filios teneatur, quantum absque sui gravi incommodo potest, ipsorum damna impedire, sequitur, quod, præviso gravi filiorum damno, non possit absque gravi culpa ad optatas nuptias transire. Ita communiter.

CAS. III. — Rosa famula scit, alteram famulam sui sociam impudice cum Amasio versari iis nocturnis horis, quibus domina solet extra domum morari, nec tamen dominam monet, ne ejus animum exasperet, suamque sociam infamet. Qu. An Rosæ silentium possit a peccato excusari ?

Resp. negative. Ratio est, quia, cum unicuique mandaverit Deus de proximo suo, ut habetur Eccl. 17, lex Charitatis obligat nos ad impediendum proximi peccatum, quotiescumque hoc absque gravi nostro vel alterius incommodo impedire posse speramus. Cum igitur Rosa, monendo dominam, sperare possit in casu, ut altera famula sui socia ultro nocturnis horis cum Amasio non versetur, et proinde grave proximi peccatum auferatur, nequit ipsius Rosæ silentium a peccato excusari. Neque timor exasperandi animum dominæ, vel peccantem famulam infamandi, sufficienter silentem Rosam excusat ; nam dominæ exasperatio vel ferit tantum fortasse in Rosæ apprehensione, vel etsi reapse sit secutura, tanta

non erit, ut aliquod grave damnum vel ipsi Rosæ, vel ejus sociæ immineat. Ut autem, quantum fieri potest, etiam ordo Charitatis servetur, primum Rosæ onus erit, eamdem famulam secreto admonere, ut ab indigna conversatione abstineat; nam si post secretam admonitionem vult adhuc in peccato suo perseverare, imputare debet sibi ipsi, si apud dominam, cui detegatur delictum, famam suam amittere coacta sit. Ita cum D. Thom. 2, 2, q. 33, art. 1. Girib. in 1. Decal. præcept. c. 3, n. 54, et seq. et aliis.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Petrus, qui a tribus mensibus confessus non erat, et in varia inciderat peccata lethalia, nullo præmisso conscientiæ examine, confessus est, quin tamen aliquod omiserit peccatum lethale. Qu. An prædicta Confessio valida fuerit?

Resp. negative, per se loquendo. Ratio est, quia Petrus accedendo ad Confessionem post lapsum trium mensium sine diligenti propriæ conscientiæ discussione graviter peccavit: cum prædicta diligens conscientiæ discussio sub pœna peccati mortalis ex Concil. Trid. Decreto ad Confessionem præmittenda sit. Neque excusari potest, quod confessus sit cum debita integritate, quæ est finis, ad quem ordinatum est discussionis prædictæ præceptum: nam Petrus in casu per accidens quidem fuit integre confessus; at, quantum ad se attinet, se ipsum evidenter exposuit periculo omittendi alicujus gravis peccati accusationem, quod periculum, per se loquendo, ipsam Confessionem invalidam reddit. Dixi, per se loquendo; nam si Petrus sit homo rudis minervæ, et bona fide ad Confessionem faciendam, etiam examine non præmisso, accesserit, vel Confessarius hoc advertens, defectum examinis in Petro per proprias interrogationes suppleverit, tunc Petri confessio valida dicenda est. Ita Card. de Laurea disp. 12, art. 9, § 2, n. 205. Card. de Lug. de pœnit. disp. 16, num. 595. Cleric. de pœnit. Dec. 22, num. 15, et seq.

CAS. II. — Moribundus cum non agnoscat se aliquo gravari peccato lethali, renuit pariter confiteri venialia, quæ patravit ; qua de re Parochus recusat sacrum Viaticum eidem præbere. Qu. An Parochus bene se gerat ?

Resp. negative. Ratio est, quia licet optimum sit, et valde utile confiteri peccata venialia, nullum tamen datur de ipsorum Confessione præceptum, sive pro tempore vitæ, sive in articulo mortis ; et proinde, cum moribundus non agnoscat, se aliquo gravari lethali peccato, si inde renuat etiam venialia confiteri, nequit Parochus ex hoc præcise motivo eidem moribundo sacrum Viaticum denegare. Debebit igitur Parochus omni uti suasione, ut moribundum ad patratorum venialium Confessionem inducat, tum ad indirectam remissionem mortalis, si quod forte lateret in anima, tum ad augmentum gratiæ sanctificantis, tum ad remissionem partis pœnæ in Purgatorii igne luendæ, tum ad consequendum indulgentiarum effectum, tum denique ad satisfaciendum universali consuetudini piorum Fidelium. At si moribundus adhuc renuat confiteri, poterit illum disponere ad ipsorum saltem venialium internam detestationem, ipsique taliter disposito sacrum Viaticum præbere debebit, ut præcepto de hoc Sacramento in extremis vitæ recipiendo fiat satis ; secus enim agendo, Parochus noster male se geret. Ita cum Gobat. tr. 6, n. 253. Cleric. de pœnit. Dec. 33, n. 22, et seq.

CAS. III. — Confitetur Pœnitens, se per unum mensem gravia mala ex corde imprecatum esse Francisco, et per idem tempus turpiter concupivisse puellam. Qu. An talis Confessio sit sufficienter distincta ?

Resp. cum distinctione. Si Pœnitens aliquando intra mensem actus illos iræ, et concupiscentiæ retractavit, vel nimium frequenter in eosdem lapsus est, dico Confessionem factam, ut in casu, non esse sufficienter distinctam. Ratio est, quia quando actus interni vel retractantur, vel non sunt nimium frequentes, ex ipsorum retractatione, vel notabili interruptione potest de facili colligi ipsorum numerus, si non præcisus, saltem valde proxi-

mus vero ; et proinde idem numerus actuum , prout est in conscientia , post diligentem ipsius conscientiæ discussionem , ad servandam necessariam Confessionis integritatem , debet exponi , ut ex doctrina Concil. Trid. sess. 14 , c. 5 , et ipsa Fidelium praxi probatur. Si vero Pœnitens nunquam per mensem retractavit actus suos , et in eosdem quolibet die valde frequenter lapsus sit , tunc dico , ejus Confessionem exposito modo peractam sufficienter esse distinctam ; cum ex una parte intelligatur , tales actus esse humano modo secutos , et proinde per varias humanas actiones fuisse interruptos ; et ex altera iidem actus valde frequentes , et non retractati censeantur in genere moris unum peccatum, licet realiter tot actus sint , quot fuerunt ipsorum physicæ interruptiones. Ita Canus in relect. de pœnit. part. 5. De Lug. disput. 16 , sect. 14 , n. 566. Tambur. de pœnit. l. 2 , c. 1 , § 5 . n. 52, et seq.

MENSE JULII.

CAS. I. — Medicus pulsum tangendo ægrotantium Puellarum pravos motus in se experitur, aliquando cum delectatione morosa , aliquando etiam cum desiderio malo conjunctos. Qu. An teneatur a talium infirmarum curatione abstinere ?

Resp. negative. Tum quia casus non dicit , Medicum incidere frequenter in actus illos pravos , ita ut intelligamus. cum in occasione proxima peccandi versari ; sed tantum aliquando ; per quod nobis duntaxat insinuatur occasio peccati remota : ad quam evitandam nemo tenetur a proprio officio abstinere. Tum quia cum Medicis perdifficile sit , ratione lucri cessantis , et fortasse etiam dedecoris emergentis , se a jam suscepto officio retrahere, etiamsi in curatione infirmarum frequenter incidant in motus pravos cum delectatione , vel desiderio malo conjunctos , dici potest, ipsis involuntariam esse prædictam peccandi occasionem, et proinde excusari , si in prædicta cura perdurent. Hoc tamen intelligendum est , dummodo Medicus in tali statu constitutus quærat , quantum po-

test, per proprios bonos actus periculum peccandi extenuare; si enim nullam vult ponere diligentiam ad vitanda peccata, tunc ad removendum voluntarium peccandi periculum debet, quocumque posthabito damno, ab infirmarum suarum curatione abstinere. Ita Anton. a Sp. S. tr. 5, disp. 3, n. 144. Leand. disp. 7, q. 47. Girib. de pœnit. c. 10, n. 14, et seq.

CAS. II. — Antonius graviter a Philippo offensus determinavit in vindictam, quamdam Philippi domum incendere; sed ex ignorantia incendit domum Alberti amici sui. Qu. An teneatur reparare damnum Alberto illatum?

Resp. affirmative. Ratio est, quia quicumque per actionem formaliter proximo injuriosam advertenter positam, directe vel indirecte proximo intulit damnum, titulo ipsius damni illati tenetur ad reparationem ejusdem, licet, inferendo damnum, qualitatem ignoraverit particularis personæ, cui illud intulit; sicuti qui scienter ad mulierem conjugatam accedit, adulterii culpam, et pœnas incurrit, licet ignoret, quisnam sit maritus uxoris, ad quam accedit; et ille, qui occidit Petrum, putans occidere Paulum, damna ex homicidio secuta reparare tenetur, et tamquam veri homicidii reus plectendus est. Cum itaque Antonius domum incendendo ex ira, et motivo vindictæ, posuerit advertenter injustam actionem formaliter proximo injuriosam, ex qua directe et per se damnum proximi secutum est, tenetur ad reparandum damnum Alberto ex combustione domus illatum, licet non Alberti, sed Philippi domum incendere cogitaret, cum obligatio reparandi damnum non sit desumenda ex actione formaliter injuriosa tali determinatæ personæ, sed ex actione formaliter injuriosa proximo, ut etiam in supra adductis adulterii, et homicidii exemplis videre est. Ita Dian. tom. 8, tr. 5, res. 91, n. 2, Bonac. de restit. disp. 2, q. ult. sect. 2, punct. 2, num. 9. Sporer. tr. 5, in 5 præcept. c. 3, sect. 2, num. 4.

CAS. III. — Clericus quidam post susceptum Subdia-

conatum juravit, se nolle amplius comœdiis interesse; ast cum quadam die Socius esset viri gravis, et senis, eumdem comitatus ludicræ repræsentationi interfuit. Qu. An graviter fregerit juramentum?

Resp. affirmative. Ratio est, quia quando juramentum supponitur validum sive ex parte personæ, quæ illud emisit, sive ex parte materiæ, circa quam emissum est, si potest sine peccato servari, graviter peccat, qui illud non servat, et est perjurus. Cum autem juramentum, quod Subdiaconus noster emisit de non amplius interessendo comœdiis, validum supponatur sive ex parte personæ, cum Subdiaconus in ea sit ætate, ut plenam habeat cognitionem; sive ex parte materiæ, cum ipsæ comœdiæ Clericis, præsertim sacro Ordine initiatis, nequaquam liceant; idemque juramentum potuerit absque peccato servari, ut per se patet: dicendum est, Clericum nostrum, qui gravem, senemve virum comitatus ludicræ repræsentationi post juramentum interfuit, non posse a gravis perjurii culpa excusari; cum juramenti obligatio per societatem prædictam nullatenus auferatur. Ita communiter.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Caja confitetur, se per annum omisisse jejunia de præcepto, et Missas in die festo, ut Marito sub minis verberum sic jubenti obtemperaret. Qu. An omissiones prædictæ possint a peccato excusari?

Resp. cum distinctione. Si Cajæ Maritus ex eo, quod sit gulæ deditus, vult Cajam Uxorem in cœna sociam, et zelotypia laborans, Cajam domo exire non patitur ad Missam audiendam, tunc dicendum, Cajam non peccare, si ad vitanda verbera obediat Marito, cum non teneatur in casu ad observantiam legis humanæ cum incommodo ita gravi, quale est procul dubio dura verbera sustinere. Si autem Caja novit, et credidit, virum suum ita jubere in contemptum Dei, et Religionis, quia scilicet non curat de Præceptis Dei, et Ecclesiæ, tunc, cum hoc sit ab intrinseco malum, tenetur Caja mortem potius subire,

quam obedire Marito ; et proinde omissiones a Caja expositæ in confessione nequaquam possunt a peccato excusari. Ita Corrad. quæst. 2 , lit. C. Sot. in 4 , dist. 22 , q. 1 , art. 4.

CAS. II. — Solet Confessarius quidam supra indispositos pœnitentes, absque intentione eos absolvendi, proferre exterius formam absolutionis , ne circumstantes dignoscant aliquem recedere inabsolutum. Qu. An licite hoc faciat ?

Resp. negative. Ratio est , quia quamvis regulariter loquendo simulatio materialis tam verbis , quam signis exterioribus facta ob justam causam liceat, et possit esse honesta, cum etiam de Christo dicatur (Luc. 24) , quod finxit se longius ire ; nihilominus quoties simulatio aliqua externa est Deo aliquatenus injuriosa, tunc in nullo casu licita esse potest. Cum autem simulare administrationem Sacramenti Pœnitentiæ per prolationem verborum absolutionis , sine intentione absolvendi, sit Deo injuriosum , quia est uti ficte , et fraudulenter , atque adeo indebite forma a Christo ad Sacramentum conficiendum instituta ; hinc est , quod neque ad occultandum absolutionis defectum circa indispositos Pœnitentes licitum esse potest absolutionis formam sine absolvendi intentione proferre. Poterit igitur Confessarius aliquam orationem submissa voce in casu supra Pœnitentem indispositum recitare , ne circumstantes dignoscant illum recedere inabsolutum ; non tamen Sacramenti administrationem per verba a Christo instituta , contra reverentiam Sacramento debitam, simulare, cum hoc semper illicitum sit , ut constat ex propos. 19 , ab Innoc. XI proscripta apud Vivam n. 7 et 11.

CAS. III.— Mercator videns indigentiam Caji ad emendam mercem pretio summo pecunia credita, et ad revendendam infimo pecunia numerata , eidem Cajo dixit : mercem meam , quam modo vendo tibi credito , paratus sum , si indiges pecunia præsenti , viliori pretio redimere. Qu. An talis locutio in casu Mercatori liceuerit ?

Resp. affirmative, saltem speculative loquendo. Ratio

est, quia posito, quod tam pretium summum, quo merces venditur pecunia credita, quam pretium infimum, quo Mercator paratus est eamdem mercem redimere pecunia numerata, sint intra latitudinem justi pretii; et ex altera parte nullum intervenerit pactum, quo Cajus teneatur mercem pertio credito emptam soluto pretio tradere venditori; nihil prohibere videtur, quin Mercator, qui mercem vendidit, licite possit ad eamdem redimendam se Cajo paratum offerre: sicuti enim quilibet alius licite emere potest a Cajo hanc mercem, ita licite illam emere potest, qui ejusdem venditor fuit. Dixi, saltem speculative loquendo; quia cum facile sit, quod manifestata Mercatoris dispositio ad mercem pretio infimo redimendam, attenta maxime Caji indigentia, pactum aliquod implicitum de mercis retroventione involvat, ut in foro externo præsumitur; dicendum, Mercatorem debere in praxi a locutione in casu exposita, tanquam ipsi non licita, abstinere. Ita de Lug. disp. 16, de just. n. 208. Viva supra propos. 40, ab. Innoc. XI, damnat. et alii.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Devotæ mulieri, quæ non solet alio modo confiteri, quam in genere dicendo: Confiteor omnia mea peccata venialia, recusat Confessarius absolutionem præbere, dicens, ipsam teneri ad salvandum Sacramenti valorem aliqua exprimere venialia, quæ in particulari commisit. Qu. An Confessarius bene se gerat, et verum dicat?

Resp. affirmative. Cum enim ex una parte valde dubium sit, an peccata venialia, solum in genere confessa, sint materia certo sufficiens ad Sacramenti valorem; et ex altera, ubi de valore agitur Sacramentorum, tutior pars sit eligenda: dicendum est, non esse recedendum a praxi, juxta quam Fideles omnes, qui de venialibus confitentur, aliquod in particulari solent semper exprimere. Ex his autem sequitur, Parochum verum docere, cum dicit, devotam mulierem ad salvandum Sacramenti Pœ-

nitentiæ valorem teneri aliqua saltem venialia exprimere ex iis, quæ in particulari commisit; et hanc se gerere, si eidem Mulieri, non alio modo, quam in genere venialia confitenti, recusat absolutionem præbere. Ita Suar. disp. 23, sect. 1, n. 10, et alii.

CAS. II. — Dubitatur de valore Baptismi puero ab Obstetrice ignara domi collati, hinc iterum in Ecclesia sub conditione idem puer solemniter baptizatur. Mortuo prædicti pueri Patre, vellet patrinus Matrem pueri in uxorem ducere. Qu. An pro tali Matrimonio obstet cognationis spiritualis impedimentum?

Resp. affirmative. Ratio est, quia quando, orto dubio circa Baptismum privatim collatum, puer iterum sub conditione solemniter baptizatur, cum primus baptismus possit esse invalidus, et proinde validus possit esse secundus, præsumendum est, contrahi cognationem spiritualem. Cum autem cognatio spiritualis inter Patrinum, eum scilicet, qui infantem in solemni baptismo suscepit, et Matrem suscepti infantis matrimonium impediat, et dirimat, ut ex Trid. sess. 24, cap. 2, de reform. compertum est, hinc dicendum, tale cognationis spiritualis impedimentum ad matrimonium in casu nostro celebrandum obstare. Ita Anton. a Spir. Sancto disp. 7, de matr. sect. 9, n. 384. Girib. c. 12, n. 31, cum aliis.

CAS. III. — Mœvius et Berta volentes inter se secreto contrahere Matrimonium, e Civitate Tridenti, cujus erant cives, domicilium transtulerunt in locum non valde remotum, ubi Concilium Tridentinum promulgatum non est, eo solo animo, ut absque Parocho, et testibus Matrimonium contraherent, quod et contraxerunt. Qu. An valide contraxerint Matrimonium prædictum?

Resp. affirmative. Ratio est, quia quamvis Mœvius, et Berta in eum locum se transtulerint, ubi Concilium Tridentinum non est promulgatum præcise, ut ibi absque Parocho, et testibus Matrimonium inter se contraherent, adhuc tamen in eumdem locum, ut inquit casus, proprium domicilium transtulerunt. Quando autem Vir, et Mulier habent in loco domicilium, vel in eumdem

quasi domicilium acquirunt, possunt etiam juxta leges ejusdem loci Matrimonium valide contrahere inter se; et proinde si in eo loco promulgata non sit lex Tridentini præscribens, quod ad Matrimonii valorem præsentia Parochi, et duorum Testium requiratur, Matrimonium sine tali præsentia contractum validum dicendum est, et ita declaravit Sacr. Congr. ut in Brevi Urbani VIII, sub die 14 Aug. anni 1627, apud Card. de Lug. resp. mor. dub. 36, num. 4. La Croix l. 6, part. 3, de Matr. num. 701, aliosque videre est.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Filiusfamilias furatur aliquando nummos Patri suo, ut possit cum amicis ludere, et honestis recreationibus interesse. Qu. An tuta conscientia id faciat?

Resp. cum distinct. Si attenta qualitate Patris, nummi, quos ab ipso surripuit Filius, ita sint in modica quantitate, ut Pater nec quoad substantiam, nec quoad modum rationabiliter esse possit invitus, et perspecta qualitate Filii, ipsi liceat aliquando cum amicis ludere, et honestis recreationibus interesse, tunc dici debet, quod filius vere furtum non committat, nec contra voluntatem Patris agat, et proinde quod in conscientia sit tutus. Si vero Filius in surripiendis nummis a Patre, vel ratione ablatæ pecuniæ, vel ratione modi clam surripiendi, vel ratione finis, propter quem nummos surripit, possit agnoscere, Patrem esse rationabiliter invitum, tunc cum verificetur vel quod furtum committat, vel quod alio modo contra rationabilem Patris voluntatem operetur, semper alicujus culpæ, sive lethalis, sive venialis, reatum incurrit, et proinde agendo ut in casu, in conscientia tutus non erit. Ita communiter.

CAS. II. — Noluit ruralis Parochus Infirmum ad mortem sacro Oleo inungere, quia carebat superpelliceo, et stola. Qu. An bene se gesserit?

Resp. negative. Nam posito casu, quo infirmus ex hac vita sit migraturus absque Extrema Unctione, si

ista nequeat sine præscriptis vestibus ministrari, censendum est, Ecclesiam dispensare a supradicto vestium ritu, ne infirmus absque Sacramenti, si non absolute necessarii, saltem valde utilis fructu decedat. Sicuti enim Sacramentum Pœnitentiæ, etiam nulla urgente necessitate, saltem privatim absque superpelliceo, et Stola licite ministratur, ita Sacramentum Extremæ Unctionis, quod Sacramenti Pœnitentiæ complementum quodammodo esse videtur, saltem quando urget necessitas, poterit sine prædictis vestibus ministrari. Et quemadmodum excusat aliquando necessitas, si hoc Sacramentum sine lumine, et consuetis precibus conferatur, ita necessitas poterit excusare, si conferatur sine superpelliceo, et Stola, cum istæ vestes non aliquo potiori jure a Rituali Romano præscriptæ sint, ac lumen cum consuetis precibus præscribatur. Si igitur ruralis Parochus infirmum ad mortem noluit sacro Oleo inungere ex eo præcise, quia carebat superpelliceo, et Stola, male se gessisse dicendum est. Ita Pasqualig. de theor, et prax. quæst. 444. Gobat. tom. 1, tract. 8, cas. 22, num. 903. Dian. tom. 2, tr. 2, rest. 19, num. 5.

CAS. III. — Constitutus in Sacris persolvit ut plurimum Canonicas Horas in loco, in quo pluries expertus est se pati distractiones mentis non leves. Qu. An satisfaciat præcepto recitationis earumdem Horarum?

Resp. cum distinct. Si distractiones mentis non leves tales sint non solum intensive, sed etiam extensive, ita ut sine debita mentis attentione et devotione, notabilis pars Divini Officii recitetur, dicendum est, toties dictæ recitationis præcepto non satisfieri, quoties notabiles istæ distractiones contingunt; ex quo enim quis voluntarie ponatur in loco, qui ratione clamoris, tumultus, ludi, et similium directe ad distractiones mentis impellit, censetur se velle voluntarie distrahere, et consequenter nolle satisfacere Ecclesiæ præcepto, quod est de studiosa, et attenta recitatione, ut colligitur ex cap. *Dolentes* de celeb. Miss. Si vero distractiones prædictæ, licet intensive non leves, leves tamen sint extensive, quia non multum in mente orantis perdurant, tunc ad-

erit quidem in casu aliquod saltem veniale peccatum, sed præcepto recitationis Canonicarum Horarum factum esse satis dicendum est. Ita Gavant. in rub. tom. 2, sect. 1, c. 6, tit. 4. Marchin. de ordin. tr. 3. p. 6, c. 12, n. 3 et seq. Girib. de Hor. Can. c. 3, n. 188.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Paulus in sua familia Primogenitus, satis dives, acceptat adhuc juvenis Beneficium pingue animo illud renunciandi Fratri minori adhuc parvulo, quando ipse, ut jam habet in mente, ducturus est uxorem. Qu. An sine gravi culpa hoc fieri possit?

Resp. cum distinct. Si Pauli Beneficium sit simplex, nec habeat adnexum Ordinem sacrum, et Paulus eo animo acceptaverit, ut velit proprio muneri satisfacere, donec mutando statum idem Beneficium cum debita facultate dimittat, tunc a culpa saltem gravi excusari dicendum est. Ratio est, quia etsi detur in casu aliqua fraus, et ordinis debiti perversio, nullo tamen jure probatur, Paulum teneri sub gravi culpa habere animum perseverandi in statu Clericali, cum jura ei permittant ad nuptias transire, ut ex cap. *Joannes*, et cap. *Diversis* de Cleric. conjug. clare colligi potest. Si autem beneficium prædictum importet aliquod onus, seu ministerium, quod sacrum Ordinem petit, dicendum est, Paulum non esse a gravi culpa immunem. Ratio est quia munus aliquod, seu ministerium sibi assumens, debet omni jure curare, ut se idoneum reddat ad exercendum munus suum; et proinde si Paulus Beneficium recipiens, quod Ordinem sacrum importat, intentionem non habet accedendi ad Ordines sacros, imo positive intendit post aliquod tempus minori Fratri relinquere Beneficium, et ipse ducere uxorem, a gravi culpa excusari non potest. Ita Sotus l. 10, de just. quæst. 5, art. 6. Tolet. l. 5, cas. 5, num. 5. Sanch. l. 7, de Matr. disp. 45, n. 14 et seq.

CAS. II. — Oblitus quidam Parochus consecrare Hostiam publice deferendam in consueta mensis supplica-

tione, ad impediendam populi admirationem, particulam consecratam affixit Hostiæ grandiori non consecratæ, et utramque publice detulit. Qu. An licite hoc fecerit?

Resp. negat. Parochus enim agendo, ut in casu, ad vitandam populi admirationem, eumdem populum in idololatriæ saltem materialis crimen induxit. Nam cum Fideles adorent per modum unius, quidquid adorationi expositum vident, jam una cum consecrata particula etiam grandiorem Hostiam non consecratam adorant. Cum autem, ut per se perspicuum est, nequeat Parochus sine gravi culpa prædictæ idololatriæ, etiamsi non formaliter talis, populo suo occasionem præbere, illicite se gessisse dicendum est. Ita Tambur. de Sacrif. l. 2, c. 8, n. 23. De Lug. disp. 8, sect. 11, n. 188. Girib. de Sacrif. c. 9, n. 88.

CAS. III. — Pœnitens qui exponendo peccata, oblitus fuit aperire Confessario, se excommunicationis censura irretitum, fuit per hæc præcise verba absolutus: Ego te absolvo a peccatis tuis. Qu. An valide a peccatis fuerit absolutus?

Resp. affirm. Ratio est, quia quamvis juxta Ecclesiæ præceptum absolutio a Censuris debeat præcedere absolutionem a peccatis; tamen nullibi reperitur, quod Ecclesia velit irritam esse absolutionem a peccatis obtentam a Pœnitente, qui omnino inculpabiliter oblitus est Confessario aperire, se esse excommunicatione irretitum; nimis enim esset onerosum Pœnitenti invalidam absque propria culpa fecisse suorum criminum Confessionem. Licet igitur per prædictum Ecclesiæ præceptum illicitum sit absolvere a peccatis, non præmissa censurarum absolutione; in casu tamen, quo Pœnitens bona fide accedat, et censuræ inculpabiliter oblitus, peccata sua rite dispositus confessus sit, validam obtinuisse peccatorum absolutionem dicendum est. Ita cum Suar. de cens. disp. 10, sect. 3, n. 15. Lugo disp. 16, n. 612. Girib. de pœnit. c. 11, n. 10 et 11. Cleric. de pœnit. decis. 35, n. 5.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Mater unico filio suo, Clericali habitu jam induto, dicit, illum esse illegitimum. Hinc dum hic in dubio versatur, an Matri danda sit fides, quærit, an possit sacris Ordinibus initiari. Qu. Quid tali Filio respondendum?

Respondendum, posse dubium deponere, et sacris Ordinibus initiari. Ratio est, quia ex una parte ex sententia satis communi filius, qui communiter censetur ex legitimo matrimonio natus, non tenetur credere Matri affirmanti etiam cum juramento, illum esse illegitimum; alleganti enim suam turpitudinem cum præjudicio tertii non debetur fides, ut in regulis juris habetur. Cum autem ex altera parte irregularitas, Jure Canonico introducta contra illegitimos filios, posita sit ob turpitudinis notam, quam tales filii ex eorum nativitate juxta communem hominum æstimationem contrahere judicantur, dicendum est, filium clericali habitu jam indutum, qui talem turpitudinis notam apud alios non habet, nullum irregularitatis impedimentum habere, sicque tuto posse omne dubium, quod ex Matris dicto ortum esset, deponere, sacrisque Ordinibus initiari. Ita Dian. part. 5, tr. 5, res. 30. Lug. disp. 15, sect. 3, n. 62. Anael. tr. 9, dist. 4, n. 32. Girib. de restit. c. 4, n. 103.

CAS. II. — Rusticus habitans in Bononiensis Diœcesis confinio, cum peccatum reservatum patraverit, pergit ad vicinam Diœcesis Mutinensis Parœciam, ubi dictum peccatum reservatum non est, ibique confitetur, et reportat absolutionem. Qu. An valide sit absolutus?

Resp. affirm. Ratio est, quia casuum reservatio ex communi doctrina principaliter, et directe afficit Confessarium, ejusdem arctando jurisdictionem, ne a quibusdam peccatis absolvat, licet indirecte tangant etiam Pœnitentem, qui a tali Confessario, cujus jurisdictio arctata est, a reservato casu absolvi non potest. Cum itaque Rusticus Bononiensis habens peccatum in Diœ-

cesi Bononiensi reservatum, confessus sit idem peccatum in Diœcesi Mutinensi, in qua reservatum non est, si alias fuit bene dispositus, validam obtinuit a Mutinensi Confessario absolutionem. Ita Suar. de pœnit. disp. 30, sect. 2, n. 4. Anacl. tr. 14, dist. 9, n. 2, aliique communiter.

CAS. III. — Tarquinius occidit in rixa Clericum, ignorans, homicidam in Casu inter alias pœnas incurrere irregularitatem. Qu. An casu talis ignorantiæ evaserit irregularis?

Resp. affirm. Cum enim irregularitas sit quoddam impedimentum Canonicum, quod ex juris dispositione nonnullis defectibus, nonnullisque criminibus adnexum est, sequitur, quod etiamsi homicidium committens nesciat, ex ignorantia juris, tali delicto adnexam esse irregularitatem adhuc ipsam irregularitatem incurrat. Quemadmodum enim, licet aliquis ignoret, ex copula illicita oriri impedimentum affinitatis, vel ex adulterio cum promissione Matrimonii oriri impedimentum criminis, adhuc prædicta crimina patrando, inhabilitatem ad Matrimonium cum personis a jure exceptis contrahendum incurrit; ita quamvis Tarquinius, qui homicidium in rixa commisit, ignoraverit irregularitatis impedimentum cum homicidio copulari, adhuc dicendum est, quod evaserit irregularis. Ita Suar. de Cens. disp. 40, sect. 5. Anacl. tr. 15, dist. 3, n. 5 et alii.

ANNO MDCCXLV.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Villicus, et Hortulanus cujusdam Viri Nobilis Missam audiunt diebus festis in Oratorio privato Domus ruralis ejusdem Domini, putantes ibidem satisfacere præcepto de Missa diebus festis audienda. Qu. An vere satisfaciant?

Resp. negat. Ratio est, quia Pontifex in Brevi Con-

cessionis pro celebrandis Missis in Oratoriis privatis, semper ponit hæc verba: *Nolumus autem, quod Familiares servitiis tuis tempore dictæ Missæ actu non necessarii, ibidem Missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.* Cum igitur Villicus, et Hortulanus non veniant nomine illorum Familiarium, qui Domino tempore Missæ actu necessarii sint, dicendum est, eosdem in casu præcepto de Missa diebus festis audienda non satisfacere. Ita ex clausula Brevium super adducta; et ex Decretis tum Clem. XI, sub die 15 Decemb. 1703, tum Benedicti XIV, feliciter regnantis sub die 7 Januar. 1741.

CAS. II. — Capellanus Ruralis, qui solet audire Titii Confessiones, dixit coram aliis, Titium esse scrupulosum. Qu. An fregerit Sacramentale sigillum?

Resp. affirm. nisi aliunde extra confessionem Titius pro scrupuloso jam dignoscatur. Ratio est, quia non solum peccata, sed etiam occulti defectus, sive physici, sive morales, sub sigillum Confessionis cadunt, quoties ex horum defectuum revelatione verecundia, confusio, vel aliud damnum Pœnitenti immineat; ex quo eadem Confessio gravis, et odiosa, sive per se, sive per accidens, sive directe, sive indirecte reddatur. Cum autem ex quo Confessarius coram aliis dicat, Titium esse scrupulosum, aliqua de facili verecundia, et confusio in eodem Titio oriatur, dicendum est, in obliquo saltem, et indirecte fractionem sigilli haberi. Dixi, nisi aliunde Titius pro scrupuloso jam dignoscatur, quia in hac hypothesi Confessarius de re per se nota locutus fuisset, nullumque ex Confessione sequeretur gravamen, quod gravem, odiosamque eidem Titio Confessionem efficiat. Ita Girib. de pœnit. c. 18, n. 21. Tambur. c. 3, n. 16. et seq. Homob. c. 20, p. 1, exam. q. 3, aliique.

CAS. III.— Cajus agrum sterilem, et incultum in pignus dedit Alberto, qui agrum ipsum in pignus acceptum excolendo, nonnullos fructus inde percepit. Qu. Ad quem percepti fructus pertineant?

Resp., pertinere ad Cajum. Ratio est, quia fructus ex aliquo fundo percepti tamdiu ad fundi dominum spectant, quamdiu oppositum per expressam, aut saltem præsumptam domini voluntatem non constet. Licet igitur Albertus, qui agrum sterilem, et incultum sibi datum in pignus excoluit, possit ab inde perceptis fructibus tantum subtrahere, quantum pro expensis, et laboribus suis compensandis satis sit, fructus tamen reliquos ipsi Cajo tanquam domino fundi restituere debet; cum secus rei pignoratæ fructus facere usura sit. Ita ex c. 1, et 2, de usuris, et Rosign. de Contr. contr. 3, prænot. 12, n. 3. et Girib. tr. 3, c. 3, dub. 9. Tamb. l. 9. tr. 1, c. 6.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Antonius falsis rationibus, et calumniis impedivit Clericum quemdam, quamvis dignum, a consecutione Beneficii, ut alteri longe digniori posset conferri, sicuti factum est. Qu. Ad quid Antonius teneatur?

Resp. Cum quisquis jus habeat, ne falsis rationibus, et calumniis in bonis propriæ famæ a quocumque lædatur, Antonius, qui famam Clerici læsit, tenetur vi justitiæ eamdem, quantum possibile est, resarcire. Quamvis autem ex tali injusta famæ læsione Clericus, quamvis dignus, Beneficium non obtinuerit, Antonius nihilominus non tenetur ad aliquam proventuum Beneficii non adepti restitutionem. Cum enim sit contra Ecclesiæ, aut Reipublicæ intentionem, digno Beneficia conferre, digniore omisso, sequitur, dignum in concursu dignioris nullum jus, aut rationabilem spem habere, ut ei Beneficium conferatur, et proinde cum Antonius nullum jus, nullamque rationabilem spem Clerici læserit, dicendum est, eumdem Antonium ad nullam in hac parte restitutionem teneri. Ita D. Thom. 2, 2, q. 62, art. 2, ad 4, Emin. Gotti de restitut. dub. 3, § 1, et n. 5 et 6.

CAS. II. — Petrus, licet pluries graviter peccaverit,

recusat præbere Deo in hac vita aliam satisfactionem præter Sacramentalem illi impositam a Confessario. Qu. An esse possit a gravi culpa immunis ?

Resp. affirm. Quamvis enim optimum sit, per pœnalitates voluntarie assumptas satisfacere Deo in hac vita pro peccatis commissis ; nullum tamen de hoc exstat præceptum; nam Tridentinum Concilium sess. 14 de pœnit. c. 8, disserens de satisfactione, quæ fit per pœnalitates voluntarie in præsenti vita assumptas, ostendit quidem, uberrimum ex eisdem fructum provenire; sed nunquam talem satisfactionem vi præcepti necessariam dicit, nisi quando in Sacramento pœnitentiæ a Confessario imposita est. Poterit igitur Petrus absque culpa, præsertim gravi, post adimpletam satisfactionem sibi a Sacerdote in Sacramento Pœnitentiæ injunctam, ab ulteriori satisfactione pro pœna temporali, propriis reatibus jam rite confessis debita, abstinere, eamque sibi servare in alia vita expiatorio Purgatorii igne luendam. Ita Cleric. de Pœnit. decis. 5. n. 5. Girib. c. 12, n. 56 et alii.

CAS. III. — Medicus præbuit pharmacum Mulieri prægnanti cum gravi periculo fœtus jam animati. Qu. An licite hoc fecerit?

Resp. affirm. Ratio est, quia licet nunquam licitum sit directe occidere innocentem, ut contingeret, si pharmaci potio ad fœtus animati expulsionem directe ordinaretur; licitum tamen est sive Matri prægnanti, ex urgenti, honestoque motivo tuendæ, vel recuperandæ, propriæ sanitatis, sumere pharmacum ad eamdem sanitatem directe ordinatum, sive Medico talem pharmaci potionem prægnanti Matri præbere, licet ex ejusdem pharmaci potione grave periculum mortis in animato fœtu prævideatur ; quia in tali casu mors fœtus præter intentionem agentis, et per accidens sequeretur, sicuti in pluribus aliis casibus absque ulla agentium culpa contingit. Ita Leand. de irreg. tr. 2, disp. 11, q. 5 et 4. Andreas a Matre Dei tr. 15, c. 2, n. 64. Girib. de præcept. Decal. tr. 10, n. 145 et 146.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Titius noctu furatus est aliquam fœni quantitatem a quodam Rustico: quia tamen die sequenti Milites residuum fœni ab eodem Rustico surripuerunt, putat ad nullam restitutionem teneri. Qu. An verum putet?

Resp. negat. Ratio est, quia qui injuste aufert rem alienam, ad restitutionem ejusdem rei tenetur, etiamsi talis res ab aliis fuisset inde surrepta; nam fur qui prævenit furando rem, quam alter injuste abstulisset, suscipit in se illud idem onus restituendi, quod pariter alter haberet. Cum igitur Milites, qui a Rustico surripuerunt residuum fœni, teneantur per se loquendo ad reparandum damnum Rustico illatum, sicuti tenerentur etiam ad majoris damni reparationem, si et illam fœni quantitatem surripuissent, quam Titius antecedente nocte furatus est; ita sequitur, quod etiam Titius, qui Milites præveniendo, fœni quantitatem surripuit, ad ejusdem fœni valorem Rustico compensandum teneatur. Ita Bon. de restit. in gen. disp. 1, q. 3, punct. 10, n. 3. Girib. c. 2, n. 29.

CAS. II. — Ruralis quidam Sacerdos timens, ne ipsi deficiant Missarum eleemosynæ, supra onus, quod adhuc habet quinquaginta Missarum celebrandarum, novas oblatas eleemosynas pro aliis quinquaginta Missis accepit. Qu. An licite hoc secundum onus acceperit?

Resp. negat. Cum enim quilibet Sacerdos habens onera Missarum celebrandarum non possit nova onera licite suscipere, nisi, juxta Decretorum in hac re existentium tenorem, infra modicum tempus possit omnibus satisfacere; et pariter, juxta eadem Decreta, hoc modicum tempus ultra mensem non extendatur, clare colligitur, Sacerdotem habentem jam onus quinquaginta Missarum celebrandarum non posse licite novas sibi oblatas eleemosynas pro aliis quinquaginta Missis accipere, cum neque intra spatium trium mensium oneribus satisfacere valeat. Hoc tamen valet per se loquendo; nam si facto

verbo cum iis, qui novas eleemosynas exhibent, et contenti illi sunt, ut ad duos fere Menses satisfactio differatur, poterit in hoc casu et ruralis, et quilibet alius Sacerdos ultra onus, quod habet, licite novum onus suscipere, cum volenti, et consentienti nulla injuria fiat. Ita communiter.

CAS. III. — Interdictus publice propter violationem præcepti communionis Paschalis, paratus parere præcepto, recurrit ad Parochum, ut confiteatur peccata sua, et ab iisdem obtineat absolutionem. Qu. An Parochus extra casum necessitatis possit dictum Parochianum absolvere?

Resp. affirmat., dummodo talis peccatorum Confessio extra Ecclesiam fiat. Ratio est, quia hoc genus interdicti, quod incurritur propter violationem præcepti Communionis Paschalis, non privat hominem participatione Sacramentorum ; sed tantum privat formali ingressu Ecclesiæ, tanquam loci sacri ad Deum orandum, colendumve solemniter instituti, et Ecclesiastica Sepultura. Si igitur ille, qui tali interdicto innodatus existit, paratus est parere Ecclesiæ præcepto, et se præsentare coram Ordinario, vel ejus Delegato, ut ab interdicto absolvatur, poterit Parochus, etiam quolibet secluso necessitatis casu, ejusdem Confessionem extra Ecclesiam audire, eidemque, si rite dispositus inveniatur, Sacramentalis absolutionis beneficium impertiri. Ita cum aliis Suar. disp. 35, sect. 4.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Duo Famuli in quadam taberna ratione ludi rixati sunt. Post nonnullas horas unus ex illis nova convitia in alium protulit, qui ira accensus stricto ense convitiatorem suum occidit. Qu. An occisor, qui statim post factum in Ecclesiam se recepit, Ecclesiæ gaudeat immunitate ?

Resp. cum distinct. Si factum expositæ rixosæ occisionis extra ditionem Ecclesiasticam contingit, dicendum

est, occisorem Ecclesiæ immunitate gaudere. Ratio est, quia illi tantum hujusce confugii beneficio ubique privantur, qui vel proditorie, ut ex Bulla Greg. XIV, vel animo præmeditato, ut ex Bulla Bened. XIII, proximum suum occiderunt, nullatenus vero, si homicidium tantummodo in rixa, et ex iræ furore, ut in casu nostro contingit, secutum sit. Si vero occisio prædicta intra Ecclesiasticæ ditionis terminos evenit, dicendum est, confugium ad Ecclesiam occisori nullatenus profuturum. Ratio est, quia pro omnibus ditionis Ecclesiasticæ locis viget Pontificis lex, vi cujus quicumque homicidium patrat etiam in rixa, dummodo casuale non fuerit, vel ad propriam defensionem, a prædictæ immunitatis beneficio excluditur, ut ex Bulla Clem. XII, quæ incipit: *In supremo*, videre est.

CAS. II. — Paulus jam moriturus, licet voluntarias pœnitentias nunquam amplexus sit, putat se satisfecisse pro pœna temporali, propriis peccatis debita, offerendo pro tali satisfactione auditiones Sacri in die festo, jejunia et alia hujusmodi, ad quæ ex Ecclesiæ præcepto jam tenebatur. Qu. An probabile sit, quod Paulus putat?

Resp. affirmat. Ratio est, quia ad satisfaciendum Deo pro pœna temporali debita peccatis, jam quoad culpam remissis, non requiruntur necessario opera supererogationis, sed aliunde etiam debita, sive ex præcepto, sive ex voto, sufficiunt; sicuti enim servando præcepta meremur vitam æternam, ita per opera facta ex præcepto possumus Deo debitam præbere satisfactionem; eo præcipue quod opera prædicta, utpote sensualitati opposita, sunt aliquo semper modo pœnalia, et per consequens etiam satisfactoria sunt. Qua de re quemadmodum Ecclesia jejunia, et alia pia opera nobis præcipit, ut mediis iisdem honorem simul, et satisfactionem Deo præbeamus; et largitas divinæ munificentiæ tanta est, ut idem opus dignetur recipere sive pro solutione obsequii, sive pro culparum nostrarum satisfactione; ita probabile erit, quod Paulus putat, nimirum, ipsum per opera alias debita Deo pro temporali a se luenda pœna satisfecisse. Ita Cleric. de Pœnit. decis. 4, n. 3. Girib.

c. 12, n. 6. Suar. disp. 57, sect. 6. Lug. disp. 24, sect. 6, n. 41.

CAS. III. — Petronius egreditur de domo Caji, et ad alia distractus, non est de ostio diligenter claudendo sollicitus, unde fures Caji domum ingressi, grave damnum ipsi Cajo intulerunt. Qu. An Petronius ad reparationem prædicti damni teneatur?

Resp. negat. Ratio est, quia quamvis Petronius per omissionem illius diligentiæ, quam solent accuratiores homines adhibere, faciliorem furibus aditum ad ingrediendam Caji domum reliquerit, non fuit tamen per se causa voluntaria damni per fures Cajo illati, neque gravis alicujus juridicæ, vel theologicæ culpæ contra commutativam justitiam reus fuit; cum, ut inquit Casus, omissio diligentiæ in ostio claudendo ex simplici solum inadvertentia secuta sit. Cum igitur furtum in domo Caji secutum ad purum casum fortuitum reducatur, dicendum est, Petronium, qui ad alia distractus per accidens de ostio domus Caji diligenter claudendo non fuit sollicitus, nullatenus ad reparationem damni per fures Cajo illati teneri. Ita Anacl. tr. 9, q. 9, n. 77. Girib. de restit. c. 1, n, 33. Bonac. punct. 3, § unic. n. 6.

MENSE MAII.

CAS. I. — Juravit Debitor de satisfaciendo Creditori suo intra præfixum terminum certæ dici. Annuente autem Creditore, terminus solutioni præfixus ad aliam diem differtur. Qu. An Debitor sit perjurus, si intra hunc novum terminum Creditori suo non satisfaciat?

Resp. negat. Ratio est, quia cum juramentum sit lex, quam jurans sponte sibi ipsi imponit, juramenti obligatio ultra ipsiusmet jurantis intentionem extendenda non est. Sicuti igitur ex vi novi termini ad debiti solutionem concessi non tenetur amplius Debitor ad solutionem intra primum tempus solutioni præfixum, super quo juramentum cadebat; ita erit dicendum, quod mutato ex Creditoris consensu tempore solutionis, cesset, nisi fuerit renovata juramenti obligatio; et proinde si

Debitor intra novum terminum Creditori suo non satisfaciat, agat quidem contra pactum de novo firmatum, non tamen perjurus sit. Ita Bonac. de juram. disp. 4, punct. 17, n. 13 et alii.

CAS. II. — Parochus in confinio Diœcesis existens vocat Parochum alterius Diœcesis ad Confessiones audiendas in propria Ecclesia, et ipse audit in Ecclesia Diœcesis alterius irrequisito Episcoporum consensu. Qu. An hoc valide, et licite fieri possit?

Resp. affirmative quoad utramque partem, ubi non viget opposita consuetudo. Ratio est, quia cum quilibet Parochus habeat ex vi Beneficii Parochialis ordinariam jurisdictionem in proprios Subditos, potest illam delegare cuilibet Sacerdoti approbato, et proinde etiam alteri Parocho sive ejusdem, sive alterius Diœcesis. Hac de re Sacra Congr. Episc. die 25 Maii anni 1640. Episcopo Civitatis Plebis præcepit, ne ullo modo Confessiones suorum Subditorum a Parochis etiam vicinarum Diœcesium ad suam ratione alicujus festi juxta solitum accedentibus audiri impediret. Dixi, ubi non viget opposita consuetudo, hac enim existente, non poterit Parochus unius Diœcesis in altera, licite saltem, Confessiones audire, irrequisito Episcopi illius consensu, ut eidem Episcopo Plebis prædicta Sacra Congr. sequenti anno 1641, rescripsit. Ita Diana part. 1, tr. 11, resol. 8. Leand. disp. 11, q. 58. Girib. c. 14, n. 49 et 50.

CAS. III. — Bernardus vendidit equum Sempronio, cui defectum occultum equi non aperuit, cum super hoc minime fuerit interrogatus; sciens tamen, Sempronium non empturum equum, si equi defectus detegeretur. Qu. An graviter peccaverit, et ad restitutionem aliquam teneatur?

Resp. cum distinctione. Si defectus occultus equi talis sit, ut equum reddat alteri noxium, vel inutilem, dico, Bernardum graviter peccasse, et ad rescindendum contractum teneri. Ratio est, quia qui per gravem dolum, dantem causam contractui, rem aliquam vendit, graviter peccat contra justitiam, et contractum irritum facit. Cum autem, quando tacetur vitium reddens rem

venditam emptori inutilem, aut noxiam, vendatur res per gravem dolum dantem causam contractui, hinc est, quod ita vendens graviter peccat et ex nullitate contractus ad pretii accepti restitutionem tenetur. Si vero defectus occultus equi non reddat equum noxium, vel inutilem ad finem ab emptore intentum , dico , Bernardum, dummodo equum justo pretio vendiderit, et de occulto defectu nullatenus fuerit interrogatus, neque peccasse , neque ad aliquam restitutionem teneri. Ratio est, quia in casu occultans defectum equi , ut sibi consulat, utitur jure suo , nec ulli facit injuriam , et proinde quamvis Sempronius non fuisset empturus equum , si defectum equi agnovisset, dicendum adhuc est, stare contractum, et Bernardum esse sive ab omni peccato , sive ab omni restituendi obligatione immunem. Ita D. Thom. 2. 2, q. 73 , art. 3, in c. Girib. de contract. c. 2 , n. 96, et 100.

MENSE JUNII.

CAS I. — Sejus per notabile tempus distulit adimplere pœnitentiam sibi a Confessario impositam , illamque postea in statu peccati adimplevit. Qu. An graviter peccaverit ?

Resp. affirmative quoad primam , negative quoad secundam partem. Ratio primæ partis est , quia quando tempus pœnitentiæ non est a Confessario determinatum, mens Confessarii est , ut exequatur quamprimum commode potest, sicuti in operibus implendis ex voto , aliisque similibus contingit ; hinc est, quod si absque rationabili causa , ut supponimus , sed præcise ex gravi negligentia per notabile tempus distulit Sejus pœnitentiam sibi a Confessario impositam adimplere , nequit per se a gravi culpa excusari. Ratio secundæ partis est, quia sicuti graviter non peccat, qui præcepta jejunii, Missæ audiendæ , Officii recitandi, et hujusmodi in statu peccati lethalis exequitur; ita neque qui in eodem statu pœnitentiam Sacramentalem adimpleret, præsertim cum per pœnitentiam in tali statu peractam impediatur ad summum remissio pœnæ temporalis peccatis correspon-

dens, quod non importat talem irreverentiam, ut ad culpam lethalem trahenda sit. Hac de re neque Confessarii solent interrogare, utrum pœnitentia fuerit in lethali peracta, neque de hoc solent Pœnitentes, bonæ alioquin Conscientiæ, se accusare. Ita Madernus q. 5, ar. 1. Lugo disp. 25, n. 32. Girib. c. 12, n. 61, et 62.

CAS. II. — Rusticus jurans, ac verba inhonesta sæpe proferens cognoscit semper se peccare, non distinguendo an lethaliter, vel venialiter peccet. Qu. An jurando, et inhonesta verba proferendo, sit a lethali culpa immunis?

Resp. affirmat. Ratio est, quia nulla actio censeri debet graviter peccaminosa, nisi ejus malitia sit formaliter, vel virtualiter volita; quod ut contigat, dubietatem, vel suspicionem de culpa gravi occurrere necesse est; secus omnia fere rusticorum, personarumque idiotarum peccata essent dicenda lethalia, utpote commissa ab illis, qui ea quidem mala esse cognoscunt, venialia autem esse, vel mortalia prorsus ignorant. Cum igitur non dicatur in casu, quod Rusticus jurando, et inhonesta verba proferendo dubitet, vel suspicetur, se graviter peccare, sed præcise, quod illa verba proferat ignorans, seu non distinguens, an sint venialiter tantum, an etiam lethaliter peccaminosa, sequitur, quod nullo modo periculum malitiæ gravis adverterit, et proinde quod de levi tantum culpa damnandus sit. Ita Bossius Moral. var. part. 1, tit. 1. § 15, n. 79. Dian. part. 5, tr. 5, resol. 31. Madern. q. 4, art. 5, n. 6.

CAS. III. — Parochus non vult assistere Matrimonio, quod intendit contrahere Titius, eo quod iste Orationem Dominicalem, et Decalogi præcepta ignoret. Qu. An bene se gerat?

Resp. negative. Quamvis enim optimum sit, ut Parochus suaviter, et prudenti ratione ad breve tempus Matrimonium retardet, ut qui ignorat Orationem Dominicalem, et præcepta Decalogi, in his addiscendis curam ponat; non debent tamen, nec licite possunt a Matrimonio contrahendo absolute arceri illi, qui scien-

tes quantum ex necessitate scire tenentur, ignorant, aut memoriæ imprimere nequeunt ea, quæ alii Fideles scire solent ; ut inter cætera sunt præcepta Decalogi, et Oratio Dominicalis. Ita apud Riccium in praxi Fori Eccles. decis. 638, juxta primam impress., et resol. 576, in secunda addit. Ex Bossio c. 15, n. 5, et Diana part. 4, tr. 4, resol. 75.

MENSE JULII.

CAS. I. — Franciscus in Testamento suo disposuit, fructus cujusdam Fundi insumi debere quotannis pro Missarum celebratione ; tractu autem temporis isti fructus, propter fundi meliorationem, fiunt duplo majores. Qu. An duplo major debeat esse numerus Missarum celebrandarum ?

Resp. affirmative. Ratio est, quia si Testator, potens amplissime disponere de rebus suis, non assignat nec numerum Missarum quotannis celebrandarum, neque quantitatem fructuum in celebrandis Missis insumendorum, sed absolute disponit, fructus Fundi determinati debere quotannis in Missarum celebratione insumi, mens Testatoris alia esse non potest, quam quod omnes fructus, detractis laboribus, et expensis in ipsiusmet fundi melioratione insumptis, in Missarum celebratione insumantur. Quemadmodum igitur si fructus annui fierent propter fundi deteriorationem pauciores, celebrarentur Missæ pauciores; ita ad servandam, sicuti oportet, Testatoris mentem, si fructus propter fundi meliorationem fiant etiam duplo majores, detractis, ut supra, laboribus, et expensis, debent omnes in augendo etiam ad duplum Missarum numero insumi. Ita Pasqualig. de Sacrif. novæ legis q. 1078, n. 5.

CAS. II.—Sempronius volens vendere Prædium, quod est Proculi prædio contiguum, ficte agit de venditione cum viro præpotenti molesto vicinis; ex quo Proculus homo pacis movetur ad illum emendum summi pretii solutione. Qu. An contractus iste sit validus?

Resp. affirmat. Ratio est, quia fictio, et fraus in casu versatur quidem circa causam impulsivam emptionis, non tamen circa substantiam rei venditæ, neque Sempronius a Proculo Emptore pretium ultra supremum justum extorquet. Quemadmodum igitur, licet non infrequenter contingat, quod Mercatores fictione utantur, ac mendacio, ut merces suas summo pretio vendant, dicendo, ex. gr. pannum anglicum esse, vel parisiensem, totque libras pro qualibet ulna recipere jam potuisse, et hujusmodi, quæ ficta, et falsa omnino sunt; et nihilominus nisi vel in qualitate mercis, vel in pretii quantitate notabilis emptorum læsio contingat, contractus emptarum Mercium subsistunt, et validi sunt; ita, licet Sempronius male se gesserit in usu suæ fictionis, contractus nihilominus cum Proculo celebratus validus dicendus est. Ita ex Vasquez 1, 2, q. 7, art. 5. Sanchez in oper. mor. lib. 4, cap. 3, num. 8. Bonac. de contr. disp. 3, quæst. 1, punct. 2.

CAS. III. — Parochus in quodam Oppido, ut reædificet partem collabentis Ecclesiæ, solet pro qualibet Missa, quæ quotidie a pluribus Sacerdotibus in eadem Ecclesia celebratur, duos solidos de consueta eleemosyna retinere. Qu. An licite?

Resp. negative. Ratio desumitur tum ex jure communi cap. *De his*, sub tit. de Ecclesiis ædificandis, tum ex Concil. Trid. sess. 21, c. 7, de reformat. quibus in locis habetur, quod Ecclesiæ reædificatio vel ad Patronum, si juris Patronatus illa sit, vel ad populum, vel ad Beneficiarios Ecclesiæ, vel ad Parochum ipsum pertineat, ut proinde ratione reædificationis prædictæ nullatenus fraudandi sint Sacerdotes parte eleemosynæ illis debita pro celebratione Missarum. Cum igitur nequaquam spectet ad Sacerdotes Missam præcise in Ecclesia celebrantes subsidium pro collabentis Ecclesiæ reædificatione præbere, illicite Parochus ille se gerit, qui solet pro qualibet Missa, quæ quotidie a pluribus in Ecclesia celebratur, duos solidos de consueta eleemosyna retinere. Ita ex juribus supra allegatis, ut ex instruct. 12, vol. 3. SS. D. N. Benedicti XIV. videre est.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Confitetur Vir nobilis, in communibus Pauperum necessitatibus nunquam solere eleemosynas elargiri, licet plura habeat suo statui superflua; quod intelligens Confessarius recusat ipsi præbere beneficium absolutionis. Qu. An Confessarius bene se gerat?

Resp. negative. Ratio est, quia quamvis non solum in extrema, sed etiam in gravi proximorum necessitate teneantur divites, vi divini præcepti, eleemosynam ex proprio statui superfluis elargiri, in communibus tamen pauperum necessitatibus nonnisi ex consilio talem eleemosynam elargiendam esse dicendum est. Hac de re quia nemo sibi suadet, aliqua stricta lege ad prædictam eleemosynam in communibus pauperum indigentiis teneri, neque Confessarii solent divites Pœnitentes circa dictæ eleemosynæ omissionem interrogare, neque isti accusare se solent, quod eleemosynam communiter indigentibus non erogaverint, licet commode potuerint erogare. Si igitur Vir nobilis per omissionem prædictæ eleemosynæ nullum transgreditur grave præceptum, male Confessarius se gerit, dum ex hoc capite recusat beneficium Absolutionis eidem præbere. Ita ex D. Thom. 1, 2, quæst. 32, art. 5. Card. de Laurea tom. 4, disp. 13. Cleric. de pœnit. decis. 10, num. 3.

CAS. II. — Franciscus angitur scrupulo, valde dubitans de valore ultimæ a se habitæ Confessionis, quia ipsam faciendo non renovavit peccatorum dolorem, quam die antecedenti elicuerat. Qu. An valida dici debeat prædicta Confessio?

Resp. affirmative. Ratio est, quia Sacramentum Pœnitentiæ administratur per modum judicii; cum autem in judiciis conclusio in causa, et publicatio sententiæ admittant notabile tempus intermedium, poterit hoc etiam in judicio Sacramentali admitti. Quamvis itaque optimum sit, ante absolutionem renovare dolorem; adhuc tamen, dummodo dolor elicitus non fuerit retra-

elatus, vel novum peccatum, aut complacentia de præteritis non supervenerit, dicendum est, dolorem antecedenti die elicitum ita moraliter perseverare etiam pro die sequenti, ita ut Franciscus nullatenus de valore Confessionis, sine expressa, et formali renovatione doloris peractæ, debeat dubitare, cum ipsius Confessio valida dicenda sit. Ita ex Gobat. tr. 6, n. 157. Tambur. l. 1, cap. 2, § 4 et 5. Clericat. de pœnit. decis. 13, num. 8.

CAS. III. — Quidam Confessarius Ruralis pluries absolvit Pœnitentem ab incestu in primo gradu affinitatis, non advertens esse peccatum reservatum. Qu. An Confessarius prædictus sit a gravi culpa immunis?

Resp. affirmative, dummodo nullam habuerit reservationis dubitationem. Ratio est, quia cum voluntas nostra nequeat moveri, et excitari ad quærendam scientiam illius rei, de qua nullam habemus cogitationem, si nulla de incestus reservatione dubitatio præcessit, inadvertentia in absolvendo a reservato casu, sive hoc pro unica vice, sive pluries contigerit, fuit omnino invincibilis, et ipsi Confessario involuntaria; proindeque ipsum a peccato excusat, cum ad peccandum non sufficiat, remote posse, et debere ignorantiam juris auferre; sed requiratur posse proximum, quod habetur, quando aliqua de lege incidit cogitatio, vi cujus voluntas ad quærendam legis notitiam moveatur. Qua de re dixi, dummodo Confessarius nullam habuerit reservationis dubitationem; hac enim interveniente, ratione inadvertentiæ vincibilis, et culpabilis, opposito modo concludendum est. Ita ex Suar. de cens. disp. 4, sect. 8, num. 14, et seq. Sanch. lib. 1, cap. 16, num. 20 et 21. Castro-Palao tr. 1, punct. 25.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Cum Clericus quidam obtinuerit Beneficium non contemnendum, solet insumere in emptione librorum omnes Beneficii fructus, qui suæ honestæ sustentationi supersunt. Qu. An licite possit hoc facere?

Resp. negative. Ratio est, quia cum ex sanctis Patribus, et Conciliis fructus Beneficiorum vocentur vota Fidelium, pretia peccatorum, patrimonia Christi, et pauperum, detracta congrua Beneficiarii sustentatione, inseparabilis est ab Ecclesiastico Beneficio obligatio erogandi fructus, qui supersunt, in pauperum alimoniam, aliosque pios usus in honorem Ecclesiæ, et Dei; hac enim intentione saltem implicita Beneficia a Fidelibus erecta sunt. Poterit igitur Clericus noster partem aliquam fructuum Beneficii non contemnendi insumere in emptione librorum proprio statui necessariorum, vel convenientium : non tamen omnes Beneficii fructus, qui propriæ supersunt sustentationi, in librorum emptione licite insumere; cum hoc in pauperum, aliorumque piorum operum detrimentum vertatur. Ita Salm. de just. et jur. cap. 2, num. 41. Cleric. de Pœnit. decis. 10, num. 5, et seq.

CAS. II. — In Molendinis quibusdam, excepta Missæ auditione, nulla fit inter festivos, et feriales dies distinctio. Qu. An hoc a Parocho sciente possit licite tolerari?

Resp. cum distinctione. Si ex aliqua rationabili causa detur consuetudo legitime præscripta, ut Molendina quædam diebus festis æque ac in ferialibus, aperta sint, et molant, dico, hoc posse licite a sciente Parocho tolerari, etiamsi, excepta Missæ auditione, nulla appareat inter festivos, et feriales dies distinctio; cum præceptum abstinendi in die festo ab operibus servilibus, ubi urget rationabilis causa, atque necessitas, non obliget, ut notum est. Si vero nulla urgeat rationabilis causa, sed ex mero abusu hoc sit introductum, et hoc possit a Parocho aliquo modo impediri, hoc tolerando, male Parochum se gerere dicendum est. Ita ex Act. Ecclesiæ Mediol. tom. 1, et ex instruct. 24, vol. 3. Benedicti XIV Papæ, et Archiep. Nostri.

CAS. III.— Joannes domui, familiæque Religiosorum quotidie inserviens, Communionem tempore Paschatis

in ipsorum Ecclesia recipit. Qu. An Ecclesiæ præcepto de Communione Paschali satisfecerit ?

Resp. cum distinctione. Si Joannes ita domui, ac familiæ Religiosorum quotidie inservit, ut sub eorumdem obedientia vivat et intra eorum domum, seu Monasterium resideat, dico, ipsum Joannem præcepto Ecclesiæ de Communione Paschali satisfecisse, cum in casu interveniant illæ omnes conditiones, quæ ex Conc. Trid. sess. 24, cap. 1 de reform. requiruntur, ut quis a Communione Paschali in propria Parœcia sumenda eximatur. Si vero Joannes, licet domui, ac familiæ Religiosorum quotidie inserviat, sub eorumdem obedientia non vivit, vel intra eorum Monasterium non residet, dicendum est, præcepto Communionis Paschalis nequaquam satisfecisse propter rationem oppositam à supradicta; ut ex cap. cit. Concil. et ex pluribus Sacr. Congregat. Decretis hac de re editis, et præsertim in una Laudun. 14, Apr. 1685, in una Spolet. 19. Apr. 1692, in una Barcinon. 21. Jan. 1713, et in una Ulysipponen. 22 Novemb. 1721, videre est.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Mortuo quodam Presbytero, qui pinguem præbendam per nonnullos alios possedit, notabilem pecuniæ summam obtinuit Petronius ejusdem Presbyteri hæres, qui proinde ex tali pecunia vellet sibi domum ædificare. Qu. An licite possit prædictus hæres in ædificio domus obtentam summam insumere?

Resp. negative. Si enim fructus Ecclesiastici, qui congruæ sustentationi præbendati supersunt, debent in pios usus insumi, quia cum tali onere, et pacto saltem implicito a Fidelibus profecti sunt, sequitur, quod si quis eos titulo sive donationis in vita, sive hæreditatis post Præbendati mortem accipiat, acceptos fructus in eosdem pios usus insumere teneatur. Eo præcipue quod, quemadmodum hæres repræsentat personam defuncti quoad illius bona, ita eamdem subire debet obligationem, quam circa illa defunctus habebat; et proinde sicuti ex hac ratione

res devicta per votum faciendæ eleemosynæ transit ad hæredem cum eadem obligatione, ita fructus, qui a Præbendato in pauperum alimoniam, aliosque pios usus debent insumi, cum eadem obligatione ad hæredem transeunt; et quidem potiori jure, cum magis intrinseca, et adnexa videatur ecclesiasticis fructibus obligatio prædicta, utpote fundata in natura, et conditione talium bonorum, quam adnexa sit alicui rei obligatio ex voto, utpote quæ præcise ab extrinseco, et ex voluntate voventis proveniens est. Non poterit igitur hæres Presbyteri præbendati in ædificanda sibi domo obtentam summam insumere. Ita Card. de Lugo de just. et jur. disp. 23, sect. 6, n. 102. Sanch. concil. mor. lib. 2, c. 2, dub. 54, n. 2. Clericat. de Pœnit. decis. 10, n. 22.

CAS. II. — Parochus Puerperam, quæ alios pepererat filios, asserentem sentire se mori, et enixe petentem Extremam Unctionem, noluit sacro Oleo inungere, adhærens judicio Obstetricis negantis prædictam mulierem esse in mortis articulo constitutam. Qu. An bene se gesserit?

Resp. negative. Ratio est, quia posito dubio prudenti de periculo vitæ, et rationabili timore de morte Puerperæ hæc capax censenda est Sacramenti Extremæ Unctionis, saltem collati sub conditione: dari autem in casu nostro hunc timorem vere prudentem de periculo mortis Puerperæ, compertum est, si advertamus ex una parte facilitatem erroris in judicio Obstetricis negantis periculum mortis, et ex altera insolitas voces Puerperæ asserentis se mori, Extremamque Unctionem enixe poscentis, quod alias fecisse experta partus dolores, casus non dicit. Cum igitur in dubio periculi mortis potuerit optime Parochus, saltem sub conditione, Puerperam sacro Oleo inungere, eumdem Parochum, qui judicio Obstetricis adhærens in favorem periculi agere recusavit, male se gessisse dicendum est. Ita Pasqualig. ther. et prax. quæst. 384, et seq. Gobat. t. 1, tract. 8, cas. 22. n. 384. Rosignol. art. 3, n. 4.

CAS. III. — Parochus per integrum diem solet non

infrequenter a Parœcia sua abesse, nullo ibi relicto idoneo Sacerdote, certus tamen, nullum ibi infirmum tali tempore reperiri. Qu. An possit ab omni culpa excusari?

Resp. negative. Ratio deducitur ex Edicto Sanctissimi Domini Nostri sub n. 17, vol, 1, pastoralium instructionum hac de re edito, in quo aperte prohibitum est Parochis a Parœciis suis etiam pro unica tantum die abesse, nisi ibi Sacerdotem pro audiendis Confessionibus approbatum reliquerint, qui pro aliquo repentino casu possit Parochi vices supplere. Quamvis itaque certus si Parochus, dum absens sit a Parœcia, nullum ibi reperiri infirmum, adhuc tamen cum facillime possint repentini casus accidere, in quibus pro Sacramentorum administratione, aliisque indigentiis, Parochi, vel alterius Sacerdotis pro audiendis Confessionibus approbati præsentia necessaria omnino sit, dicendum est, Parochum nostrum, qui solet non infrequenter per integrum diem a Parœcia sua abesse, nullo ibi relicto idoneo Sacerdote, nequaquam posse ab omni culpa excusari.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Sacerdos celebrans in Oratorio privato solet omnibus diebus festis piæ, nobilique fœminæ Missam audienti sacram Eucharistiam præbere. Qu. An licite hoc faciat?

Resp. negative. Ratio est, quia in facultate, quæ, positis quibusdam conditionibus, solet a Pontifice concedi pro celebratione Missarum in Oratoriis privatis, nullatenus comprehenditur facultas administrandi sacram Eucharistiam personis ipsis, quarum contemplatione celebrandi facultas concessa est. Hac de re (ut aperte docet Sanctissimus Dominus Noster Instruct. 15, vol. 2), praxis est, quod petatur ab Ordinariis locorum pro dicta Eucharistiæ administratione nova facultas, quæ neque concedi solet, nisi pro aliquo particulari casu, in quo gravis necessitas id concedendi occurrat. Cum itaque in casu nostro non exprimatur obtenta ab Ordinario facultas, dicendum est, illicite Sacerdotem nobili fœminæ

in Oratorio privato Missam audienti sacram Eucharistiam præbere. Ita ex Quart. ad Rubr. Miss. part. 3, tit. 10, dub. 10. Dian. p. 4, tr. 2, resol. 44 et 45. Girib. de Pœnit. c. 8, n. 47.

CAS. II. — Titius Bertam duxit in Uxorem, eaque defuncta, vellet ducere Cajam, quæ fratris Bertæ jam mortui uxor fuit. Qu. An licite possit illam ducere?

Resp. affirmative. Ratio est, quia Titius per copulam habitam cum Berta uxore sua contraxit quidem affinitatem cum omnibus Consanguineis Bertæ, non autem cum Bertæ affinibus ex vulgata regula, quod affinitas affinitatem non pariat. Cum igitur Caja, ex quo fuerit uxor fratris Bertæ, facta sit duntaxat Bertæ affinis, non consanguinea, sequitur neque consanguineam esse, neque affinem Titio; proindeque nihil ex hoc capite obstare, quin idem Titius, defuncta uxore Berta, licite possit in uxorem ducere Cajam, quæ fratris Bertæ jam mortui uxor fuit. Ita Girib. de Matrim. c. 15. num. 12. Sanch. l. 7, disp. 67, num. 3. Rosign. disp. 3, § 1.

CAS. III. — Perditus quidam juvenis, qui pluries se jactavit, ac gloriatus est de peccatis Furti, Luxuriæ, Blasphemiæ, et hujusmodi, dum confitetur, dicit tantummodo: Gloriatus sum de peccato mortali. Qu. An satisfecerit Confessionis integritati?

Resp. affirmative, per se loquendo. Ratio est, quia cum tota malitia, quæ in peccato jactantiæ reperitur, in eo sita sit, quod peccatum, et offensa Dei assumatur tanquam medium ad captandam gloriam, et laudem apud homines, ad quem finem de materiali se habet, quod sit hoc, vel illud peccatum; sequitur, quod optime, et integre confiteatur, qui tantummodo dicit: De peccato mortali gloriatus sum. Dixi, per se loquendo; oppositum enim dicendum esset, si perditus juvenis complacentiam simul de peccatis illis habuisset, de quibus gloriatus est; quia cum complacentia specificetur ab illo objecto, de quo quis cum ipsa gloriatus est, ad exprimendam, sicuti oportet, peccati speciem, debent illa omnia objecta, quorum complacentia habita est, in Con-

fessione aperiri. Et quia sæpissime jactantia præsertim de peccatis luxuriæ admixtam habet complacentiam de iisdem, hinc est, quod hac ratione sæpissime adest obligatio exprimendi objecta illa, de quibus quis se jactavit, et gloriatus est. Ita Palao t. 1, tr. 2, disp. 2, punct. 11, n. 5. Diana part. 5, tr. 4, resol. 161. Girib. de Pœnit. c. 8, n. 65, et seq.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Rusticus in mortis articulo constitutus duo peccata confitetur, unum reservatum Episcopo cum excommunicatione adnexa, alterum reservatum Papæ. Qu. Ad quid teneatur, si convalescat ?

Resp. cum distinct. Si Rusticus ignorabat excommunicationis pœnam peccatis suis adnexam, ad nihil tenetur, si convalescat : siquidem non tenetur ad aliquid ratione reservationis, cum (ut habetur c. 7, sess. 14. Concil. Trid.) in Ecclesia Dei custoditum semper fuerit, ut in mortis articulo nulla sit reservatio : neque tenetur ratione censuræ, cum in eamdem utpote pœnam non incidat, qui eam ignorat. Si vero, quando Rusticus patravit delicta, sciebat illis adnexam esse excommunicationis censuram, tenetur, si convalescat, præsentare se Papæ, et Episcopo, vel Delegatis ab ipsis, non quidem, ut a Censuris iterum absolvatur, cum jam fuerit directe absolutus, sed ut paratum se ostendat obedire Superiorum mandatis, cum non aliter fuerit in mortis articulo absolutus a reservatis Censuris, quam sub pœna reincidendi in easdem specie Censuras, nisi, postquam convaluerit, se præsentet cui debet, ut dictum est. Ita ex cap. *Eos qui de sent. excom. in* 6. Girib. de Pœnit. c. 16, n. 43, et communiter.

CAS. II.—Lælius habebat Agnum Dei cereum a sancto Pio V benedictum ; et quia audivit, cum esse magni valoris, illum duobus aureis vendidit, quamvis hoc non licere cognosceret. Qu. An possit per simplicem Confessarium absolvi ?

Resp. affirmative. Quamvis enim Lælius peccaverit

peccato Simoniæ realis vendendo rem sacram pro pretio temporali, et etiam egerit contra prohibitionem a Greg. XIII hac de re specialiter editam; adhuc tamen nihil obstat, quin possit ab hoc peccato per simplicem Confessarium absolvi. Licet enim reatus Simoniæ realis scienter contractæ in Ordinum susceptione, in collatione Beneficiorum, et in Religionis ingressu puniatur excommunicationis censura Pontifici reservata, ut ex Clem. VIII Decreto Doctores docent; hoc tamen de Simonia, quæ in aliis rebus committitur, dicendum non est, quia de ipsa pariter in reservationum Decretis expressa mentio non habeatur. Cum autem nullibi constet, quod Simonia, quæ in venditione Agni Dei patratur, sub aliqua reservatione vel censura reservata prohibita sit, dicendum, nihil obstare, quin Lælius, qui reus censetur Simoniæ prædictæ, possit etiam a simplici Confessario Absolutionis beneficium obtinere. Ita ex Bonac. de Simon. disp. 1, q. 4, § 2, n. 6 et q. 7. § 2, n. 17 et 18. Girib. c. 2, n. 24.

CAS. III. — Uxor Marito concessit, ut votum emitteret Castitatis, coque emisso adhuc debitum petenti reddit. Qu. An licite debitum reddat?

Resp. affirmative. Ratio est, quia cum Uxor ex hoc præcise, quod Marito concesserit, ut votum emitteret Castitatis, non se privaverit jure petendi, vel reddendi debitum; etiamsi Maritus post votum illicite petat, adhuc Uxor licite eidem debitum reddit? Quamvis enim, quando circumstantia, quæ reddit petitionem illicitam, se tenet ex parte actus, illicitum quoque sit petenti correspondere; quando tamen circumstantia prædicta se tenet præcise ex parte personæ, ut in casu, illicitum non est per redditionem debiti illicite petenti assentiri. Hoc tamen non videretur dicendum, si Uxor consensum præbendo in votum Castitatis a Marito emissum, licentiam dedisset vovendi omnimodam, et integram Castitatem, in hoc enim casu Uxor cessisset omni proprio juri, et sic Marito debitum illicite petenti non nisi illicite redderet. Ita Bonac. de Matrim. q. 4, punct. 3, n. 7. Sanch. l. 9, disp. 36, n. 4. Girib. c. 19. n. 86.

ANNO MDCCXLVI.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Cajus videns omnia sibi adversa fortuna contingere, putat vere in mente sua, Deum esse erga se immisericordem, huncque cogitatum suum aperit amico, dicens : Indica mihi Confessarium benignum, quia habeo peccatum grande nimis; Deum enim credidi absque misericordia esse. Qu. An iste inciderit in casum Bullæ Cœnæ tanquam formaliter hæreticus ?

Resp. negative. Ratio est, quia ad incurrendam Excommunicationem Casus Bullæ Cœnæ requiritur, quod hæresis sit exterius manifestata, cum Ecclesia non judicet de interno, neque illud puniat ; Cajus autem noster duntaxat putavit Deum immisericordem in mente sua, ut patet ex terminis casus. Quod si id postea manifestavit amico, hoc egit, non ad tuendam, aut profitendam hæresim, sed potius ad detestandam, sicque fuit pura narratio hæresis alias conceptæ, ordinata ad tollendam culpam. Poterit itaque a quolibet simplici Confessario absolvi. Ita communiter cum Giribaldo tr. 4, in primum præcept. Decalogi. cap. 2, dub. 5.

CAS. II. — Quidam Sacerdos in familiaribus collocutionibus solet frequenter abuti ad jocos, et facetias verbis, ac sententiis sacræ Scripturæ. Qu. An judicandus sit reus peccati lethalis sacrilegii ?

Resp. affirmative. loquendo de verbis sacræ Scripturæ formaliter talibus, nimirum dictatis a Spiritu Sancto. Ratio est, quia violat res sacras proprie tales, ac frequens abusus verborum Angelis venerabilium continet contemptum, saltem implicitum ipsiusmet Dei ; gravem injuriam irrogat Spiritui Sancto, cujus sunt verba, ut ex Graffio lib. 2, cap. 19, num. 17, vocante hujusmodi abusum immane scelus. Ita ex Gobat. de blasp. cap. 20, num. 720. Regin. lib. 19, cap. 4, num. 57. Accedit etiam scandalum, attenta qualitate personæ Sa-

cerdotis. Dixi = loquendo de verbis sacræ Scripturæ formaliter talibus = quia si abuteretur quibusdam verbis, quæ extant in sacris paginis, relatis ex aliis, et quidem viris profanis, ut sunt illa Festi Act. 25, Ad Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis = a gravi sacrilegii culpa excusari posset.

CAS. III. — Clericus Beneficiatus multoties committit alteri recitationem Divini Officii; eique cedens partem fructuum illis diebus correspondentem, credit se ab omni culpa immunem. Qu. An bene sentiat?

Resp. negative. Ratio est, quia obligatio recitandi Officium Divinum in Clerico Beneficiato, quicumque sit, est personalis, obligans sub gravi, orta ex ipsomet Beneficio, cujus possessionem adeptus est, cum jure illud administrandi; cui obligationi si non satisfaciat, tenetur fructus restituere, quæ restitutio est veluti pœna correspondens culpæ. Quare Clericus noster cedens alteri partem Beneficii, subit pœnam, verum non se exonerat culpa contracta propter transgressionem personalis obligationis recitandi Horas Canonicas. Ita ex Alario lib. 2, verbo: *Horæ Canonicæ*, Sanchez lib. 2, consil. cap. 3, dub. 62. Giribaldus, Leander, aliique. Colligitur etiam ex Constit. S. Pii V, declarantis, eum, qui Choro addictus Officium non recitat, licet sit præsens, præter fructuum, et distributionum amissionem, grave peccatum committere. Accedit propositio damnata ab Alex. VII, num. 21, dicens = Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. —Parochus habens Beneficium pingue non vult docere per se ipsum Doctrinam Christianam filios pauperum, sed tantum quosdam filios divitum, qui singulis mensibus quædam munera ad eum deferunt. Qu. An sit Simoniacus?

Resp. cum distinct. Vel intervenit pactum aut expressum, aut tacitum cum Parentibus puerorum deferendi ea munera, vel nullum intervenit pactum; si hoc secundum, Parochus non est Simoniacus, quia cum Simonia sit studiosa voluntas vendendi, aut emendi aliquod spirituale, vel spirituali annexum pro temporali, ad cam requiritur aliquod pactum, vel saltem ut res accipiatur per modum pretii, commutationis, aut motivi, ut ex communi Doctorum. Si primum, probabilius Parochus est Simoniacus. Ratio est, quia docere Catechismum est spirituale, quod Simoniæ subjacere potest, ut cum communi tradit Suarez lib. 4, c. 18, n. 24, et Parochus ea munera reciperet tanquam pretium. Neque dici potest, quod ea reciperet aut titulo laboris, aut titulo congruæ sustentationis, cum ad hujusmodi laborem ex officio teneatur, et Beneficio pingui supponatur satis superque provisus; ergo videtur, quod difficulter possit a Simoniæ labe expurgari.

CAS. II. — Filiusfamilias, dum luderet, deprehensus a Patre, ab eoque vehementer objurgatus, ad declinandam illius iram, vovit se non amplius lusurum; mortuo autem Patre, dubitat, an adhuc obligetur voto. Qu. Confessarii judicium?

Resp. Filiumfamilias probabilius non amplius adstringi voto. Ratio est, quia causa nedum impulsiva, sed etiam motiva, et quidem principalis vovendi videtur Filio fuisse, declinare iram Patris, ut exponitur in casu: cum igitur, mortuo Patre, cesset hæc ratio motiva, et principalis vovendi, cessat etiam obligatio voti, quæ tamdiu durat, quamdiu durat causa motiva, et finalis vovendi, ut cum Azorio, Silvestro, Suarez tenent Bonac. disp. 4, q. 2, p. 3, n. 10. Antonius a Spiritu Sancto, et communiter Doctores; quia votum non obligat ultra mentem, et intentionem voventis; vovens autem non censetur habuisse intentionem se obligandi, cessante causa finali, et motiva voti.

CAS. III. — Sempronius tempore Quadragesimæ dispensatus ad carnes vigore Indulti Apostolici, in vesper-

tina quoque refectione cum aliquo nonnullorum scandalo usus est carnibus, servata tamen quantitate. Qu. An, spectata Epistola encyclica SS. D. N. Benedicti XIV, non solum peccaverit, sed etiam inciderit in casum reservatum n. 7?

Resp. negative. Ratio est, quia casus reservatus n. 7 continet scandalosam solutionem Quadragesimæ, non scandalosam solutionem Jejunii : Sempronius autem vespere vescens carnibus solvit Jejunium, quia Pontifex in Epistola encyclica, quæ incipit = Libentissime quidem amplectimur = statuit dispensatos ad carnes non posse in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quæ Jejunantibus permittitur, sed opus habere eo cibo, quo utuntur homines jejunantes rectæ, et meticulosæ conscientiæ. Attamen Sempronius non solvit scandalose Quadragesimam, a qua supponitur dispensatus vigore Indulti Apostolici; ergo peccat, sed non incidit in Casum reservatum. Si vero in Indulto Apostolico observantia Jejunii esset apposita per modum conditionis, sine qua non liceret uti eodem Indulto, ut contigit anno 1740, in Indulto huic Civitati a Pontif. fel. regn. concesso, tunc probabilius censerem, Sempronium incidere in casum reservatum, quia adhuc vere scandalose solveret Quadragesimam.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Titius ingressus cujusdam Artificis officinam cum duobus Sociis, ipsis insciis, clam surripit thecam auream; inquisitus autem de furto, thecam secreto restituit; sed ut consulat quoque famæ suæ, eosdem Socios adhibet testes, qui jurent, ipsum nihil penitus surripuisse. Qu. An sit reus perjurii?

Resp. affirmative. quatenus inducit ad jurandum falsum, licet putatum verum. Ratio est, quia virtus Religionis, quæ prohibet, ne quis falsum juret, prohibet etiam, ne alios, ad falsum jurandum inducat. Neque obstat, quod Socii existiment, Titium nil surripuisse;

nam hoc probat duntaxat, in Sociis juramentum esse materialiter falsum, et inculpabile; at non excusat Titium a malitia perjurii, quia illa attestatio sociorum est ipsimet Titio formaliter falsa, cumque ab ipso sit volita, et procurata, reddit illum perjurii reum, eo modo, quo quamvis blasphemia viro amenti sit materialiter mala, ei tamen, qui amentem induceret ad blasphemandum, esset mala formaliter, et culpabilis; ita cum Suarez tom. 3, de Relig. lib. 3, de Juramento, cap. 14, n. 8. Bonac. tom. 2, disp. 4, quæst. 1, p. 111. Tamburino, Sanchez, aliisque communius.

CAS. II. — Petrus Typographus in Confessione se accusat, quod feria secunda Paschatis quatuor circiter horas insumpserit in componendis characteribus, altero vero die, videlicet feria tertia, totidem horis torculari expressit. Confessarius eumdem arguit, ut violatorem utriusque diei festi. Qu. An juste?

Resp. cum distinctione. Si Petrus de utroque se accusat, quod putaverit, esse utrumque contra diem festum, merito a Confessario arguitur; tum quia egit contra conscientiam, tum quia juxta sententiam probabiliorem nedum characteres in torculari exprimere, de quo non est dubium, verum etiam eos componere, inter opera mechanica recensetur, ut tenent Suarez de Virt. Relig. lib. 2, c. 25, n. 8. Palao parte 2, tract. 3, disp. q. 5, n. 5. Facundez, et alii apud Girib. hic dub. 5, n. 43, quia compositio characterum per se non ordinatur ad locutionem, sicuti ordinatur scriptio, sed est præparatio materiæ, et veluti fabricatio instrumenti mechanici ad opus mechanicum, scilicet, ad ipsam impressionem ordinati. Si vero Petrus de utroque se accusat ad majorem suæ conscientiæ quietem, putavit tamen primum sibi licuisse, non secus ac characteres scribere, tunc dico, injuste argui a Confessario de utriusque diei Festi violatione, quia hæc quoque est opinio valde probabilis apud Homob. lib. 2, p. 4, resp. 34. Dianam part. 4, tract. 4, resol. 62. Tamburinum, et alios; quare Petrus, juxta eamdem operatus, diem Festum non violavit. Est igitur duntaxat monendus, ut magis timoratorum

praxim sequens, etiam a componendis characteribus diebus festis abstineat?

CAS. III. — Capellanus in Festo simplici accepit eleemosynam pro Missa ad Altare privilegiatum celebranda; ipse vero celebrat quidem ad dictum Altare, sed ex devotione dicit Missam Votivam de B. Virgine. Qu. An satisfaciat suæ obligationi pro accepta eleemosyna?

Resp. negative. Ratio est, quia intentio conferentis eleemosynam fuit Altaris privilegio frui, non fruitur autem, si Sacerdos in festo simplici Missam Votivam recitet de B. Virgine, quia privilegium a Summis Pontificibus concessum, est regulariter duntaxat pro Missis de Requiem, quando non obstat Ecclesiæ ritus, qui non obstat in Festo simplici, quo Missa de Requiem recitari potest. Id satis superque ostendunt tot Decreta S. R. C. a summis Pontificibus confirmata, præsertim ab Alexand. VII et Clem. XI. Ita communiter, et expresse P. Merati in novis observat. et addit. ad Comment. Patris Gavanti in Rubricas Missalis part. tit. 5, n. 8.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Berta Mater, ne Filias suas diebus festis sinat vagari per Civitatem, vel Oppidum, aut otio domi tabescere, injungit eis quædam opera servilia. Qu. An Filiæ teneantur obedire Matri sic præcipienti?

Resp. affirmative. Ratio est, quia ex 4. Decalogi præcepto Filii tenentur obedire Parentibus in iis, quæ licita sunt; licitum autem est puellis, præsertim post Devotiones, et horis pomeridianis, ad ea vitanda, quæ in casu exposita sunt, quæque sunt plena periculis, etiam diebus Festis aliquibus operibus servilibus incumbere, idque ex interpretatione præcepti, ac benigna piæ Matris Ecclesiæ permissione, quæ sicuti non obligat ad observantiam diei Festi, si aliquod grave damnum corpori immineat, multo minus si animæ. Ita cum Emmanuele Sa, Silvestro, Naldo, Homobono, et aliis tenent Diana p. 3, tract.

5, resol. 8. Bonac. hic disp. 5, q. unica, punct. 3, n. 7. Cavendum tamen est, ne Mater ad finem lucri detorqueat opus Filiarum, easque retrahat a piis actibus, quibus possent sanctius diem festum colere; quare monet Suarez de Virt. Rel. l. 2, c. 26, n. 6, supradicta cum mica salis esse intelligenda.

CAS. II. — Filius, inconsultis Parentibus, vult ducere in uxorem Cajam puellam honestam, paris quidem conditionis, sed pauperem. Qu. Quomodo debeat se gerere Parochus?

Resp. cum distinct. Vel Parochus advertit Parentes fore quidem verbis, et animo contradicturos, non tamen malitiosum apposituros impedimentum, et eo tunc debet Filio suadere, ut Parentes consulat; aliter peccat assistendo, sicuti Filius peccat sic contrahendo; lædit enim pietatem, ac reverentiam Parentibus debitam, ut ex Girib. tract. 10, c. 5, dub. 6, n. 57. Quod si, consultis a Filio Parentibus, eorum consensum non obtinet, potest licite Parochus Matrimonio assistere, cum Filius possit licite contrahere; quia Filii, satisfacta, per petitionem consilii, reverentia Parentibus debita, in iis, quæ spectant ad corporis sustentationem, et prolis generationem, sunt sui juris, ut tradit D. Th. 2, 2, q. 104, a. 5. Vel Parochus advertit, Parentes esse apposituros malitiosum impedimentum; et eo tunc, si propter paupertatem sponsæ nullum sit secuturum damnum grave, dedecus, aut irrationabile onus iisdem Parentibus, ut in casu supponitur, potest, et debet assistere ad tuendam libertatem Matrimonii: non enim paupertas sponsæ, si cætera non desint, est motivum sufficiens pertinaciter obsistendi Matrimonio Filii. Colligitur ex Girib. citato, Pontio de Matrimonio l. 2, c. 1. Sporer in 4, præcept. Decal. tract. 3, cap. 3, sect. 1.

CAS. III. — Parochus ruralis habet in more de mense in mensem particulas consecratas, quæ in Ciborio pro Infirmis asservantur, consumere, et novas consecrare, semel tamen, et iterum deprehendit in fundo pyxidis quosdam vermiculos ex speciebus Sacramentalibus ge-

nitos. Qu. An talem morem servando sit tutus in conscientia?

Resp. negative, sed lethaliter peccare. Ratio est, quia in Concilio Turon. 4, cap. 4, apud Gavantum, in Mediol. pariter 4, p. 1, et in Synodo Bononiensi lib. 2, cap. 3, et juxta communem fere omnium DD. sententiam, Eucharistia renovanda est de septimo in septimum diem; quæ regula non ita quidem stricte obligat, ut non possit etiam renovatio protrahi ad longum tempus, maxime si particulæ consecrandæ sint recentes, ut colligitur ex citato Concil. Mediol. permittente, quod consecrentur hostiæ post septem dies renovandæ, etiamsi sint a viginti diebus confectæ; attamen tanta dilatio non est a gravi culpa immunis, quando ex aliqua circumstantia vel loci humiditati nimis subjecti, vel etc. adest periculum corruptionis specierum; quod periculum experientia cum deprehenderit Parochus casus nostri, non est in conscientia tutus pristinum morem servando.

MENSE MAII.

CAS. I. — Mortuo Divite, et instantibus hæredibus, publicatur Monitorium cum excommunicatione contra scientes, et non revelantes ipsius bona; Sejus scit, Patrem suum, dum eidem famularetur, plura sibi usurpasse. Qu. An Filius teneatur, vel saltem possit contra Patrem revelare?

Resp. non teneri. Ratio est, quia lex Civilis non obligat ad ferendum testimonium contra sibi Conjunctos usque ad 4 gradum, præsertim si non agatur de causa ad totam Communitatem pertinente; ita neque lex Ecclesiastica credenda est, eosdem obligare, quippe quæ legi Civili in benignitate cedere non debet; unde in casu nostro non tenetur Filius denunciare Patrem. Additur etiam, quod hujusmodi Monitoria non obligant, si ex tali revelatione aliquod grave damnum timeatur probabiliter secuturum; ex revelatione autem Filii facta contra Patrem, vix potest grave damnum ipsius, et totius Familiæ abesse, videlicet, discordiæ, et odia; ergo Sejus

ex vi Monitorii non tenetur revelare contra Patrem. Ita Diana tom. 5, tract. 1, resol. 161 et 162. Raynaud. de Monit. p. 1, c. 2, q. 20 et 24. Baunius, et alii. Hinc, spectato damno discordiarum, odiorum etc. quod Filius ex tali revelatione toti Familiæ inferret, videtur dicendum, nec etiam posse (licet de hoc non disputent DD.) quia non debet illis causam præbere per id, quod potest juste omittere; spectato vero duntaxat juris communis privilegio, et secluso damno, licite posset, quia privilegio quisque potest uti, vel non uti pro libito suo.

CAS. II. — Antonius propinato alteri veneno, ex quo irreparabiliter secutura est mors, antequam hæc sequatur, pœnitentia ductus accedit ad Confessarium, cui confitetur peccatum suum. Confessarius autem eum absolvit injuncto onere, quod, secuta morte, se præsentet habenti facultatem in reservata, eique peccatum denuo aperiat. Qu. An pœnitens, secuta morte, teneatur parere Confessario?

Resp. negative. Ratio est, quia Antonius tunc nec tenetur se præsentare habenti facultatem in reservata, ratione peccati commissi in propinatione veneni, quia ab hoc jam fuit directe absolutus in peracta Confessione, quippe quod nulla tunc reservatione tenebatur, cum hæc non afficiat nisi actum consummatum Homicidii: neque ratione mortis postea secutæ, quia hæc respectu Antonii rite confessi, et absoluti non est amplius mortaliter peccaminosa, cum non sit amplius moraliter voluntaria, utpote in Sacramento Pœnitentiæ efficaciter retractata; quare non est, cur eum subdat clavibus, sive habentis, sive non habentis facultatem in reservata, ergo non tenetur in casu parere Confessario. Ita Henriquez, et Facundez apud Dianam tom. 5, tract. 1, resol. 10. Homobonus, et alii.

CAS. III. — Quidam Sacerdos in itinere celebraturus Missam die Festo de præcepto pervenit ad quoddam Oratorium rurale, in eoque reperit unum tantum librum Missalem, cui fere integer deest Canon Missæ. Qu.

An possit licite celebrare, ut ipse cum Sociis satisfaciat præcepto de audiendo Sacro?

Resp. negative. Ratio est, quia sic se exponeret periculo errandi in re gravi, nempe circa Canonem, cujus profecto singula verba sunt materia gravis, adeoque etiam graviter peccaret: ita Gavant. tom. 1, p. 2, tit. 1, citans Navarrum, et Azorium, qui licet loquantur de Celebrantibus sine ullo libro Missali, tamen par est ratio in casu nostro, quia respectu Canonis idem est, ac si nullus esset. Deducitur etiam ex Conc. Mediol. 1, præcipiente Sacerdotibus, præcipue propter Canonem, quod non memoriter dicant Missam, aut canant. Ex quo inferendum est, neque ad satisfaciendum præcepto de audiendo Sacro id licere, quia præceptum integrandi Missam in iis, quæ in Canone sunt, prævalet unicuique alteri præcepto Ecclesiastico; quare sicuti ex nulla causa, præterquam gravis irreverentiæ, quæ forte immineret contra sanctissimum Christi Corpus, et Sanguinem, licet aliquid Canonis omittere; ita nec licet periculo omittendi se exponere.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Fœminam nolentem reddere salutationem alteri Vicinæ, cum qua rixata est, Confessarius judicat Absolutione indignam, et ream peccati lethalis, quamvis ipsa fateatur, nullum exinde odium habere contra dictam Vicinam. Qu. An verum sit Judicium Confessarii?

Resp. cum distinct. Si ex quo fœmina non reddat salutationem Vicinæ, cum qua rixata est, oriatur aliquod scandalum, aut id æstimetur notabilis contemptus ejusdem Vicinæ, spectatis circumstantiis loci, temporis, personarum, nec non consuetudine Patriæ, Judicium Confessarii verum est; quia tunc non reddere salutationem est revera peccatum lethale contra charitatem, ut patet; ac proinde quoties Fœmina non vult resalutare Vicinam, est in statu peccati lethalis, et absolutione indigna. Si vero nullum inde sequatur scandalum, saltem grave, nec gravis contemptus, vel quia

levis fuit rixa, et utriusque indignatio, vel quia jam animum alienum a quocumque positivo, et gravi odio Fœmina ista patefecit, vel alia simili de causa, Judicium Confessarii non est verum, quia hæc signa omittere, absolute loquendo, est potius contra urbanitatem quam contra charitatem. Ita ex Bonac. in 1 Decalog. præcept. disp. 3, quæst. 4, part. 3. Giribal. tract. 4, cap. 4, dub. 4, num. 36, et aliis.

CAS. II. — Juvenis quidam habens consuetudinem se polluendi, confitetur in Paschate pollutiones commissas; interrogatus autem a Confessario de consuetudine, eamdem reticet, timens ne ultra tempus Paschale Absolutio ei differatur; habet tamen propositum efficax non amplius peccandi. Qu. An valida sit ejus Confessio?

Resp. negat. Ratio ducitur ex Propositione damnata ab Innoc. XI. num. 58. ex qua habetur, teneri Pœnitentem confiteri consuetudinem peccandi, quando a Confessario de eo interrogatur; si ergo Juvenis iste eamdem reticet, suæ obligationi in re gravi non satisfacit, adeoque graviter peccat, et confessionem sacrilegam perficit; nisi forte ignorantia cum excuset. Nec juvat, quod habeat propositum efficax non amplius peccandi; quia Confessarius adhuc habet jus ad idem propositum experiendum; et cum sit Judex simul, et Medicus, non potest hujus partes implere applicando opportuna remedia, nisi infirmitates, et statum pœnitentis plene cognoscat. Ita Cardenas dissert. 37, in dict. Prop. 58. Viva, Reginaldus, et alii.

CAS. III. — Sacerdos celebraturus Missam, dum induit se Vestibus sacris, omittit Orationes, quæ ad singulas earum dicendæ sunt. Qu. An ejus omissio sit immunis a culpa?

Resp. negat. Est enim semper talis omissio contra Rubricam vel præceptivam, ut censet Juvenin. tom. de Missæ Sacrificio, quæst. 8, cap. 7, vel saltem directivam, ut existimant alii. Quare, nisi ex aliqua rationabili causa fiat, est quoque peccato obnoxia, vel mortali, ut tenet Navarrus cap. 25, n. 73, apud Merati et Azor.

part. 1, lib. 13, c. 29, q. 5, apud Alarium verbo Missa n. 42, maxime si omittantur aut ex contemptu, aut scienter omnes deliberate, et cum advertentia; vel saltem veniali, ut cum Roderic. et Burchard. sustinent communius DD.

MENSE JULII.

CAS. I. — Franciscus habuit rem cum Sponsa de futuro, dum per aliquot dies post inita Sponsalia in ejus Domo adhuc morabatur; in Confessione autem præcise se accusat, quod habuit rem cum puella. Qu. An ejus Confessio sit bona?

Resp. cum distinctione. Si Parochus, functus munere suo, admonuit Franciscum, non ei licere cohabitationem cum Sponsa de futuro sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, latæ in Synodo lib. 2, c. 9, et Eminentissimo, ac Reverendissimo Archiepiscopo reservatæ, si se invicem carnaliter cognoscerent, antequam per verba de præsenti Matrimonium contraherent; vel aliunde Franciscus id sciebat; tunc ejus Confessio non est bona, quia reticet circumstantiam, quæ licet non variet speciem, est tamen affecta excommunicatione reservata, ratione cujus peccatum confessum est extra Jurisdictionem simplicis Confessarii: si vero id inculpabiliter ignorabat, Confessio ejus bona est; quia ignorantia inculpabilis excusat ab excommunicatione incurrenda, et sic etiam in casu a reservatione, quæ non afficit peccatum, nisi ratione excommunicationis.

CAS. II. — Petrus Confessarius tradidit alteri Confessario chartam Sollicitationis sigillo obsignatam, ut eam daret cuidam Mulieri, quæ ad ipsum pro Confessione accessura erat; alter autem Confessarius Sollicitationis ignarus, absoluta Confessione, statim chartam prædictam dedit Mulieri. Qu. An hi Confessarii sint denuntiandi?

Resp. negative, neuter enim est reus talis Sollicitationis, qualis in Bulla Gregoriana exprimitur; non primus Confessarius, quia iste sollicitans per alium Con-

fessarium, sollicitationem in Confessione per chartæ traditionem faciendam mandat, non efficit; in Bulla autem Gregoriana lex Denuntiationis lata est contra Confessarios Sollicitationem efficientes, et quidem cum suis Pœnitentibus, et de mandantibus nec unum habetur in ea verbum, unde non debet ad eos extendi, maxime cum odiosa sint potius restringenda. Nec habet hic locum illa regula = Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur = quia ubi lex mandantes non expressit, cum exprimere potuisset, censendum potius est, eos comprehendere noluisse, juxta illud = Lex si aliud voluisset, expressisset, = Leg. unic. § *sin autem*. Ita cum Diana part. 1, tractat. 4, resolut. 22. Bonac. Bossio, et aliis Girib. tract. 7, de Sacramento Pœnit. cap. 10, dub. 2, n. 11. Non alter Confessarius, qui chartam sigillo obsignatam tradit mulieri; quia iste ignorans quid in ea contineatur, absque ulla sui culpa, et solum materialiter concurrit ad Mulieris Sollicitationem. Quando autem in Bulla Gregor. dicitur = sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda = supponitur profecto in ipsomet Confessario scientia, et cognitio ejus, quod efficit, quia supponitur in eo vera formalis culpa, et quidem gravissima, quam Summi Pontifices intendunt per legem Denuntiationis punire; et in hoc sensu intelligendum est Decret. Alexand. VII. prohibens illam Propos. n. 6. = Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam, etc. Cum autem, seclusa scientia, et cognitione, nulla sit culpa, ut tradunt communiter DD. neuter ex his Confessariis denuntiandus est.

CAS. III. — Parochus sciens, Virum Nobilem non satisfecisse præcepto Ecclesiæ Communionis Paschalis, eumdem quidem private admonet; sed videns, sese nihil proficere, dissimulat, nec ad Superiorem illius inobedientiæ notitiam defert, putans, per privatam illam admonitionem, partes officii sui satis implevisse. Qu. An hujusmodi Parochi dissimulatio sit peccato lethali obnoxia?

Resp. cum distinctione. Si Parochus habet verum,

et sufficiens fundamentum vel credendi Superiorem ipsum nihil effecturum cum Viro isto Nobili, vel timendi ex Denuntiatione facta Superiori aliquod grave damnum sibi obventurum, ejus dissimulatio nulli peccato est obnoxia, quia in his circumstantiis præceptum Denuntiationis faciendæ Superiori non obligat, ut communiter docent DD. cum Soto apud Alarium Verbo *Correctio*; si vero tale fundamentum non habeat, et potius timeat tanti viri gratiam amittere, Parochus dissimulando, nec ad Superiorem deferendo notitiam illius inobedientiæ, graviter delinquit contra præceptum Christi Domini (Matth. 18.) = Si te non audierit, dic Ecclesiæ = Hoc enim præceptum, si quem sub gravi obligat, obligat profecto Parochum, qui ex officio tenetur modis omnibus saluti suarum Ovium providere. Non satis autem provideret neque saluti ipsius Viri Nobilis, qui a Superiore objurgatus, fortasse resipisceret; neque saluti aliorum, quibus posset talis dissimulatio innotescere, et sic in illis parere scandalum. Quare merito in hac synodo Bononiensi lib. 2, cap. 3, sub comminatione gravium pœnarum, arbitrio ipsius Superioris infligendarum præcipitur Parochis, ut statim post Festum Ascensionis, vel ad eumdem, vel ad ejus Vicarium deferant notitiam de Contumacibus sine dilatione, et sine ulla Personarum exceptione.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Caja impudice versata cum Parocho, ægrotans cum periculo vitæ, sciens non posse a Complice sui criminis absolvi, ne turpitudinem suam alteri detegat, studiose, et ex industria expectat, quousque Parochus ipse sacrum Viaticum ad eam deferat, et tunc ante Communionem eidem confitetur, et absolvitur, Parocho ignorante dolum Mulieris. Qu. An, attenta declaratione ultima Benedicti XIV, circa Absolutionem Complicis in articulo mortis, valida sit hujusmodi Absolutio?

Resp. negative. Quia facultas, quam Summus Pon-

tifex in ultima declaratione concedit Confessario, ut in articulo mortis valide possit absolvere Complicem in peccato turpi, ne hic pereat defectu Jurisdictionis in absolvente, dummodo tamen ex parte Pœnitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti valorem requisitæ non desint, non est extendenda ad casum nostrum, in quo Caja sciens, non posse a Complice sui criminis absolvi, ne turpitudinem suam alteri detegat, studiose et ex industria expectat, quousque Parochus, peccati Socius, sacrum Viaticum ad eam deferat, et eidem confitetur, cum commode, ut supponitur, potuisset alteri confiteri; et ratio est, quia hoc est eludere, et quidem in materia gravi, mentem Pontificis, et privilegium ab eodem concessum Pœnitenti, præcise in sui favorem, ne in æternum pereat, trahere in consequentiam contra reg. Juris in 6, 28. et velle ex fraude patrocinium, et ex dolo lucrum reportare contra reg. ex cap. *Sedes Apost.* de rescriptis; ubi habemus = dolus, et fraus nemini debent patrocinari = quod sane est ad Sacramentum pœnitentiæ accedere sine debitis dispositionibus. Quemadmodum igitur, ut docent DD., Regularis, qui data opera iter arripit, ut extra Ordinem confiteatur, virtute privilegiorum, quæ illi unice conceduntur, ne diu careat Sacramento, non potest valide absolvi propter ejus fraudem, et dolum, ut videri potest penes Rotarium de pœnit. cap. 1, ita pari ratione in casu nostro.

CAS. II. — Confessarius ex Confessione Franciscæ cognovit, ipsam ignoranter contraxisse Matrimonium cum impedimento dirimente Affinitatis in primo gradu, orto ex copula illicita cum Fratre sui Viri; timet autem, ne mulier certior facta Impedimenti, adhuc sit habitura rem cum suo putato Viro. Qu. Quomodo se gerere debeat Confessarius?

Resp. Si Confessarius agnoscat, ignorantiam Franciscæ fuisse, et esse invincibilem, quod bona fide contraxerit Matrimonium cum tali impedimento, in eoque permaneat, non debet illam de tali impedimento admonere, sed in sua bona fide relinquere. Ratio est, quia,

stante tali prudenti, et rationabili dubio, aut timore, ne adhuc esset rem habitura cum suo putato Viro, ejus admonitio careret fine, imo esset occasio majoris mali in Francisca ipsa; quippe quæ cum hactenus fuerit in statu peccati materialis sine offensa Dei; admonita constitueretur in statu peccati formalis cum Dei offensa. Igitur Confessarius noster debet perbelle suadere Franciscæ, ut denuo post congruum tempus ad se redeat; interim vero a sacra Pœnitentiaria dispensationem secreto petere, eaque obtenta, et Francisca ad se redeunte, eam de impedimento certiorem facere, petita tamen prius licentia secum loquendi de auditis in Confessione; et cum illa dispensare super dictum impedimentum, servatis servandis. Si vero Confessarius deprehendat, Franciscæ ignorantiam fuisse, aut esse vincibilem, et culpabilem, debet ex officio eam monere de impedimento, quia jam est in malo statu: quod si nolit abstinere a copula cum putato Viro, cæterisque illicitis inter solutos, donec dispensatio obtineatur, eam sine Absolutione dimittat. Ita communiter cum Alario verb. *Matrim.* num. 56, Suarez tom. 4, disp. 32, sect. 5, num. 3. Diana, Navarro, Giribaldo, et aliis.

CAS. III. — Sacerdos ruri commorans quodam mane, deficiente ministro, qui in Missa respondeat, et ministret, ipse sibi respondet, et ministrat. Qu. An licite?

Resp. negative, si nulla urgeat necessitas. Ratio est, quia facit contra præceptum Ecclesiæ prohibentis pluribus in Conciliis relatis a Juvenin. tom. 1, dissert. 5, q. 7, cap. 1, art. 4, ne Sacerdos sine uno saltem ministro celebret, revocatis privilegiis, alias Monachis inclusis, de quibus Emin. Bona, concessis. Hinc Suarez disp. 87, sect. 2. Facundez in primum præcept. lib. 2, cap. 21, n. 4, et alii arguunt culpæ lethalis contrafacientes, tanquam delinquentes in re gravi; limitant tamen in casu gravis necessitatis, ut cum dandum est Viaticum Infirmo in periculo vitæ constituto, cum audiendum est Sacrum in die Festo et hujusmodi, nec non in casu specialis dispensationis, et privilegii.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Puella undecim annorum habuit copulam incompletam cum Viro ; in Confessione autem se accusavit tantummodo se habuisse tactus inhonestos cum illo , reticens copulam , partim ex rubore , partim quia ignorabat modum se explicandi , parata tamen totum fateri , si a Confessario fuisset interrogata , ut putabat ; sed cum Confessarius eam non interrogaverit , ita Confessionem absolvit. Qu. An fuerit valida ejus Confessio?

Resp. affirmative : non quidem quod Puella sufficienter expressit peccatum suum dicendo , se habuisse tactus inhonestos cum Viro ; copula enim, quantumvis incompleta, utpote participans diversimode a puris tactibus inhonestis malitiam specificam luxuriæ, explicanda est in Confessione secundum suam individuationem , ut ex propos. damn. ab Alex. VII. Ordine 25, et ex communi Fidelium praxi colligit Dominicus Viva; sed quia reticens copulam ex ignorantia modi se explicandi , quod , attenta ejus parva ætate, et animo alias parato ad totum ingenue fatendum , si a Confessario, ut putabat, fuisset interrogata, credibile est, fuisse præcipuum motivum ejus reticentiæ , bona fide potius , quam malitiose Confessionem suam sine expressione copulæ absolvit ; per hujusmodi autem bonam fidem , seclusa positiva malitia, satis probabiliter potest puella ista excusari a non servata omnimoda integritate suæ Confessionis, ut in simili docet Alarius, lib. 5, verbo *Confessio* num. 55 , de eo , qui nunquam confessus sit numerum peccatorum , quod a Confessario non fuerit interrogatus , quem dicit, si abfuit malitia, satisfacere explicando postea numerum , et negligentiam in præteritis Confessionibus , quin easdem repetat; licet, ut postea subdit, tutius esset id per Confessionem generalem præstare. Ergo etiam Puella in casu nostro, adveniente majori cognitione , suæ obligationi satisfaceret explicando omissam copulæ incompletæ individuationem.

CAS. II. — Clericus ordinatus in sacris anno elapso, in quo festum sancti Laurentii Justiniani accidit die Dominica, ex devotione erga dictum Sanctum, Officium ejus transtulit ad primam diem non impeditam, quamvis in Breviario sit ad libitum, eaque die aliud Officium non recitavit. Qu. An satisfecerit suæ obligationi?

Resp. negat., nisi id fecerit bona fide; putans etiam Officium Sancti ad libitum esse transferendum. Ratio est, cum S. R. C. pluribus in Decretis a P. Merati citatis tom. 2, p. 1, sect. 3, c. 10, in novis observ. et addit. ad Gavanti comment. declaravit, hujusmodi Officia occurrentia in die impedita alio Officio de præcepto non esse transferenda. Clericus noster ea die, qua officium S. Laurentii Justiniani translatum recitavit, omisso alio, quod fuisset de præcepto recitandum, data opera, et pro libito suo unum Officium in aliud mutavit, et sic formam a S. Pio V præscriptam ea die non servavit, ac proinde nec suæ obligationi satisfecit, ut idem Summus Pontifex ibidem declarat, dicens = *neminem ex iis, quibus hoc dicendi, psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse.* Nec juvat Clericum nostrum illud proloquium apud Theologos Moralistas commune = Officium pro Officio = quia hoc intelligendum est, quando mutatio accidit ex errore, ex inadvertentia, bona fide; non enim est præsumendum, Ecclesiam velle obligare ad duo Officia eadem die recitanda illum, qui sine culpa est; non autem quando mutatio sit voluntaria, et data opera, adeoque culpabiliter. Ita Bellarm. Regin. Homob. Gavantus, Rosignol. aliique magis communiter.

CAS. III. — Andreas Sacerdos celebrans Missam Defunctorum pro Patre Antonii, a quo recepit eleemosynam, dicit Orationem, quæ in Missali assignatur pro Patre. Qu. An bene?

Resp. negative. Ratio est, quia hujusmodi Oratio posita in Missali pro Patre, assignatur tantum pro Patre ipsiusmet Sacerdotis celebrantis, ut ostendit titulus, qui eidem præfigitur; non bene ergo dicitur pro Patre ejus, qui tribuit eleemosynam, nam alias dicit Gav.

tom. 1, p. 4, tit. 18, de Rubr. Missar. pro Defunctis n. 15, de Patre cujusque non convenit Oratio in ore Sacerdotis, ut patet audienti.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Rusticus Diœcesis Bononiensis in die festo sancti Petronii summo mane, negotiorum causa, profecturus est Mutinam. Qu. An, et ubi teneatur Missam audire?

Resp., nullibi teneri Missam audire : non in Territorio Bononiensi, cujus supponitur incola, et a quo summo mane discedens proficiscitur Mutinam; quia præceptum audiendi Sacrum die festo, utpote affirmativum, obligat quidem toto illo tempore, quod concluditur ab aurora ad meridiem diei, plus minusve, sed non obligat pro aliqua determinata dicti temporis hora, adeoque in qualibet bene visa impleri potest. Rusticus ergo noster, antequam iter aggrederetur, non tenebatur implere præceptum auditionis Sacri, sed poterat differre ad meridiem usque; si igitur circa hanc horam jam creditur extra territorium, a quo liberum illi erat egredi, in ipso Sacrum audire non tenebatur : sed neque extra Territorium tenetur; quia extra territorium, in quo Festum non celebratur, non urget præceptum audiendi Missam, quippe quod locum afficit, non Personas; nullibi ergo tenetur : ita Diana p. 1, tr. 10, resol. 14. Palao, Antonius a Spiritu Sancto, Sanchez, Girib. et alii. Limitant hanc sententiam, alioquin communem, primo Naldus : dummodo iter faciens circa meridiem jam sit e territorio egressus; alias Missam audire vel tenebatur, antequam iter aggrederetur, si prævidit non posse alibi audire; quia qui prævidet, se impeditum iri ab impletione præcepti, tenetur prævenire; vel tenetur postea, ubicumque opportunitas Missam audiendi ei se præsentet; quia ut dictum est, præceptum respectu illius adhuc urget. Secundo Felix Potestas : Dummodo causa egrediendi a territorio sit vera, et absit fraus, ut dicitur de Absolutione a reservatis, quæ ne-

mini patrocinatur. Tertio Suarez : Dummodo nullum adsit periculum scandali, nullaque sit Constitutio vel Episcopalis, vel Synodalis, quæ omnino servanda esset, sicuti et consuetudo, si quæ pie, et sancte introducta reperitur, ut de facto reperiri apud plerosque populorum idem Doctor censet.

CAS. II. — Famulus se accusat in Confessione, quod de mandato sui Heri furatus est modium tritici, de quo tamen nihil ipse participavit : Confessarius eumdem obligat ad restitutionem, si Herus ipse non restituat. Qu. An juste?

Resp. affirmat. Ratio est, quia tam Jubens seu Mandans, quam Executor, seu Mandatarius sunt causa totalis Furti, licet ille magis principaliter, iste vero minus : uterque igitur tenetur ad integram restitutionem rei ablatæ; Jubens quidem, seu Mandans prius, independenter, ut ita dicam, a quocumque alio, utpote causa principalior; executor vero, seu Mandatarius in defectu illius. Juste igitur Confessarius in casu nostro obligat Famulum ad restitutionem tritici ablati de mandato Heri, si Herus ipse non restituat. Nec juvat, quod nihil famulus participaverit; nam hoc inducit utique aliam obligationem in Hero ad restituendum prius, et ex integro, utpote ille, apud quem res ablata reperitur, vel a quo consumpta est; at non eximit ipsum Famulum ab obligatione restituendi, si Herus non restituat; sicuti non eximeretur ab obligatione reparandi damna, si quæ forte de alterius jussu, vel mandato intulisset, per hoc, quod nihil in re lucri percepisset : ita communiter.

CAS. III. — Idem Famulus impotens de præsenti ad restituendum, pro quiete suæ conscientiæ petit per alium a Domino tritici condonationem, eamque obtinet. Qu. An per hujusmodi condonationem etiam Herus dicti Famuli sit absolutus in conscientia ab obligatione restituendi?

Resp. negative. Ratio deducitur ex mox dictis, quia Herus utpote Mandans, est causa principalis, Famulus

autem minus principalis. Jam vero licet absoluta ab obligatione restituendi causa magis principali ab eo, cui furatum est, censeatur, et sit absoluta etiam causa minus principalis, non sic e converso, ut docent communiter Doctores; sed sicuti restituente causa minus principali in defectu principalioris, hæc adhuc tenetur illi damnum compensare; ita, supposita etiam condonatione facta causæ minus principali, adhuc principalior tenetur restituere : ergo Herus in casu nostro non est a sua obligatione absolutus. Nec juvat, quod forte dominus tritici ignoret, causæ condonet, et putet etiam principaliori se condonare; quia profecto motivum, quo ad condonandum inducitur, est impotentia petentis : ergo hunc solum, et ex tali motivo ab obligatione restituendi absolvit.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Sejus vocatus ad ferendum testimonium circa Patrimonium, sciebat ficte ab amico constitui pro quodam Clerico, ut amicitiæ deferret, testatus est falsum. Qu. An possit a quolibet simplici Confessario absolvi?

Resp. affirmative. Ratio est, quia licet Sejus in casu nostro graviter peccaverit, et insuper excommunicationem incurrerit latam in Synodo lib. 2, cap. 8, contra Testes deponentes falsum circa bona Patrimonii; tamen in nullam Reservationem incidit : non ratione peccati, quia in tabella casuum Reservatorum reservatur solummodo peccatum constituentium Patrimonium fictitium; et de peccato Testium deponentium nulla fit mentio; non ratione excommunicationis, quia ejus Absolutio in Synodo nulli reservatur, ut legenti patebit; si autem eam reservatam voluisset, expressisset utique, sicuti expressit de excommunicatione lata contra Sponsos de futuro, si cohabitantes invicem se cognoscant : ergo potest a simplici Confessario absolvi.

CAS. II. — Sponsus de futuro frequenter cogitat de copula habenda cum Sponsa post contractum Matrimo-

nium per verba de præsenti ; de eaque morose delectatur. Qu. An peccet lethaliter ?

Resp. affirmat., si sit vera delectatio sensibilis, et non purum desiderium, excludens quemcumque actualem affectum malum de copula futura, habenda tempore, quo, contracto Matrimonio per verba de præsenti, licita erit. Ratio est, quia talis sensibilis delectatio de præsenti habita appetitus sensitivi non habet pro objecto copulam futuram, ut futuram, sed copulam, quam veluti præsentem apprehendit, et cujus, vel saltem pollutionis de præsenti est veluti inchoatio, et causa. Cum igitur Sponso de futuro copula non sit de præsenti licita, si de ea delectatur, vere delectatur de objecto graviter malo, ut patet, et sic graviter quoque peccat. Ita Sanchez, Bossius, Girib. et alii.

CAS. III. — Mævius, et Theresia, ex dispensatione Ordinarii, contracto Matrimonio per verba de præsenti tempore prohibito sine solemniis, transacto eodem tempore, petunt a simplici Sacerdote, ut Missam dicat pro Sponsis, ac benedicat de more Nuptias. Qu. An iste simplex Sacerdos licite possit ?

Resp. negat. Ratio est, quia Benedictio Nuptiarum, utpote Solemnitas ipsius Matrimonii, est de jure ejus, cujus est Matrimonio assistere, sicque proprii contrahentium Parochi ; non potest ergo alter a proprio Parocho, sive simplex Sacerdos sit, sive etiam alter Parochus, licite Nuptias benedicere, nisi id faciat de licentia proprii Parochi ; et si absque ejus licentia benedicere auderet, incurreret ipso jure pœnam suspensionis impositam a Trid. sess. 24, c. 1, et reservatam quoad absolutionem Ordinario proprii Parochi. Quin imo Synodus nostra lib. 3, cap. 3, declarat, nec etiam proprio Parocho licere hanc Benedictionem, et hujusmodi propriis Capellanis demandare, salvo tamen legitimo impedimento ; ergo minus licebit simplici Sacerdoti sine licentia eamdem impertiri.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Parochus sollicitatus a Parochiana ad turpia, non consentit; dicit tamen = Bonum tibi, quod sim Parochus, si non essem Parochus. . . . Qu. An sic dicens graviter peccet?

Resp. affirmative: peccat enim primo peccato scandali, quia per illa verba satis indicat Parochianæ sollicitanti ad turpia suam voluntatem consentiendi in illa; quodque ideo non consentit, quia timet pœnam, reservationem scilicet, in quam consentiendo incurreret; non quod odio habeat culpam, et Dei offensam. Deinde peccat etiam contra Castitatem, quia talis voluntas est vera delectatio turpium, nec eum excusat conditio illa apposita = Si non essem Parochus = quia hujusmodi conditio non tollit omnem malitiam ab objecto, sed solam illam majorem deformitatem, quam peccatum suum contraheret ex conditione personæ, quippe cum consentire in turpia malum sit, et illicitum cuicumque, etiam non Parocho; ita cum Bonac. Alar. Palao, Girib. Doctores communiter. Excusaretur tamen a peccato gravi contra Castitatem, si non serio, et ex animo, sed solum ex quadam levitate talia verba proferret: at non sic puto posse facile excusari a peccato gravi scandali; quia attenta propria conditione Parochi, tenetur ex officio acriter sollicitantem reprehendere, et a proposito, quantum in se est, removere; unde ne ex levitate quidem potest sine gravi scandalo voluntatem consentiendi simulare.

CAS. II. — Vir quidam dives augendarum opum desiderio flagrans, deliberate exoptat, ut Milites exteri iterum Regionem hanc invadant, suasque in ea moras ducant, ut ipse carius exinde fruges vendat. Qu. An peccet contra decimum Decalogi præceptum?

Resp. affirmative. Ratio est, quia iste Dives adhuc magis ditescere concupiscit cum aliorum proximorum damno, quod pati universaliter coguntur, Militibus suam

Regionem invadentibus, in eaque moram trahentibus; quod enim propterea fruges carius vendantur, cadit profecto in grave damnum Pauperum; inde id deliberate intendere, est velle proprias opes augere modis illicitis, quod prohibetur decimo Decalogi præcepto : contra hoc igitur peccat Dives in casu nostro deliberate exoptans etc. Ita ex Girib. tr. 14, in fine.

CAS. III. — Capellanus in nocte Nativitatis Domini immediate post Laudes recitat etiam quatuor horas Diurnas, putans sequenti mane se nimis occupandum in audiendis Confessionibus. Qu. An recte se gerat?

Resp. affirmative. Ratio est, quia ex una parte substantia præcepti recitationis Divini Officii, quæ obligat sub gravi, consistit in hoc, quod dicantur horæ Canonicæ singulis diebus naturalibus, qui concluduntur ab una media nocte ad aliam mediam noctem; quod autem dicantur tali determinato diei tempore, est modus quidam, et circumstantia non adeo necessaria, et obligans duntaxat sub levi : ex alia vero parte ad excusandum ab hujusmodi levi culpa, sufficit quæcumque causa, etiam levis, non servandi tale tempus determinatum pro unaquaque hora, ut cum Tamb. Lcand. Diana, et Girib. docent communiter Doctores : ergo a fortiori immunis erit a quacumque culpa, qui id præstat ex motivo charitatis; quin imo si propterea tempus præveniat, recte insuper se gerit, exercens actum prudentiæ, et diligentiæ. Cum igitur Capellanus noster in Nocte Nativitatis Domini ideo immediate post Laudes recitet quatuor horas Diurnas, et sic præveniat tempus recitationis earumdem, quod prævideat sequente mane se nimis occupandum in audiendis Confessionibus, quod est opus excellentissimæ Charitatis, recte utique se gerit.

ANNO MDCCXLVII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Vitalis proprium Filium, quem habuit ex Berta, in casu extremæ necessitatis baptizat. Qu. An cognationem spiritualem contrahat cum Berta?

Resp. cum distinctione : vel Berta est legitima Uxor Vitalis, vel non. Si primum, nullam cum ipsa contrahit cognationem spiritualem, ut expresse habetur in cap. *Ad limina* 33, p. 1, et ratio est, quia hæc cognatio spiritualis esset Vitali maxima pœna, cum eidem usum Matrimonii impediret, quæ pœna consequitur culpam. Quis autem dicet, peccare Vitalem proprium Infantem ex Berta sua legitima Uxore genitum baptizando in casu extremæ necessitatis? Meretur potius, quia suæ obligationi satisfacit, et spirituali saluti consulit susceptæ prolis. Si secundum, inter Vitalem et Bertam consurgit cognatio spiritualis, quæ subsequens Matrimonium impedit, ut clare colligitur ex cit. cap. *Ad limina*, ubi tantum excipitur casus Patris baptizantis proprium Filium ex propria Uxore susceptum, jam Matrimonio contracto. Neque hic urget superior ratio, nam cognatio spiritualis orta post Matrimonium contractum est pœna, non vero si oriatur ante Matrimonium; etenim eo tunc pertinet potius ad quoddam amicitiæ genus, et vinculum unitatis, in cujus reverentiam Ecclesia Matrimonium prohibuit inter personas cognatione spirituali obstrictas; et de facto Parochus baptizans cognationem spiritualem contrahit, quin sit pœna. Ita Sanchez de imped. matrim. disp. 62, n. 10. Bonac. tract. 1, de Bapt. resol. 96, n. 6. Girib. et alii.

CAS. II. — Quidam Sacerdos non abstergit Purificatorio Calicem, intra cujus latera nonnullæ guttæ adhærent, ab alia materia, quæ est in fundo Calicis, separatæ. Qu. An guttæ illæ consecratæ remaneant?

Resp. cum distinctione : vel guttæ sunt separatæ a

vino existente in fundo Calicis ante infusionem aquæ, vel post. Si primum, non remanent consecratæ, quia cum sic non sint licite consecrabiles, utpote cum aqua non mixtæ, præsumendum non est, in Sacerdote adfuisse intentionem eas consecrandi, secus graviter peccaret. Si secundum, probabilius remanent consecratæ, quia sunt guttæ vini aqua permixti; sunt intra Calicem, et per pronomen *hic* designantur; ergo ad eas licite poterat dirigi intentio consecrantis. Verum quia regulariter istæ guttæ resiliunt in prima infusione vini, antequam aqua infundatur, recte Gavantus 3 p. in Rubricas Miss. tract. 7, n. 4. Puteob. q. 1, de Euch. art. 4, n. 6. Girib. aliique docent, consecratas non esse. Ad repellendos scrupulos curet Sacerdos ante consecrationem unire has guttas cum aliis partibus, si commode id fieri possit, alioquin eas linteolo abstergat, ut monet cit. Gavant.

CAS. III. — Terentius recusat sedere ad Convivium, ubi tredecim sunt invitati, eo quod timeat, unum ex discumbentibus eo anno esse moriturum. Qu. An incidat in grave peccatum superstitionis?

Resp. cum ex D. Thom. timor pertineat ad appetitivam potentiam, quæ in homine cognitionem sequitur, examinandum est, an Terentius ex firmo intellectus assensu, an ex levi tantum credulitate, ad mortem timendam in casu ducatur. Si primum, graviter superstitiose peccat. Ratio est, quia cum nec convivium, nec numerus discumbentium apta sint significare, et multo minus causare mortem, neque de hoc ulla Divina institutio, aut traditio: si mors firmo judicio timetur, id evenit unice ex pacto tacite inito cum dæmone, ut in simili docet D. Aug. lib. 2, de Doctrina Christ. cap. 20, quod superstitiosum est, cum timeatur malum ex medio prorsus inutili, et a Divina providentia minime instituto. Si vero Terentius levi tantum credulitate ducatur, et sine aliqua certitudine futuri eventus, graviter non peccat, quia id potius ex animi levitate, quam ex præsumptione mali, et pacti taciti initi cum dæmone evenit. Limitant tamen DD. hanc responsionem, dummodo quis

admonitus de tacita dæmonis invocatione, a vana illa observantia desistat, alias, cessante eo, tunc ex ignorantia graviter peccat. Ita Less. de superstit. lib. 2, cap. 45, dub. 7, n. 43. Suarez, Girib. et alii.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Judex in causa duorum litigantium, rationes habentium hinc inde probabiles, ut sine injustitia in utramlibet partem inclinare possit, ab uno pecuniam accipit, ut in sui favorem sententiam ferat. Qu. An peccet, et teneatur ad restitutionem?

Resp. affirm. quoad utramque partem. Ita præsentem casum resolvisse visus est Alex. VII, prop. 26. proscribendo = Quando Litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio = ex cujus damnatione licet dilucide duntaxat appareat, non posse in casu Judicem pecuniam accipere, infertur tamen, etiam ad restitutionem teneri. Ratio est, quia Judex ex justitia tenetur gratis totam, et integram litem adjudicare; sed quando Judex aliquid accepit pro adjudicanda sententia uni potius, quam alteri, gratis non adjudicat, vendit quod vendibile non est, neque dat totum, ad quod ex justitia tenetur; ergo peccat contra justitiam et ad restitutionem tenetur. Eruitur ex P. Viva in dictam propositionem damnatam.

CAS. II. — Confessarius in actuali Confessione Pœnitentem sollicitat ad actus ex sua natura tantum venialiter inhonestos. Qu. An sit denuntiandus?

Resp. affirm., et ratio est, quia licet actus aliqui videantur ex natura sua tantum venialiter inhonesti, ex circumstantia Confessionis Sacramentalis lethales evadunt propter gravissimam injuriam, quæ Sacramento irrogatur, et graviter virtuti Religionis opponuntur; et sexcentis exemplis constat, actus alias leves ex natura sua, ex aliqua circumstantia adjecta fieri graves, maxime si circumstantia addat oppositionem alteri virtuti.

Additur, ex signis etiam leviter duntaxat inhonestis facile colligi a Pœnitente animum Confessarii progrediendi ad ulteriora; consequenter habetur totus finis legis præcipientis denuntiationem Confessarii sollicitantis ad turpia. Bossius dub. 28, n. 51. Felix a Potest. t. 2, part. 3, c. 4. Girib. et alii.

CAS. III. — Titius, dum die Festo audit Missam, sua confitetur peccata. Qu. An satisfaciat præcepto?

Resp. cum distinct., vel longa est ejus Confessio, vel expedita; si primum, adeo ut Sacerdos eo tempore notabilem Missæ partem absolvat, Titius non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Ratio est, quia licet Confessio sit actio spiritualis, tamen excludit attentionem internam, quæ necessaria est adimpletioni præcepti audiendi Missam, ut experientia docet, cum Pœnitens totus sit in exponendis peccatis, excipiendis Confessarii admonitionibus, etc. quæ mentem abstrahunt ab iis, quæ in Sacrificio fiunt. Si secundum, Titius satisfacit, quia brevitas temporis non tollit substantialiter adimpletionem præcepti, sicuti in aliquibus aliis præceptis parvitas materiæ excusat ab eorumdem transgressione. Adverte tamen, eam Missæ partem, a qua Titius est distractus per Confessionem etiam brevissimam, non debere esse de substantia Sacrificii: nam si ad ejus essentiam spectat, quales sunt consecratio, oblatio, et per plures etiam sumptio, Titius non satisfecit, quia, licet istæ partes modicæ sint quoad durationem, maximæ tamen sunt quoad substantiam, et essentiam Sacrificii. Ita Girib. Rosignol. et alii communiter.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Antonius pœnitentiam Sacramentalem sibi a Confessario impositam adimplere non curat, dicens, per acquisitionem Indulgentiæ Plenariæ se velle Deo satisfacere. Qu. An excusetur ab onere adimplendi talem pœnitentiam?

Resp. Quamvis aliqui doceant cum, qui consequitur

Plenariam Indulgentiam, solvi ab onere adimplendi pœnitentiam a Confessario injunctam, tamen censeo cum Girib. aliisque, apud ipsum tract. 7, cap. 12, dub. 10, n. 64, non excusari. Ratio est, quia pœnitentiæ executio spectat ad integritatem Sacramenti, estque de jure divino; et sic, licet possit Pœnitens Indulgentiam Plenariam lucrando, aliisque mediis satisfacere pro pœna temporali ex peccato absoluto relicta, adhuc tamen tenetur satisfactionem adimplere, ut faciat Sacramentum integrum : tum quia, cum pœnitentiæ, ut plurimum, nedum sint satisfactoriæ pro peccatis præteritis, verum etiam medicinales ad præcavenda peccata futura, earum efficacia non compensatur adæquate Indulgentiam lucrando : ergo neque tollitur earumdem obligatio. Alias rationes vide apud Girib. cit.

CAS. II. — Cajus simplici Confessario confitetur peccata reservata; hic adit Superiorem, ut petat facultatem illum absolvendi, et eam obtinet; sed antequam absolutionem impendat, reperit Cajum in aliud peccatum pariter reservatum de novo incidisse. Qu. An vi obtentæ facultatis possit illum etiam ab hoc ultimo peccato absolvere?

Resp. cum distinct. Vel Confessarius facultatem obtinuit absolvendi Cajum a quibuscumque casibus reservatis sine distinctione aut exceptione aliqua : vel impetrata facultas limitata est quoad speciem peccatorum, indeterminata tamen quantum ad numerum : vel tandem nedum quoad speciem, sed etiam quoad numerum definita. Si primum; est valde probabile, posse Cajum etiam ab illo ultimo peccato reservato absolvi, quia facultas obtenta illimitata est, ac videtur a Superiore concessa juxta indigentiam Caji usque ad ultimum Confessionis complementum. Si secundum, non potest absolvi, si illud ultimum peccatum specie differat a prioribus, cum sub concessa facultate non veniat : si vero claudatur sub eadem specie, probabilius potest absolvi propter rationem superius allatam. Tandem si tertium asseratur, negative respondeo; cum enim Superioris voluntas in casu nedum quoad speciem, sed etiam quoad

numerum limitata sit; talis etiam impetrata facultas censenda est. Ita Rosign. de pœnit. quæst. 8, art. 19, sect. 4. Tambur. de casib. reserv. cap. 9, qui tamen, quæ primo, et secundo loco diximus, cum aliquo scrupulo admittit. Adverte in hac Diœcesi, cum regulariter facultas quæratur de jam auditis, ad ea duntaxat censetur limitata, unde non posset Cajus a reservato, post obtentam facultatem perpetrato, absolvi.

CAS. III. — Parochus lampadem ante Sacramentum Altaris non tenet accensam. Qu. An lethaliter peccet?

Resp. affirm., si per diem, aut noctem integram id negligat: id deducitur ex Rit. Rom. de sacra Euch. in Rub. § 9. = Lampades coram eo, nimirum Venerabili Eucharistiæ Sacramento, plures, vel saltem una, die, nocteque perpetuo colluceat = quæ Rubrica cum respiciat cultum tanto Sacramento sub gravi debitum, graviter delinquit Parochus illum negligens : tum quia sicuti ex communi DD. sententia in nullo casu licitum est sine lumine Eucharistiam conficere, quamvis urgeret necessitas deferendi Viaticum moribundo, ita cum eadem reverentia debeatur Eucharistiæ in incruento Sacrificio oblatæ, ac in Sacrario asservatæ, a gravi culpa excusari nequit Parochus negligens, per diem, aut noctem integram, ut lampas ante sanctissimum Sacramentum ardeat. Diana t. 2, tract. 1, resol. 154. Gobat. Bordonus, et alii.

MENSE APRILIS.

CAS. I.— Terentius peccator occultus enixe rogat Sacerdotem, ut, ad Sacrilegium, et grave ipsius damnum vitandum, illum particula non consecrata communicet. Qu. An hoc licite præstari possit a Sacerdote?

Resp. negat.; siquidem ex Innoc. III, cap. *de Homine*, de celebrat. Missarum, falsa sunt abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora. Ratio autem est, quia, ut inquit D. Thom. 3 part. quæst. 80, art. 6, ad secundum, Sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idolola-

trare illos, qui credunt esse hostiam consecratam, seu alios præsentes, sive etiam ipsum sumentem; quia, ut Augustinus dicit, nemo carnem Christi manducat, nisi prius adoret, quod sane gravius est malum, quam formulam consecratam dispensare indigno, ut clare infertur ex laudato Canone, et ideo, etc.

CAS. II. — Quidam Parochus Indulgentiam centum annorum obtinuit pro illis omnibus, qui diebus Festivis, Vesperis, et Benedictionibus intersunt. Qu. A Parocho illius Indulgentiæ explicatio?

Resp. In concessione Indulgentiæ centum annorum non est sensus, quod per illam relaxetur pœna luenda per centum annos in Purgatorio; sed quod remittatur tanta pœna Purgatorii, quanta deleta fuisset per pœnitentiam centum annorum juxta antiquos Canones; nam olim pro gravibus peccatis, verb. gr. Adulterio, Homicidio, etc. pœnitentia septem, et plurium annorum injungebatur; unde qui centum et mille peccata commisisset, debuisset centum et mille annis pœnitere, si fieri potuisset. Illas tamen pœnitentias agentes non solebant continuo, sed semel atque iterum jejunare, aut similem afflictionem subire, ut docet hic Cardin. Bellarm. Itaque centum annorum Indulgentiæ primario referuntur ad pœnam in hoc sœculo exsolvendam juxta laudatos Canones; secundario, seu consequenter ad pœnam Purgatorii, quia omnis Indulgentia minuendo ab Ecclesia injuncta, minuit etiam partem pœnitentiæ, quæ eidem in altera vita, secundum mensuram soli Deo cognitam, respondet.

CAS. III. — Clericus Beneficium adeo tenue obtinuit, ut ad suæ vitæ sustentationem non sufficiat. Qu. An Officium Divinum recitare teneatur?

Resp. affirmat. Quia omnia jura clamantia, Beneficium dari propter Officium, generaliter loquuntur, nec inter pingue, ac tenue distinguunt, ut cap. ult. de rescript. in 6, Concil. Later. subLeone X, serm. 9 et clarius in Constit. S. Pii V, versiculo *Declarantes*, *etc.*,

et qualiacumque alia Beneficia; sed Beneficium, quantumvis tenue, est verum beneficium : ergo, etc. Neque obstat illud proloquium = qui Altari inservit, de Altari vivit = hoc enim non valet de illo, qui sponte inductus est minori stipendio; Clericus autem sponte Beneficium acceptavit; ergo voluntarie se omnibus ejusdem Beneficii oneribus subjecit; præsertim cum servitium Altaris diem non consumat, unde alia via potest sibi victum comparare, ut dicitur in cap. *Clericus*, dist. 91. Girib. tract. 5, in primum Decal. præc. c. 5. Homobonus, Gavant. et alii.

MENSE MAII.

CAS I. — Parochi quidam rurales, occasione Festi propriæ Ecclesiæ, et Exequiarum, nullo facto verbo cum præsente Plebano Archipresbytero, alteri ex Parochis Missam decantandam committunt : conquerenti autem Archipresbytero respondent : Archipresbyter, et Parochi pares sunt. Qu. An recte se gesserint, et verum responderint?

Resp. in hoc casu, qui fortuito in harum Decisionum seriem irrepsit; primo, servandas esse consuetudines locorum, quæ, ut inquit Fagnanus l. 1, decret. cap. 7, n. 12, in similibus fere tot sunt, quot Diœceses; secundo afferam § P. Anacleti Reinfestuel. l. 1, decret. tit. 24 de Archipresbytero. = Illud duntaxat juvabit addere quoad Archipresbyteros, seu Decanos rurales, quod ipsi debeant sedulo circumspicere mores, vitamque aliorum Presbyterorum, et Clericorum in suo Archipresbyteratu, atque attendere, qua industria per eosdem Cura exerceatur animarum, idque Episcopo renuntiare. Insuper Clericorum suorum leviora jurgia amicabiliter componere. = Cumque laudatus Auctor nil amplius addat; neque ego aliquid adderem, nisi quod certo certius esset, ac ab omnibus Constitutionibus Synodalibus sancitum Archipresbytero Plebano, tum propter præeminentiam muneris, tum propter nomen ipsum Archipresbyteri, quod dignitatem redolet, multum honoris etiam supra simplices Parochos esse deferendum. Harum brevium responsionum institutum plura non patitur.

CAS. II. — Mortuo Divite, et instantibus Hæredibus, publicatur Monitorium cum Excommunicatione Majore contra eos, qui aliquid de ejus bonis acceperunt, si quamprimum non restituant; Fabius dicti Divitis Creditor, arrepta Mortis occasione, se compensavit in ejus bonis; dubitans modo, an teneatur restituere, ne Excommunicationem incurrat, consulit Confessarium. Qu. Confessarii responsum?

Resp. non teneri ad restitutionem, neque Excommunicationem incurrere. Ratio est, quia Excommunicatio major, cum sit maxima pœna, non incurritur nisi ob peccatum lethale; in casu autem hujusmodi peccatum non intervenit, ut patet: idque maxime, si compensatio fuerit licita. Quod si fuerit illicita, puta, quia propria auctoritate se compensavit, cum absque gravi incommodo per Judicis sententiam rem suam recuperare potuisset, adhuc non restituendo, Excommunicationem non incurrit, si tamen ejus Creditum erat certum, et liquidum, nec plus quam sibi debeatur, accepit; ratio est, quia talis retentio, quæ sola latæ Excommunicationis est motivum, nec illicita est, nec culpabilis, ac proinde neque obnoxia pœnæ.

CAS. III. — Octavius Votum fecit jejunandi singulis annis in Festo sanctæ Apolloniæ; sed cum hoc quandoque incidat in diem Dominicum, dubitat an hac die, vel Sabbato antecedente jejunare teneatur. Qu. Dubii solutio?

Resp., cum ex D. Thom. 2, 2, q. 147, art. 5, jejunium sit duplex, aliud afflictionis, ad macerandum corpus, ut illud spiritui subdat, aliud exultationis, ut jejunans liberius contemplationibus vacet, et magis ad spirituale gaudium, Festumque celebrandum disponatur, videndum est, an Octavius in Voto jejunii primum finem intenderit, an secundum; si primum, debet jejunare in Sabbato præcedenti juxta morem, et usum universalis Ecclesiæ: si secundum, videtur, quod debet jejunare die Dominico. Ratio est, quia hoc jejunium licitum est; votum autem licitum obligat. Esse autem lici-

tum, constat ex D. Hieron. epist. ad Lucinium, D. Thom. cit. D. Antonino p. 2, tr. 11, cap. 2, aliisque apud Sayrum lib. 6, cap. 8. Neque obstat, quod can. *Si quis presbyter*, disp. 30, jejunium die Dominico prohibeatur; nam id intelligitur, quando jejunatur ex contemptu diei Dominicæ, vel ex superstitione, et errore hæreticorum; alias ex devotione licet. Cæterum pro praxi, in dubio præfatæ intentionis, et etiam universalius loquendo, licet possit jejunare die Dominico, regulariter consulendum est, ut se conformet spiritui Ecclesiæ, ad vitandam singularitatem.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Antonius prima Jubilæi hebdomada absolutus a reservatis, secunda hebdomada alia peccata pariter reservata committit. Qu. An iterum possit absolvi?

Resp., non est improbabilis opinio affirmativa. Ratio esse potest, quia concessio hæc est favor, qui non est restringendus, sed ampliandus : tum quia secus quis diligentia sua sibi noceret, dum scilicet ex sua devotione cæteros præveniendo in acquisitione Jubilæi in ipsa prima hebdomada, non posset illud in secunda lucrari, ut faciunt, qui etiam ex negligentia omiserunt in prima præstare opera ad illud consequendum requisita. Opinio tamen negans probabilior est, ac in praxi tutior, ut docet Mazuchellus, et Girib. aliique de Jubilæo, maxime si extat declaratio sacræ Congregationis Concilii sub. Clem. VIII, mense Maii, anno 1620, cui obtemperandum est.

CAS. II. — Silvester habens peccatum mortale in anima, cujus non recordatur, confitetur in Paschate sola venialia; sed cum post mensem a facta Confessione illius peccati reminiscatur, dubitat, utrum ad implendum præceptum teneatur denuo confiteri. Qu. Dubii solutio?

Resp., Silvestrum teneri quamprimum confiteri peccatum in priori Confessione oblitum. Ratio est, quia ad-

huc urget præceptum annuæ Confessionis, cui non est satisfactum a Silvestro per Confessionem duntaxat venialium; ergo tenetur illud mortale oblitum quamprimum subdere clavibus. Dixi, quamprimum : quia licet tempus annuæ Confessionis a prima die Januarii usque ad finem Decembris permulti computent; facilior tamen computatio est, et Ecclesiasticæ consuetudini conformior a Paschate in Pascha; cumque tempus Paschale determinatum sit non ad finiendam obligationem, sed ad ulterius non differendam, sequitur, Silvestrum obligationi præcepti teneri quamprimum satisfacere. Ita Suarez disp. 56, sect. 4. Coninch. Layman. Sporer, aliique.

CAS. III. — Petronius bene valens mane sumpsit Eucharistiam, et vespere infirmatur ad mortem. Qu. An denuo debeat Communionem sumere per modum Viatici?

Resp., probabilius non debere iterum sacram Eucharistiam sumere. Ratio est, quia Petronius revera accepit Eucharistiam in suæ vitæ confinio, et paulo ante mortem, eademque die, qua iturus erat ad æternitatem, consequenter eo tempore, quo Christus præcepit sumptionem Eucharistiæ. Neque obstat, quod Petronius non cognoverit hoc tempus advenisse; nam ignorans esse diem festum, et mane audiens Missam, præcepto satisfacit, licet eo tunc non advertat, præceptum vigere; ita a pari : tum quia, cum per illam Communionem fuerit Petronius sufficienter corroboratus, et spiritu vivificatus, prudenter judicatur obtentus finis illius præcepti, cessante autem præcepti fine, præceptum desinit obligare : unde sicuti ex hoc motivo, ut puto, communicat Sacerdos, qui vix completo sacrificio constituitur in vitæ termino; ita a pari; quia parum refert, quod mors distet a Communione potius per plures horas, quam per plures horæ quadrantes, modo vivificetur Communio facta in vitæ termino. Suarez, Pelliz. de Lugo, aliique.

MENSE JULII.

CAS. I. — Parochus celebrans ultimam Missam, unicam tantum consecrat Hostiam, et post consecrationem recordatur, se aliam debuisse consecrare publice exponendam pro adoratione quadraginta Horarum. Qu. An Hostiam a se consecratam pro se, pro illa publica adoratione asservare possit, et se communicare cum aliqua ex particulis consecratis?

Resp. negat. Clare colligitur ex can. *Relatum*, de Consec. dist. 2, ubi dicitur, Sacerdotem celebrantem non tantum debere participare de Sacramento, verum etiam de Sacrificio. Tum quia in Rubrica Missalis præscribitur, quod si in Hostia consecrata venenum appareat, debeat sacerdos novam Hostiam consecrare, quam sumat. Id autem non esset recte statutum, si liceret ei tunc sumere Hostiam ab alio consecratam, et asservatam in Tabernaculo : imo id præcipere debuisset, quia secunda consecratio sine sacrilegio fieri non potest, nisi necessaria sit ad perfectionem Sacrificii; sed semel ac posset licite perfici Sacrificium cum Hostia ab alio consecrata, non esset necessaria nova consecratio ad ejusdem perfectionem; ergo, etc. Ita SS. D. N. Bened. XIV, in suis adnot. p. 4, sect. 2, n. 149, de Lugo de Euch. disp. 19, sect. 5, n. 76. Silvius, etc.

CAS. II. — Sacerdos Latinus post Consecrationem tum Hostiæ cum Calicis advertit, panem a se consecratum esse corruptum. Qu. Quid agere debeat casu, quo non habeat alium panem Azymum?

Resp., licet ad valorem Sacramenti sufficiat panis triticeus, sive azymus, sive fermentatus, ut est definitum in Concil. Florentino, tamen de necessitate præcepti Græci in fermentato, Latini in azymo consecrare debent; quæ obligatio adeo gravis est, ut neque ad audiendam Missam in die festo, neque ad dandum Viaticum Infirmo liceat ab hoc ritu recedere. Unum tamen casum excipiunt Madernus, q. 2, art. 1, n. 24, et Gonetus, nec repugnat Giribaldus, nimirum, quando quis post con-

secrationem tum Hostiæ, tum Calicis, adverteret panem a se consecratum esse corruptum. Ratio est, quia datur præceptum Divinum de perficiendo Sacrificio, quod semper prævalet Ecclesiastico; et ideo illud observandum.

CAS. III. — Fabius emisit votum recitandi centies in anno Salutationem Angelicam, et nunquam recitavit. Qu. An peccaverit lethaliter?

Resp. cum distinctione. Vel emisit votum recitandi centies in anno Salutationem Angelicam centum distinctis diebus, adeo ut unicuique diei correspondeat una Salutatio Angelica; vel Salutationes Angelicas vovit simpliciter sine assignatione et distributione dierum. Si primum, Fabius lethaliter non peccavit, earum recitationem omittendo; et ratio est, quia singulæ Salutationes Angelicæ singulis diebus affixæ sunt materia levis, et onus diei, quod transit cum die, nec cum reliquis coalescit in unum, unde Fabius centies duntaxat venialiter peccavit. Si secundum, Fabius est reus peccati gravis, quia totus numerus Salutationum Angelicarum, a vovente intentus, est materia in se gravis. Sanchez l. 1, c. 4, n. 14. Diana, Leander, et comm.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Silvius pingue Legatum reliquit Uxori suæ, dummodo in statu Viduitatis permaneat. Qu. An ingrediendo Religionem Legatum deperdat?

Resp. negative. Ratio est, quia ita jura statuunt, ne melior status deseratur ob consecutionem Legati: tum quia per Religionis ingressum vere status Vidualis servatur. Neque dicas, mentem Testatoris servandam esse in specifica forma, cum de illa expresse constat. Respondeo, mentem Testatoris servandam esse in specifica forma, quando non adversatur juribus; jura autem apud Sanchez. l. 7, de matrim. disp. 91, num. 46, in favorem Religionis habent tanquam non adjectas eas conditiones, quæ servatæ in specifica forma, ut obtineatur Legatum, a Religione retraherent: tum quia præsumendum non

est, Legantem velle contrariari dispositioni juris; tum quia in casu vere etiam in specifica forma adimpletur mens Fabii, cum per ingressum in Religionem non tollatur status vidualis, sed perficiatur. Sanchez, Anton. a Spiritu Sancto, aliique communiter.

CAS. II. — Publicus Notarius conficit Instrumentum Usurarium sub nomine alicujus liciti Contractus. Qu. An ad restitutionem teneatur?

Resp. cum distinctione. Vel Notarius conficit Instrumentum Usurarium sub nomine alicujus liciti Contractus, v. g. veri mutui, vel venditionis, volente mutuatario; vel conficit dictum instrumentum, mutuatario nolente, aut fraudem et dolum nesciente. Si primum. Notarius ad restitutionem non tenetur; ratio est, quia supposito, quod mutuatarius petat pecuniam ab Usurario, et vocet Notarium, ut sub nomine alicujus liciti Contractus Instrumentum conficiat, idem Notarius non lædit invitum, nec ex usura recipit lucrum; ut facit Usurarius; nam hic, etsi faciat rem gratam mutuatario, cum tamen recipit lucrum ex usura, tenetur tale lucrum restituere: Si vero secundum, tenetur ad restitutionem, quia cooperatur Usurario, et est causa efficax, ut usuræ solvantur, et ex parte mutuatarii datur involuntarium, fitque illi injuria. Ant. a Spiritu Sancto, Bonacina, Tamburinus, aliique.

CAS. III. — Quidam Beneficiarius heri non recitavit Officium; ut autem ab onere restitutionis se eximat, hodie bis. Qu. An a restitutione sit liber?

Resp. negative: sic colligitur ex Bulla Pii V, ubi clare dicit = Eum, qui non recitat suo tempore Officium, non facere fructus suos: = et rursus = Beneficiorum suorum fructus, pro rata omissionis Officii et temporis, suos non facere :=ergo; supposito hoc Pii V Decreto, licet quis alia die suppleat defectum commissum in recitatione Officii, minime liberabitur a restitutione fructuum: tum quia onus Divini Officii est affixum dici, et transit cum die; ergo alia suppleri non potest: neque dicas, in tali casu repeti æquale; nam id probat tantum,

attento jure naturali, liberari Beneficiarium a restitutione, supplendo alia die pensum horarum; verum in hac re attendendum est jus positivum relatum Pii V. Leander p. 6, tract. 8, quæst. 15. Bonacina, Pelliz, etc.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Pompejus in Paschate non communicavit; et timens, ne Parochus illum denunciet Episcopo, illi summam largitur pecuniæ. Qu. An iste Parochus sit Simoniacus?

Resp. probabilius negative; licet graviter peccet, et in suo munere delinquat. Ratio est, quia in dato casu, non datur exercitium potestatis spiritualis, et jurisdictionis, sed potius negatio illius. Simonia autem committitur, cum actus aliquis, pecunia accepta, descendit ab exercitio spiritualis potestatis: neque dicas: in cap. *Nemo* de Simon. prohibetur Presbyteris, ne a peccante publice aliquid accipiant, ut ejus peccatum Episcopo, aut ejus ministris celent. Respondeo, licet ex hoc textu aliqui Canonistæ dicant, omissionem actus spiritualis pro temporali pretio esse Simoniacam; tamen multo plures id negant: quod si dictum caput ponitur sub titulo de Simonia, ideo est, quia Pontifex prosequitur prohibendo, ne Presbyter, propter gratiam, et favorem, vere Pœnitentem ad reconciliationem admittat, neque propter favorem a reconciliatione removeat, quæ duo Simoniaca sunt. Itaque tunc solum omissio actus potestatis spiritualis, propter pretium, Simoniaca est, quando in ipsa omissione relucet aliquod exercitium potestatis spiritualis, quod cum non verificetur in casu nostro, ideo etc. Gonzalez in l. 5. Decr. t. 3, c. 13. Barbosa, Suarez, etc.

CAS. II. — Albertus promisit Sicario centum aureos, si Petrum occiderit. Qu. An Albertus, secuto effectu, teneatur stare promissis?

Resp., aliqui negant, quia ex actu injusto, nimirum homicidio, non potest oriri obligatio justitiæ. Communius affirmant cum D. Thom. 2. 2, q. 62, art. 5 Lessio,

Lugo, Diana, Tamburino, et aliis. Ratio est, quia centum aurei non sunt promissi pro peccato, quod nihil est, et invendibile, sed pro aliis circumstantiis, nimirum labore, periculo, susceptis in patratione homicidii, quæ pretio æstimabilia sunt, ac esse possunt materia Contractus : unde sicuti ex hac ratione Sicarius, patrato homicidio, potest pecuniam promissam exigere; ita ex eadem Albertus tenetur eam solvere. Verum hæc opinio satis communis, quomodo cohæret cum eo, quod tradit Greg. IX, tit. de pactis cap. 8. Ibi enim Pontifex, postquam irritaverit pactiones Simoniacas, addit. = Quod etiam de aliis dicendum est, quæ observatæ vergunt in animæ detrimentum; nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit = porro, si, effectu secuto, esset obligatio solvendi pretium promissum, tale pactum non esset nullius momenti, ut inquit Gregor.

CAS. III. — Thadæus, postquam cum Berta vera contraxit Sponsalia, alia contrahit cum Theresia, et juramento confirmat. Qu. An prima Sponsalia per secunda dissolvantur ?

Resp. negative. Ratio est, quia secunda Sponsalia, cum sint de re illicita, utpote contra fidem datam priori Sponsæ, non possunt juramento firmari, siquidem juramentum non est vinculum iniquitatis, consequenter adjectum secundis Sponsalibus neque est vinculum. Girib. et comm.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Theodorus Diaconus habens Mutinæ Domicilium, ubi Officium occurrit de feria, die crastina Bononiam venire debet, ubi festum celebratur sancti Petronii. Qu. An hoc sero Vesperas, et Matutinum sancti Petronii recitare possit ?

Resp. posse, sed non obligari. Ratio est, quia cum cras sit futurus peregrinus Bononiæ, poterit, sed non

sub obligatione, se reddere huic Ecclesiæ conformem, et cras officium S. Petronii recitare; cum ergo officium vespertinum sit pars Officii crastini, non est improbabile, posse anticipate a Theodoro persolvi, tanquam pertinens ad idem crastinum. Neque dicas, quousque Theodorus est Mutinæ, non potest frui privilegio Bononiæ, quod est concessum ratione loci. Respondeo, proxime accingendus habetur pro accincto, et sicuti proxime ingressus Religionem quibusdam privilegiis fruitur, quibus fruuntur jam ingressi, ut apud de Vecchis in praxi Novit. ita proxime accessurus ad locum potest incipere frui privilegiis loci, maxime per actionem, quæ complenda est in loco. Tambur. cap. 5, § 2, num. 25. Diana, Girib. aliique.

CAS. II. — Publicus concubinarius timens, ne in Paschate arceatur ab Altari, Parocho minatur mortem, si illi Communionem negabit. Qu. An Parochus illi possit licite Eucharistiam administrare?

Resp. affirmative. Sanchez l. 4, de matrim. disp. 4, n. 12. Ant. a Spiritu Sancto t. 4, consult. 19. Suarez, Bonacina, Gobat, Sporer. part. 1, cap. 3, sect. 5. Ratio est, quia actio dandi Communionem ex parte ministri est bona, et potest exerceri absque peccato, etiamsi recipiens eadem male utatur; nemo enim tenetur cum dispendio vitæ desistere ab actione bona, qua recipiens, si vellet, posset bene uti. Ita laudati Auctores. Attamen respondeat Divus Joannes Chrysostomus, qui Homilia 83, in Matthæum sic ait: = Non parva vobis imminet pœna, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei hujus mensæ participationem permittatis. Sanguis enim ejus ex manibus requiretur vestris. Sed si quidem aliquis præ vecordia, et amentia mensam adiverit, nullo timore territus; abjice, Deum, non hominem timeas. Animam prius tradam meam, quam Dominicum alicui Corpus indigne, sanguinemque meum effundi potius patiar, quam sacratissimum illum Sanguinem præterquam digno concedam. Non de ignotis, sed de notis hæc disputo. Ita sanctus Doctor.

CAS. III. — Concessa per Summum Pontificem Civi-

tati Bononiæ Indulgentia, extensibili quoque ad Diœcesim, ruralis Parochus, non expectatis Circularibus de more a Curia per Vicarium Foraneum transmittendis, Indulgentiam populo publicavit, cum noverit in Civitate publicatam. Qu. An licita, et valida fuerit hujusmodi publicatio ?

Resp. probabilius fuisse validam, certo tamen illicitam. Ratio primæ partis est, quia si in Edicto pro Civitate publicato leguntur hæc, vel æquivalentia verba = statim ac notitia pervenerit ad Parochos Diœcesis = publicatio dictæ Indulgentiæ in nullo substantiali defecit, non in designatione Ecclesiæ visitandæ, et operum, ut supponitur, neque defecit in designatione temporis facta a legitima potestate, quia tempus a prædictis verbis, saltem sub indeterminatione fuit designatum etiam pro Diœcesi : nisi velis dicere, prædictam clausulam esse intelligendam non de qualibet notitia, sed de notitia juxta morem Curiæ, hoc est Litteras Circulares ; nam in hac hypothesi dubitari posset de valore publicationis, quia Parochus tempus designasset absque legitima facultate. Ratio secundæ partis est, quia Parochus egit contra rectum ordinem a Superioribus sancitum, ut nimirum Circulares expectentur, ad præcavendas confusiones, ac Parochorum querelas, populi susurrationes, quæ de facili oriuntur, nisi in publicatione Indulgentiarum opportuna temporis distributio per Diœcesim servetur.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Confessarius Mulieri confitenti, se habuisse cum Amasio tractatus inhonestos, dixit : Non fecisti quod habebas in animo ? sed, si quis tibi summam donaret pecuniæ, quid faceres? Qu. An Confessarius sit denuntiandus ?

Resp. cum distinctione. Vel Mulier respondit affirmative, vel negative : Si respondit affirmative, et Confessarius tacuit, nec eam reprehendit, est reus sollicitationis, et denuntiandus, ut liquet : si eam reprehendit, tunc solutio pendet ab exitu. Si enim postea accessit ad

ejus domum, et pecuniam obtulit pro re turpi, reus est sollicitationis, quia talis accessus probat, eam interrogationem fuisse Mulieri factam ad turpem finem, atque eo tunc sollicitatio incepit. Si respondit negative, et sic fuit absoluta, Bordonus in tribunali fidei cap. 23, num. 151, docet non esse denuntiandum, quia talis interrogatio potest accipi in bonum sensum; potest enim dici facta in ordine ad dignoscendam dispositionem Pœnitentis, an scilicet sit digna Absolutione; si namque Mulier affirmasset, eam non absolvisset. Verum Bord. cit. non potest hunc Confessarium a nota maximæ imprudentiæ eximere.

CAS. II. — Titius ab hostibus insequentibus fugiens, obvium, quem habet, Equum ascendit, ut velocius fugiat. Equus in ista præcipiti fuga moritur. Qu. An Titius teneatur ad compensationem?

Resp., probabilius Titium teneri ad restitutionem æstimationis Equi. Ratio est, quia dominus Equi in hac hypothesi non supponitur consentire, nisi sub onere compensationis, si Equus ipse pericrit; non enim intelligitur absolute transferre dominium ejusdem Equi in utentem, sed duntaxat commodare in necessitate, qua premitur; ergo et ipse utens intelligitur accepisse in necessitate sub tali onere; ergo, pereunte Equo, tenetur Titius ad compensationem. Neque dicas, Titium non teneri ad talem restitutionem, neque ratione rei acceptæ, cum amplius eadem non extet, neque ratione injustæ acceptionis, cum in extrema illa necessitate, licitum fuerit eidem accipere. Respondeo, teneri propter quamdam tacitam obligationem jure gentium introductam, qua qui rem alterius in necessitate consumit, se tacite obligat ad rependendum, quando suppetet copia. Excipe tamen, nisi Equus etiam sine tali usu esset periturus; nam tunc Titius usu nullum damnum domino attulisset. Lessius l. 2, de just. et jur. c. 16, dub. 1, n. 10. Rossign. de rest. disquis. 1, § 2.

CAS. III. — Capellanus redargutus a suo Parocho, quod Arsenium ab Excommunicatione publice contracta

absolverit, respondit : Illum absolvi, et juste potui absolvere. Qu. An violaverit sigillum ?

Resp. affirmative. Ratio est, quia manifestavit peccatum in confessione cognitum : et sicuti, ut de communi testatur Tannerus t. 4, disp. 6, q. 9, reus est violati sigilli, qui dicit = Absolvi peccatorem publicum, qui mihi confessus est peccatum suum = cur non est reus, qui dicit = Absolvi ab Excommunicatione publice excommunicatum = Neque dicas, Capellanum solum detexisse actum Confessionis, qui laudabilis est, non vero Excommunicationem jam publicam. Respondeo, licet talis detectio non fuerit odiosa Pœnitenti, fuit tamen contra virtutem Religionis, quæ nullo modo patitur detegi peccata in Confessione cognita. Sotus in 4, dist. 18, q. 4, art. 5, Vasquez, Diana, aliique.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Franciscus, constitutus in periculo Mortis, a simplici Sacerdote absolutus fuit tum a reservatis, tum a censuris, et postea convaluit. Qu. An teneatur se præsentare Superiori, ut denuo absolvatur?

Resp. 1°, Franciscum ut absolutum a reservatis non teneri se præsentare Superiori, etenim ab illis fuit directe absolutus; nam, ut inquit Trid. sess. 14, cap. 7. In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis.

Resp. 2°, Franciscum ut absolutum a censuris debere se præsentare Superiori, sanitate obtenta, sub pœna reincidentiæ in eamdem censuram, ut habetur ex cap. *Eos qui* de sent excom. in 6, et cap. *Ea noscitur* de eadem. Quare Confessarius Francisco, ante Absolutionem, debuit imponere hoc onus, itemque satisfaciendi parti læsæ, si Excommunicatione erat innodatus propter injuriam alteri illatam, v. g. ob Clerici percussionem : et quamvis nonnulli Auctores doceant, exigendum esse juramentum de hac satisfactione præstanda; tamen alii plures docent, id solum necessarium esse pro foro externo.

quando res deducta fuit ad forum contentiosum; pro foro vero interno sufficere promissionem, imo et firmum propositum satisfaciendi, eo quia Pœnitenti etiam non jurato, vel cautionato creditur in foro Sacramentali. Lezana, Tamburinus, Gobat. etc.

CAS. II. — Titius quamdam domum, quam locaverat Cajo, tempore locationis vendidit Petro, nulla in Contractu venditionis de Pensionibus mentione facta. Qu. Ad quem ex duobus Pensiones illæ pertineant?

Resp. Persoluto per emptorem pretio convento, eique domo assignata, Pensiones dividendæ sunt juxta proportionem temporis, pro quo fuit sub utriusque dominio. Ratio est, quia Pensiones substituuntur loco fructuum, eisque correspondent; sed fructus cedunt domino rei, cujus censentur fructus, ergo et pensiones: sed ante perfectam venditionem venditor est dominus rei venditæ, et post illam fit dominus emptor; ergo pro tempore ante perfectam venditionem pensiones debent pertinere ad venditorem; post illam ad emptorem. Similiter resp. etiamsi pretium non sit solutum, nec cautio præstita, aut fides data. Ratio est, quia, absoluto Contractu venditionis, res pertinet ad emptorem; ergo pensio a puncto, quo rei dominium acquiret, ad ipsum spectat ad ratam temporis dominii acquisiti. Excipe tamen, nisi aliter inter partes sit conventum. Rosignol. de contr. disp. 5, § 6. Girib. tract. 3, cap. 2, dub. 14. Palao, aliique.

CAS. III. — Quidam Parochus Costam obtinuit a Romano Pontifice alicujus sancti Confessoris Pontificis, quam judicans esse insignem Reliquiam, illius Officium in propria Ecclesia elevat ad Ritum duplicem. Qu. An talis Costa sit insignis Reliquia ad enunciatum effectum?

Resp. negative. Sacra enim Rituum Cong. post editum generale Decretum sub die 5 Junii 1617, quo permittebatur Officium duplex in iis Ecclesiis, in quibus insignis Reliquia asservatur, successive, ad occurrendum libertati opinandi circa indicatam magnitudinem partis corporeæ, sub anno 1628, 8 Aprilis, præmissa uberius declarando, taxative præscripsit ad præfatum effectum

talia esse censenda, Caput, Brachium, et Crus, et quidem ad hæc decernenda processit, non postulatis respondendo in Casibus particularibus (ut sæpe contingit), sed per Decretum generale in Breviario Romano ad instar Rubricæ imprimendum, quo satis in aperto ponitur, Costam omnino exclusam intelligi a numero insignium Reliquiarum.

ANNO MDCCXLVIII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Confessarius tempore Jubilæi imposuit Pœnitenti, ut recitaret quinque Pater, et Ave pro satisfactione Sacramentali. Hic, ut citius se expediret, recitavit hujusmodi preces alternatim cum Socio in Ecclesia designata, animo tum lucrandi Jubilæum, cum implendi Pœnitentiam. Qu. An utrique oneri satisfecerit?

Resp. negative. Si Confessarius, vel Pontifex aliud non expresserat, nec aliud apparebat ex circumstantiis, uti apparet circa jejunia, cum publicatur Jubilæum in Quadragesima. Fert enim communis opinio, quod quando Confessarius aliud non expressit, nec circumstantiæ de ipsius mente aliter indicant, tunc satisfactio ab eo injuncta intelligi debeat de opere supererogationis, ut passim monent DD. idemque in simili casu dicendum esse de Oratione, et aliis operibus a S. Pontifice pro Jubilæo præscriptis, suadet ipsamet lex prudentiæ œconomicæ Ecclesiasticæ dictans, fidelem Ecclesiæ Ministrum, qualis sane censendus est Pontifex, nolle extra casum valde urgentis motivi, ac specialissimæ circumstantiæ, pretiosum Ecclesiæ thesaurum profundere pro operibus jam debitis; id namque esset illum profundere pro nulla, vel minima causa, quod, juxta Bellarminum et alios, sapit prodigalitatem. Id etiam suadet modus, quo idem Pontifex talia opera præscribit, nam (ultraquam quod ea imponit, non ut opera pia præcise, sed ut onera

implenda quasi ex pacto, quod plane denotat gravamen diversum ab omni alio præcedente) simul et semel districte præcipit Confessariis, ut pro quibusvis peccatis Pœnitentibus imponant salutares pœnitentias, ut communiter innuunt Bullæ Jubilæi recentiorum Pontificum. Ad quid, me Hercle duplex hæc distincta præscriptio, si juxta mentem Pontificis opera Jubilæi non deberent esse diversa quoad substantiam a satisfactione postea imposita pro peccatis? Addo, posse quidem persolvi alternatim cum Socio orationem Jubilæi, ut docet Bossius de Jub. sect. 4, cap. 17, et constat ex praxi; non sic tamen satisfactionem quidquid in contrarium dicant Azorius Inst. part. 1, lib. 10, c. 7, q. 10 aliique. Approbatam enim legimus, imo pro Choro præceptam alternam Officii recitationem, commendatam alternam recitationem Rosarii, vel etc. permissum tamen nullibi legimus alternum satisfaciendi modum: et si praxim, consuetudinemque consulimus, hæc communiter est, quod suam a semetipso quisque adimpleat satisfactionem, ni ob urgens motivum Confessarius aliud expresserit. Cum igitur consuetudo habeat vim legis, dicendum etiam ob hoc, Pœnitentem adæquate utrique oneri non satisfecisse, sed (cum agatur de re dividua) solum inadæquate, et pro rata: ut cum Sancio inquit Pharaonius de Pœnitent. sess. 22, cap. 4.

CAS. III. — Sacerdos Paulo ante confessus, dum est ad altare, recordatur peccati mortalis ex inculpabili oblivione non expressi, nec sine gravi periculo tunc exprimibilis. Qu. An sit necesse ut ibi de eo eliciat actum contritionis?

Resp. cum distinctione. Vel talis Sacerdos in Confessione paulo ante peracta habuit dolorem universalem de omnibus peccatis a se commissis, vel habuit dolorem particularem, ac restrictum ad ea, quæ fassus est. Si primum, dico, necesse non esse, ut ibi eliciat actum contritionis de peccato oblito: cum enim per illum dolorem universalem retractaverit omnia peccata, Absolutio immediate cadens supra dolorem, causavit gratiam directe remissivam eorum, quæ expressa fuere, et re-

missivam indirecte peccati obliti, ob incompossibilitatem gratiæ sanctificantis cum quocumque mortali peccato. Propterea Tridentinum ait, tale peccatum eadem Confessione intelligi inclusum. Si secundum, dico, attendendum esse, an Sacerdos adeo restrinxerit dolorem ad peccata expressa, ut ab eo excluserit alia, quæ putabat se non habere. Item, an hujusmodi dolor fuerit ab eo conceptus ex motivo specialis turpitudinis resultantis ab oppositione ad peculiares virtutes, quibus peccata confessa opponuntur; an vero fuerit ab eo conceptus ex motivo universali, puta, ob summam Divinam bonitatem offensam, aut ob metum gehennæ. Siquidem in primis duobus casibus utique necesse est ibi elicere actum contritionis, ut se constituat in statum gratiæ : nam tunc, interveniente reminiscentia peccati obliti, hoc viget in anima, cum nullo modo fuerit retractatum. In tertio vero casu necesse non est, ut ibi de eo eliciat actum contritionis; cum enim hujusmodi dolor, ratione motivi universalis, virtualiter se extenderit etiam ad peccatum oblitum (nam qui detestatur ex. gr. furtum, quia est offensa Dei, vel ex metu gehennæ, implicite et virtualiter detestatur etiam fornicationem, ac cætera peccata, quæ pariter sunt offensæ Dei, et merentur gehennam) etiam istud implicite, et virtualiter fuit retractatum, ac proinde indirecte absolutum atque remissum. Ita DD. communiter.

CAS. III. — Subdiaconus petit a Parocho, an teneatur recitare Divinum Officium iis diebus, quibus febri quartana laborat. Attenditur responsio Parochi?

Resp. data a Parocho hæc est : Vel hujusmodi febris intra diem ipsi relinquit tantum temporis ac virium, ut sine gravi incommodo possit totum Divinum Officium, vel saltem aliquam ejus partem persolvere; vel non. Si primum, tenetur Subdiaconus illa die vel totum, vel partem officii, juxta tempus ac vires, recitare; nam quoad hoc in tali casu urget præceptum. Propterea S. Carolus in suo Conc. Mediol. VI, ann. 1576. *Meminerit*, inquit, *qui Officio adstrictus est, se febri, morbove aliquo, vel adversa valetudine leviter alı-*

quando laborantem, non justam propterea excusationem habere, quamobrem illud intermittat, omittatve. Et quod dicitur de toto, valet etiam de parte Officii ; damnata enim est ab Innocentio XI, hæc propositio 24, in num. *Qui non potest recitare Matitunum, et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Si secundum, non tenetur ; quia impotentia ipsum excusat. Hinc communis DD. tradunt, quoad si Subdiaconus ex. gr. mane sit liber a febri, ac sentiat se habere vires sufficientes pro recitatione totius Officii, debeat mane recitare etiam Vesperas, et Completorium, si prævideat febrim postmodum a tali recitatione ipsum impedituram ; eo quia præceptum Divini Officii quoad substantiam obligat intra latitudinem totius diei ; et anticipatio vel posticipatio in casu non est usus Privilegii, sed obligatio : qui enim stricte obligatur ad aliquod munus obeundum, eo fungi debet, cum potest. Unde obligatio accidentalis, recitandi hanc, vel illam Horam tali, aut tali hora temporis, cedit in casu obligationi substantiali.

In dubio postea, an prædicta recitatio totalis, vel partialis, absque gravi nocumento, aut periculo ejusdem, peragi possit, consulat virum prudentem ; qui si perplexum relinquat, deponat omne dubium, et recitationem omittat.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Non advenientibus Patrino, et Matrina designatis, Parochus ad levandum Infantem de sacro Fonte pro eis adhibuit Obstetricem cum impubere, solo ex viris ibi præsente. Qu. An bene se gesserit?

Resp., Parochum id facientem male se gessisse : nam si circa Baptismum talis Infantis non erat periculum in mora, non debebat, inconsultis Parentibus ejusdem, designare alios Patrinos ; sed Baptismum differre quousque vel adessent Patrini a Parentibus jam designati, vel alii ab eisdem loco ipsorum substituti, vel etiam ab ipso, ad id tamen prius ab illis obtenta facultate. Præcepit

enim Tridentina Synodus sess. 24 de reform. Matr. c. 2, ut Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ex eis, ad quos spectabit, siscitetur, quem, vel quos elegerint, ut Baptizatum de sacro Fonte suscipiant, et eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat sub pœna arbitrio Ordinarii. Hinc Beja apud La Croix de Bapt. n. 562, inquit mortaliter peccare Parochum, qui, diu tardantibus Patrinis a Parentibus designatis, factus impatiens alium designat in Patrinum, quia facit contra jus Parentum obtrudendo alium forte non gratum, vel cum quo nollent habere cognationem, quæ juxta Tamburinum, Tridentino innixum, in casu videtur cum hoc ab eis contrahi, eo quia sufficit designatio Parentum, vel Parochi. Deinde, etiam dato, quod fuisset periculum in mora, nullo modo adhibere debebat impuberem ad tenendum infantem; licet enim jure communi ætas necessaria ad Patrini munus obeundum determinata non sit, et propterea Gobat. tom. 1, tr. 2, n. 555, dicat cum Barbosa, Patrinum de Jure communi esse posse juniorem suo Filiastro; imo puer septennis, dummodo rationis compos, et baptizatus, ac habens intentionem faciendi id, quod in simili casu faciunt alii Patrini, possit id præstare, contrahendo etiam cognationem spiritualem, juxta Sanchez, Basilium, Pontium, et alios a Diana consentiente citatos part. 10, tr. 16, respons. 29, vers. = notandum est hic =, nihilominus quia in hac Synodo Bononiensi lib. 2, c. 2, inter eos qui rejiciendi sunt ab Officio Patrini, recensentur etiam impuberes, solam Obstetricem potius adhibere debebat; nam, ut notum est ex Tridentino, non requiruntur necessario unus et una, sed sufficit unus vel una.

CAS. II. — Martinus ob rationabile motivum fuit dispensatus a Jejunio Quadragesimali. Qu. An ex vi talis dispensationis immunis sit ab onere jejunandi etiam in vigilia S. Mathiæ, et quatuor Temporibus occurrentibus in Quadragesima?

Resp. cum distinctione. Vel hujusmodi dispensatio fuit specialis, et ob aliquod particulare motivum universaliter extensa ad quamcumque diem, etiam speciali nota

dignam, ut sunt dies Veneris, ac Sabbati; et tunc dico, Martinum durante eodem motivo, ex vi talis dispensationis immunem esse ab onere jejunandi etiam in Vigilia, et quatuor Temporibus prædictis. Vel fuit generalis, et concessa juxta solitum propter aliquod motivum ordinarium, ob quod scilicet solet quidem dispensari, excipiendo tamen dies speciali nota dignos; et tunc dico, Martinum etiam durante motivo, ex vi talis dispensationis non esse immunem, etc. Ratio utriusque partis est, quia dispensatio ex una parte vim recepit a voluntate dispensantis, ex alia, quæ speciali nota digna sunt, ni aliquo speciali modo exprimatur, omissa esse censentur cap. *Quia periculosum,* de sent. Excom. in 6. Porro in primo casu voluntas dispensantis ex ipsamet speciali ac universali dispensatione satis innotescit, præcipue si ad urgentiam particularem motivi expositi, ob quod eadem dispensatio concessa fuit, habeatur reflexio; statim namque inde percipitur dispensantem voluisse concedere dispensationem proportionatam exigentiæ petentis; quæ propterea si tanta sit, ut sit opus dispensatione etiam diebus speciali nota dignis, (quemadmodum, ultra relatos, sunt etiam dies Vigiliarum, et quatuor Temporum) pro his quoque concessa intelligatur, quamvis de iis facta non fuerit expressa mentio; siquidem illud habetur pro disposito, quod verisimiliter fuisset dispositum, si disponens fuisset de hoc interrogatus, ut ex pluribus juribus colligit Everardus in Topica juris loco a simili. In secundo autem casu res ab opposito se habet: cum enim dispensatus non repræsentaverit motivum exigens dispensationem adeo specialem et amplam, verosimile non est, quod Superior cum gravamine propriæ conscientiæ voluerit hanc illi concedere; sed tantum, quod illi concesserit dispensationem generalem, nempe quoad illos dies, qui speciali nota digni non sint, adeoque quod exclusi intelligantur prædicti dies, quemadmodum intelliguntur exclusi dies Veneris, et Sabbati, quamvis hujusmodi exclusio expressa non fuerit. In generali namque concessione non veniunt, quæ quis non esset verosimiliter concessurus, ut habet regula Juris in 6.

CAS. III. — Agricola non habens par boum, neque pecuniam ad eos emendos, dicit Petronio : Mutua mihi 30 aureos pro bobus emendis, et fatebor, a te conduxisse boves, tibique tradam, quantum dare solet pro labore, quem fert par boum. Qu. An sine usura id peragi possit?

Resp. negat. : est enim Mutuum bobus conductis coopertum, ut fit manifestum consideranti, boves in tali pecunia viventes nunquam mori posse locanti, nec ullis expensis indigere. Hinc cessante omni periculo, et incommodo ex parte dantis 30 aureos, sine labe usuræ id peragi nequit. Dico, cessante omni periculo, et incommodo etc. Si enim mutuatarius ratione hujusce mutui damnum aliquod, vel lucrum cessans pateretur, cui non subesset, si non mutuaret Agricolæ dictam summam, in tali casu posset utique, ad se indemnem servandum, quid aliud exigere ultra 30 aureos mutuatos, conformiter tamen ad regulas quoad Mutuum traditas a sanis Doctoribus.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Duo pauperes, unus ficte talis, alter vere talis, ambo tamen viribus, ac corpore validi, sed mirum in modum a labore abhorrentes, magnam pecuniæ summam ex collectis eleemosynis confecerunt. Qu. An propter fictionem et pigritiam teneantur illam restituere veris pauperibus, et impotentibus erogare?

Resp., pauperem fictum teneri ad restitutionem; non sic pauperem verum. Ratio primæ partis est, quia in tali casu dantes eleemosynam decepti fuerunt circa objectum misericordiæ, quod est miseria vera, non ficta; etenim misericordia, ex D. Augustino, quem refert Angelicus 1, 2, q. 30, art. 1, est alienæ miseriæ in nostro corde compassio ratione cujus tribuitur eleemosyna indigenti, ut ejus miseria relevetur. Jam vero deceptio circa objectum aufert consensum, ac propterea impedit translationem dominii, ut patet exemplo Dotis relictæ pro Virgine; quæ si accipiatur a puella solum

putative tali, eam restituere tenetur, ni a Majori Pœnitentiario cum ea fuerit dispensatum. Addo, eos fuisse deceptos etiam circa causam finalem; licet enim charitas, et amor Dei sit causa faciendi eleemosynam in communi, et sic, ut dicam, sit causa remota; tamen causa proxima, ob quam fit eleemosyna huic in particulari, est ipsius miseria, quam repræsentat, et cui propterea quis intendit subvenire, ut recte inquit Mastrius disp. 7, de Rest. in com. q. 2, art. 2, n. 42. Cum igitur error circa causam finalem, utpote auferens consensum, reddat actum insubsistentem, ideo etc. Ratio secundæ partis est, quia ille quantumvis piger, erat tamen vere pauper. Advertit tamen, et quidem recte, Petrus Marchantius in Hor. Par. lib. 3, tr. 4, sect. 13, in fine, quod cum Apostolus dicat: *Si quis non vult operari, non manducet*, hujusmodi personæ pigræ non merentur excusationem; homini namque dictum est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Et de Muliere laude digna: *Digiti ejus apprehenderunt fusum.... quæsivit lanam, et linum, et operata est consilio manuum suarum.*

CAS. II. — Pœnitens post diligens examen adhuc immemor numeri determinati peccatorum ejusdem speciei, expressit in Confessione numerum magis verisimilem, addita particula *in circa*. Nunc numeri determinati memor, petit, an teneatur iterum de omnibus confiteri exprimendo numerum determinatum. Qu. Quid illi respondendum?

Resp., quod si numerus determinatus est minor numero verosimili expresso aut modico illum excedens, non est necesse quidquam aliud exponere in Confessione, quia numerus minor jam in majori expresso erat inclusus, et modicus excessus fuit sufficienter expositus per ly *in circa*, quod in prudenti judicio habet aliquam extensionem. Si vero est major notabiliter, tenetur Pœnitens exprimere ea peccata, quæ hujusmodi excessum constituunt, ex. gr. quis commisit 20 fornicationes, et confessus est, se commisisse 12, *in circa*, in hoc casu non est necesse, quod pœnitens iterum dicat, se fornicatum fuisse vigesies, sed sufficit, quod

dicat, se in præterita Confessione omisisse confiteri ex inculpabili oblivione quinque, aut sex fornicationes. Ratio est, quia ly 12, *in circa*, jam extendebat numerum ad duas, vel tres alias, non tamen ad octo alias; propterea illæ quinque, aut sex, quæ juxta prudens judicium in eo numero non includebantur, ideoque dicuntur constituere excessum respective notabilem, debent exponi in nova Confessione tanquam peccata oblita : ita Sporer, aliique. Neque dicas, peccatum semel expositum ut dubium debere iterum exponi ut certum, quando ut tale cognoscitur; sicque etiam numerum expositum ut verosimilem debere iterum exprimi ut talem determinate, quando ita cognoscitur. Contra enim, transmisso antecedente, quod a pluribus negatur, signanter a Sporer, nego conseq. Disparitas est, quia in primo casu peccatum neque fuit expositum quoad suam rationem essentialem specificam; ubi e contra per numerum proprie verosimilem fuit expressus idem numerus determinatus, si non arithmetice, saltem moraliter, ut acute ostendit Puteobonellus de Pœnit. q. 3, art. 5, n. 12.

CAS. III. — Confessarius ad extirpandam a Pœnitente consuetudinem proferendi verba turpia, imponit ei, ut quoties imposterum similia proferet, lingua formet Crucem in terra. Qu. An Pœnitens teneatur id acceptare?

Resp. affirmative, si Confessarius hanc judicat necessariam, eamque illi imponat ad aliquod tempus discretum, et exequendam in circumstantiis, in quibus absque infamia Pœnitens id peragere valeat. Ratio est, quia Pœnitens tenetur parere Confessario nedum ut Judici, verum etiam ut Medico; alias superflua in hoc esset potestas ligandi ad infirmitatis medicamentum, et Tridentinum superflue præscripsisset Confessariis, quod satisfactionem imponant nedum in vindictam, et castigationem præteritorum criminum, sed etiam ut frænum retrahens a futuris. Et hic nota, primo, hanc non esse in casu irrationabilem, et indiscretam; cum ex una parte aliquando nullum aliud remedium, experientia teste, sit hoc efficacius; et ex alia hujusmodi consuetudinarii multoties præ-

beant scandalum, cui quantum fieri potest, est obviandum; secundo, velle se submittere judicio Dei quoad satisfactionem, esse simul velle diutius protrahere, quam par sit, partem integralem Sacramenti, maxime si quis intendat Deo satisfacere in Purgatorio. Deinde quis est certus quod eo ibit? Tertio, obligationem eam faciendi esse quid determinatum, ut recte tradit Viva; si tamen ista obligatio determinata non censetur sufficiens, imponatur Pœnitenti etiam aliquid aliud.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Lælius viri valde nobilis, ac divitis filius, illectus magna pulchritudine Cajæ filiæ Villici, spe Matrimonii eam defloravit, et ex animo cum ea inivit jurata Sponsalia de futuro. Nunc tamen prævidens maxima inconvenientia infaillibiliter secutura, si cum ipsa Nuptias ineat, consulit Parochum, an, præmissis non obstantibus, possit tuta conscientia ab hisce nuptiis abstinere, quamvis Sponsa enixe instet pro illarum celebratione. Attenditur Parochi responsum?

Resp. Parochi est, Lælium in Casu nedum posse, verum etiam debere ab hisce Nuptiis abstinere. Ratio est, quia ex una parte hujusmodi inconvenientia juxta communem sententiam præbent motivum plusquam sufficiens dissolvendi Sponsalia etiam jurata; juramentum enim non obligat, quando sine aliquo peccato etiam levi impleri non potest; imo nec quando illius implementum est contra bonos mores etiam naturales, ut perspicue tradit Glossa in cap. *Si vero* de jurejur. vers. *Salutis æternæ*. Ex alia stuprum non habet vim inducendi diversi generis obligationem, sed ad summum auget illam, quæ vi justitiæ oritur ex sponsalibus. Idcirco si imminens scandalum, si injuria, quæ parentibus, ac familiæ irrogaretur per hujusmodi Nuptias, si denique rationabilis timor inimicitiarum, etc. prædictam justitiæ vim taliter enervant, ut quamvis juramentum vim non im

modicam alias superaddat Sponsalibus, hoc non obstante, tum eorumdem Sponsalium, cum juramenti in casu tota vis pereat, idem pariter dici debebit de illa vi, ei superaddita a stupro: numquam enim virtus justitiæ potest aliquem obligare ad implendum opus, quod sine peccato et scandalo non est ipsi liberum adimplere; cum nullum peccatum; quantumvis leve, possit cadere sub præcepto, et imperceptibile sit, quod quis simul obligetur præstare id, quod aliunde vitare tenetur. Neque dicas, justitiam contractus exigere, ut cum jam puella ex parte sua conditionem impleverit se copulæ submittendo, sic stuprator, quod sua interest, impleat ipsam ducendo: Dico enim cum Giribaldo, et aliis, justitiam nihil aliud exigere, quam æqualitatem. Unde cum ratione nimiæ disparitatis inter hasce personas, non ponatur æqualitas nubendo, quia sic una pars, nempe familia viri nimis præjudicata maneret, ideo alia via debet deflorator satisfacere puellæ, et parentibus ejus, nempe, ei dando tantam dotem, quanta puellæ sufficiat ad æque bene nubendum pro sua conditione, perinde ac si deflorata non fuisset; siquidem excessus dotis, maxime inter villicos, de facili sanat istam plagam, et futuræ honestati, ac parentum famæ interim consuli potest per ingressum puellæ in aliquod Monasterium, seu Conservatorium, ut advertit Cardinalis de Luca de Dote disc. 142, n. 76. Et sane æquitas naturalis postulat, ut habeatur respectus etiam ad dedecus resultans nobili integræ familiæ ex altera parte, præcipue cum plurimum intersit ipsimet Reipublicæ, ut nobilium familiarum decus integrum servetur. Hinc non esse in casu dispensandum a denuntiationibus inquit Pax Jordanus tom. 1, Eluc. Can. lib. 3, tit. 7, n. 51. imo Judex debet interdicere hujusmodi Matrimonium. Dicastillus de Sponsal. disp. 10, n. 16, et patet ex cap. *Cum in tua, de Spons.* ubi Glossa, et Panormitanus. Neque sic impeditur, sed potius perficitur libertas Matrimonii; cum filius non habeat jus ad Nuptias Patri ac familiæ injuriosas. Dicastillus ibid. disp. 4, dub. 18, n. 179. Quod si opponas Ecclesiæ praxim, quæ in prosequendis causis Sponsalium, maxime juratorum, nihil ducere consuevit sive Parentum dissensum,

sive Familiarum disparitatem. Nihil profecto veritati adversum dici potest, inquit Muscetola in eruditissima sua dissertatione super hanc materiam; siquidem praxis Ecclesiæ non ab arbitrario alicujus dicto, vel facto, sed a Summorum Pontificum responsis, a Sacris Canonibus Conciliorum, sive Generalium, sive Parochialium, tandem ab Episcopis ipsis in Synodalibus Constitutionibus addiscenda est. Hæc autem pro nostra stare sententia ipse fusissime ostendit. Sufficiat pro nunc Tridentini testimonium sess. 24, de ref. Matr. cap. 1, dicentis, quod S. Dei Ecclesia ex justissimis causis Matrimonia isti similia semper detestata est, atque prohibuit.

CAS. II. — Petronius pluribus debitis magnæ considerationis gravatus, relictus fuit ab uxore defuncta dominus pinguis dotis, sicque potens commode suis Creditoribus satisfacere, si in statu viduali perseveret; secus vero si transeat ad secunda vota. Qu. An in hoc casu possit licite iterum contrahere Matrimonium?

Resp. cum distinct. Vel Petronius iterum non contrahendo incurrit grave periculum incontinentiæ, vel non. Si non; dico ipsum non posse licite iterum contrahere, quia sic esset negligere medium aptum ad satisfaciendum Creditoribus, cum iis facile possit satisfacere. Si incurrit; dico, ipsum posse licite iterum contrahere, licet enim quis teneatur ponere media conducentia ad finem, quando hæc sine gravi incommodo poni possunt; non sic tamen quando hæc poni nequeunt sine gravi periculo salutis æternæ. Neque dicas, obligationem solvendi debita esse juris naturalis; ut enim bene respondet La Croix de Restit. n. 442, non est juris naturalis absoluti, sed conditionati, si nempe ea solvi possint sine damno graviori, maxime in bonis altioris ordinis: Ita omnes DD.

CAS. III. — Colonus fodiendo terram in prædio sui domini, invenit subtus quamdam antiquam maceriem quamplures monetas aureas maximi valoris. Qu. An possit absque peccato sibi totam summam retinere?

Resp. in hypothesi, qua non constet ad quem spectent tales monetæ, sic esse distinguendum. Vel Colonus

cas invenit casualiter, vel ex naturali industria. Si primum; dico, ipsum non posse licite sibi retinere totam summam : quamvis enim jure Gentium tales monetæ sint omnes primi inventoris ; tamen jure Civili, quoad hoc pro isto casu attemperante jus Gentium, medietas earumdem debetur domino Fundi : cumque ista lex non sit pœnalis, sed dispositiva, et communi praxi ac consuetudine recepta, obligat in conscientia etiam non interveniente judicis sententia. Si secundum ; dico ulterius, attendi debere, an Colonus eas quæsierit cum legitimo consensu, an vero sine legitimo consensu domini illius Fundi, aut cum consensu per fraudem et dolum extorto, puta, cum prætextu inde eruendi aliquantulum arenæ, vel lapidum, et sic occultando inquisitionem monetarum, si eas quæsivit cum legitimo consensu, potest colonus eas omnes sibi licite retinere, dato quod appositum non fuerit aliquod pactum in contrarium, indubie observandum; cum enim lex Civilis pro isto casu domini consentientis nihil statuerit, pro eo adhuc viget jus Gentium, rem inventam totam adjudicans primo inventori. Si autem illas quæsivit sine consensu, aut cum consensu per fraudem, et dolum extorto ; dico, non quidem ante sententiam Judicis, cum agatur de lege pœnali, et quæ non privat inventorem ipso facto, sed post Judicis sententiam, Colonum teneri omnes monetas inventas tradere domino Fundi : sic enim jura sanxerunt in pœnam mittentis manum in Fundum alienum sine consensu domini, qui etiam in casu fraudis, et doli non præsumitur intervenire, et propterea sic adest, perinde ac si non adesset. Ita DD. communiter, hoc addentes, quod si per magiam fuissent inventæ, totum id, quod alioquin cessisset inventori, Fisco cedit. Vide Continuatorem Oper. Tournely de Jur. cap. 3, art. 4, sect. 2, punct. 2.

MENSE MAII.

CAS. I. — Parochus alienata sine licentia Cuppa Calicis spectantis ad Ecclesiam, ex nummis inde susceptis comparavit munuscula quædam, quibus paulatim ad

stuprum induxit Puellam suam Parochianam. Qu. Quot peccata commiserit, et an incurrerit Censuram latam a Paulo II, in extravag. *Ambitiosæ*?

Resp. quoad primam partem, plura hunc Parochum commisisse peccata : si enim Cuppa Calicis erat adhuc apta Sacrificio, et hoc non obstante, eam vendidit ut suam, sine animo reficiendi Ecclesiæ damnum, peccavit peccato furti sacrilegi, peccato infidelitatis in custodiendis rebus Ecclesiæ suæ curæ commissis, et peccato inobedientiæ per aliquos jure divino, per alios humano, de rebus Ecclesiæ non alienandis. Item commisit tot peccata mentalis stupri sacrilegi, quot habuit deliberata desideria deflorandi puellam moraliter distincta ; quibus singulis addenda est malitia incestus, si cognationem spiritualem, aut carnalem cum illa habebat. Commisit etiam tot peccata scandali, quot interpolatis vicibus eamdem ad malum inducere tentavit ; non enim requiritur ad peccatum scandali activi, quod actu sequatur personæ tentatæ ruina, sed sufficit mala actio externa inducentis, ut inter alios cum Navarro recte tradit Alphonsus de Leone. Si his omnibus addas stuprum reale sacrilegum, aut, si vis, sacrilegam realem fornicationem, nec non innumeros præcedentes turpes aspectus, et forte etiam tactus consimiles, præscindendo nunc a constituentibus quid unum cum copula, facile percipies, quot peccata commiserit indignus Parochus.

Quoad secundam partem, me non latet Decretum S. Congr. Concilii, extendens parvitatem materiæ usque ad 25 aureos, scutis 40 monetæ Romanæ æquivalentes. Quoniam vero eadem S. Congr. teste Fagnano in lib. 5, Decretal, de reb. Eccl. non alien. etiam dixit, tutum non esse definire in hac materia, quænam res sint exiguæ, sicque ad quos limites materiæ parvitas reducatur ; ideo saniores Theolog. et Canonistæ dicunt, hanc esse determinandam habito respectu ad majores, vel minores talis Ecclesiæ facultates, ad circumstantias loci, ac temporis, et ad consuetudinem. Propterea si valor Cuppæ alienatæ a Parocho, habito respectu ad hæc omnia, judicio viri prudentis adhuc censeatur exiguus,

ille erit a dicta excommunicatione immunis ; secus vero si secus , ni forte alienationis tempore ignorantia non affectata hujusmodi censuram ignorasset, aut ad illam non advertisset , quo casu adhuc esset ab illa immunis ; sicuti juxta Filliuccium in simili casu immunis etiam esset ab illa Tridentini , quæ est Summo Pontifici reservata.

CAS. II. — Puella quædam domi a Clerico sollicitata ad turpia , huic inflixit alapam. Qu. An ob id sit excommunicata ?

Resp. cum distinct. : Vel hujusmodi sollicitatio tota consistebat in verbis ; vel admixtum habebat aliquod factum. Si primum , et Puella poterat etiam solis verbis sollicitantis temeritatem retundere , ac quodlibet ulterius attentatum cohibere , dico , eam esse excommunicatam , ni forte , Castitatis , ac proprii honoris amore percita , in incontinenti , et quasi non advertens ita excesserit. Ratio est , quia in tali casu prætergressa notabiliter est fines moderatæ defensionis, ob quam solam sacri Canones permittunt Clerici percussionem , ut patet ex cap. *Significati* de homic. et tradunt Innocentius in cap. *Olim.* 1 , in fine de restit. Spol. Hostiensis, aliique communiter. Si secundum , subdistinguo : Vel Puella poterat alia via se ab eo liberare , puta , per fugam, aut clamando , vel non. Si non , certe non est excommunicata , neque peccavit ei alapam infligendo , quia tunc vere fuit justa , et moderata defensio , permissa in cap. *Si vero* 1 , et cap. *Ex tenore.* Si autem alia via poterat se ab eo liberare , dico , eam non esse immunem ab Excommunicatione , dato quod Clerico inflixerit alapam ex proposito ; tunc enim tenebatur aliam viam amplecti , ex. gr. fugiendo , aut clamando , ut constat ex superius adducta ratione. Vide Sayrum de Censur. lib. 3, cap. 27.

CAS. III. — Fure fugiente cum re ablata , quis consulit domino , ut, ad recuperandam rem suam , Furem insequatur ; evenit autem , ut ille hujusmodi consilium exequens occidatur a Fure. Qu. An consulens propterea

evadat irregularis, ac teneatur resarcire damna ex tali morte secuta ?

Resp. cum distinct. Vel Consulens, dando tale consilium, non advertit ad periculum occisionis domini ; vel ad illud advertit, sed noluit de eo dominum monere. Si primum ; dico, Consulentem, secuta occisione, neque evadere irregularem, neque teneri ad refectionem damnorum. Ratio est, quia ubi nulla intervenit culpa, nec irregularitas, de qua agitur, nec ulla obligatio resarciendi damna potest intervenire, cum utraque delictum supponat, quod in casu non est in Consulenti; hic enim ex una parte aliud non intendit, quam suggerere domino modum recuperandi rem suam, si ille id censebat expediens; ex alia nihil aliud, quam bonum intendebat. Si secundum ; dico, Consulentem evadere irregularem, non tamen teneri ad refectionem damnorum. Ratio primæ partis est, quia, præviso periculo occisionis domini, vel huic consulere non debebat insecutionem furis, vel saltem simul etiam hunc monere debebat, ut furem insequendo adhiberet debitam cautelam : alias ipsum exponebat periculo ibi etiam amittendi vitam, ubi res suas recuperare tentabat ; notum enim est, fures non solere incedere sine armis, et quamvis ut plurimum timidi sint, nihilominus aliquando insolescunt, et feriunt. Hinc, cum ob talem omissionem Consulens revera fuerit in culpa, secuta domini occisione, utique censendus est irregularis ; licet enim sine gravi culpa regulariter non contrahatur irregularitas ex homicidio casuali, tamen quæcumque negligentia, ex qua sequitur vitæ jactura, mortalis evadit, ut cum Avila et Gibalino notat Continuator Operum Tournely, de Irregul. part. 3, cap. 1, cui consonant Hostiensis, Joannes Andreas, aliique celebres Canonici Juris interpretes in cap. *Significasti*, 1, Ext. de hom. dicentes, sufficere culpam levissimam ; cum in his casibus non detur culpa levis, nisi ratione subreptionis, et inadvertentiæ. Ratio secundæ partis est, quia, ut cum Lessio, Sayro, et aliis inquit Bonacina de rest. in gen. disp. 1, quæst. 2, punct. 7, n. 16. Consulens non coegit dominum insequi furem,

sed liberum hoc illi reliquit : propterea cum nullam contra dominum commiserit injustitiam, non adest motivum sufficiens ipsum obligandi ad refectionem damnorum, ut tradit etiam Rosign. de rest. 1, disp. 11, § 39.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Sergius approbatus ad sex menses pro excipiendis Confessionibus Sacramentalibus, non advertens lapsum esse tale tempus, absolvit Pœnitentem a peccato inculpabiliter oblito in Confessione ipsi facta intra Semestre approbationis. Qu. An hujusmodi Absolutio sit valida ?

Resp. affirm., quia interenviente errore communi saltem una simul cum titulo colorato, Ecclesia supplet, seu conservat jurisdictionem in Confessario ob bonum commune, publicam quietem, et ad evitanda inconvenientia, et scandala, quæ secus evenirent, ut habetur ex l. *Barbarius* ff. de Offic. Præt. et Can. *Infamis* 3, quæst. 7. Propterea cum in casu nostro intervenerit error communis, quia omnes credebant Sergium habere potestatem Jurisdictionis cum approbatione ad absolvendum, et cum etiam adfuerit titulus coloratus, nempe licentia audiendi Confessiones, cum ignorantia, quod esset jam terminata ; ideo dicendum, quod valida sit illa Absolutio. Ita Innocentius in cap. *Dudum* de Elect. et ibid, Panormitanus. Item Bossius, Giribaldus, omissis aliis, Cardenas, qui dissert. 2, cap. 6, n. 149, testatur se non invenisse Authorem, qui contradicat huic opinioni, quæ propterea certa communiter reputatur.

CAS. II. — Capellanus monitus ab amico, quamprimum minuendum fore a Principe valorem monetarum, mutuat Cajo certam quantitatem Duplarum cum pacto, ut solutionis tempore reddantur juxta valorem, quo traduntur. Qu. An licite ?

Resp. affirm. cum Bonacina de Contr. disp. 3, quæst. 2, punct. 5, n. 14. Lessio, et aliis, dummodo seclusa

fuerint mendacia, ac dolus, a quibus Capellanum abhorrere credendum est. Ratio est, quia imprimis tempore mutui Duplæ illæ revera tanti valent, ac pro tanto idem etiam mutuatarius potest illas expendere, aut impendere, ni diu differat. Deinde illa notitia particularis, quam habet Capellanus, non reddit illum deterioris conditionis, nec aufert communem æstimationem illarum Duplarum, in qua fundatur justus valor, ac pretium earumdem. Propterea si Capellanus mutuat eas cum pacto prædicto, utitur jure suo, non minus ac ille, qui vendit merces pretio currenti, non obstante particulari notitia, quam habet proxime futuræ diminutionis pretii earumdem ob ingentem ipsarum copiam, quæ proxime adveniet. Addo, mutuatarium posse in mutuum recipere hujusmodi Duplas cum pacto easdem reddendi in eodem valore, quamvis probabiliter credat, brevi augendum esse valorem earumdem, ut cum Cardinali de Lugo tradit Clericatus decis. 29, n. 24. Quare ergo idem dicendum non erit in casu nostro de mutuante ?

CAS. III. — Juvenis oculis, ac manibus lasciviens, pluries turpiter tetigit mulierculam, aliamque sæpius turpiter aspexit, semper tamen sistendo in sola voluptate tactus, et aspectus, nec unquam in desideria prolabendo. Qu. An teneatur exprimere in Confessione qualitatem personæ sive tactæ, sive aspectæ ?

Resp. Doctores communius affirmare, eo quia non solum tactus, verum etiam aspectus, quando sunt turpes, id est, facti cum delectatione venerea, ex natura sua ordinantur ad copulam, adeoque participant malitiam finis ; qui propterea sicut exigit expressionem qualitatis personæ, cum qua quis coivit, ita, etc. Verum quoad aspectus sic distinguo. Vel Juvenis turpiter aspiciens mulierculam, stetit in illo aspectu delectabili mulieris quatenus pulchræ, nulla ulterius facta reflexione ad illius qualitatem ; et tunc dico, necesse non esse ut exprimat in Confessione illius qualitatem : vel stetit in illo aspectu delectabili mulieris ut formaliter pulchræ, conjugatæ, aut virginis, aut etc. et tunc dico, exprimendam esse qualitatem personæ nedum tactæ, verum

etiam aspectæ. Ratio est, quia objectum non specificat actum utcumque, sed prout idem objectum est in apprehensione; sic enim est bonum, vel malum moraliter, et constituit actum in tali specie bona, vel mala. Hinc quia ut plurimum turpiter aspiciens mulierem, sistit in venereo aspectu illius ut pulchræ, multoties neque reflectendo ad illius qualitatem, an nempe sit conjugata, vel virgo est. Ideo Puteobonellus de Pœnit. q. 3, art. 4, n. 9, cum Tamburino ait aspectum, non vero tactum, abstrahere a circumstantia personæ, quæ aspicitur, ideoque illam non esse necessario in Confessione exprimendam. Quoad tactus postea, cum sint actiones per actum externum proxime exercitæ circa objectum ipsum, puto exprimendam esse objecti qualitatem.

MENSE JULII.

CAS. I. — Famula sui Heri Concubina tales inter angustias reperitur, ut si a Concubinario declinet, infamiæ notam incurrat, cum periculo etiam aut meretricandi, aut in extremam necessitatem incidendi; si vero in ejus domo permaneat, et illi voluptuose inservire recuset, rationabiliter mortem, vel saltem vulnera timeat. His in angustiis consulit Confessarium, quid sibi agendum. Attenditur consilium Confessarii?

Consilium Confessarii hoc est, quod ipsa eadem die discedat ab illa domo, humiliter se Deo commendans, ac nihil metuens; cum enim Deus sit adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, providebit illius famæ, et indigentiæ, si ipsa bene se geret, et non abhorrebit a labore. Nec Famula desistere potest ab hujusce consilii executione; nam ex una parte Anima præferenda est cæteris rebus l. *Sancimus* §. penult. C. de Sacros. Eccl. ex alia malum Concubinatus est præsens, in re practicum, atque irreparabile in hoc casu (si non exeat ab illa domo) nisi cum vitæ dispendio. E contra malum infamiæ, aut extremæ paupertatis, est in solo periculo, et alia via reparabile, cum non desint tum humana, cum divina suffragia iis, qui corde sincero Deum quærunt. Quod si, non obstantibus hisce suasionibus, ipsa nolit ab ea

domo divertere, adducens prætextum infamiæ, et paratam se ostendens potius ad mortem subeundam, aut vulnera, non est absolvenda, quia rationabiliter dubitari potest, ac debet, quod ficte promittat, cum sic velit se denuo exponere evidenti periculo iterum succumbendi peccato minis territa; nemo enim pro quacumque magna fama prudenter eliget mori, inquit Lessius de Just. lib. 2, cap. 11. Deinde cum inhabitatio in eadem domo cum Concubinario sit occasio proxima removibilis, edocta ab experientia præterita, debet illam declinare; nec debet pluris æstimare periculum infamiæ, quam periculum graviter offendendi Deum, et perdendi animam suam; Deus enim, et anima etiam famæ præferri debent.

CAS. II. — Parochus baptizavit infantem invito ejus Patre Judæo; consentiente tamen Avo paterno Fideli. Qu. An licite?

Resp. affirmative: cum enim Avus sit stipes et caput omnium tam masculorum, quam fœminarum, per lineam virilem descendentium, ut patet ex l. *Nepotes ff. de his*, et §. *Qui igitur* instit. de pat. potest., illius consensus anteponendus est dissensui parentum, præcipue in materia Religionis, ut recte ait Tonellius Manud. Infid. ad fid. concl. 8, n. 2, nam quousque vivit Avus, Parens nequit habere alios in sua potestate, cum ipse tunc sit in potestate Patris, et qui ab alio possidetur, alium possidere non possit; l. *Si eveniet*, ff. ad l. Juliam de adult. Quod si opponas periculum deinceps Judaizandi cum parentibus; dico, tali periculo occurri, cum Infans, recepto baptismate, educatur apud Fideles, uti fieri solet. Consule Tonellium loc. c. ac ibi videbis tempore Clementis VIII. ac Urbani VIII. sic fuisse practicatum Rômæ.

CAS. III. — Valerianus prævidet sibi secuturam pollutionem nocturnam, si cœnando comedat tales cibos, vel cibos tali modo conditos. Hoc non obstante, abstinere non vult a tali comestione; inquit enim: Talis comestio prohibita non est. Qu. An pollutio inde subsequens sit illi imputabilis ad culpam?

Resp. negat., si non comedit hujusmodi cibos ad hunc finem, ut sequeretur pollutio, neque in eam consensit, quando secuta fuit, neque de ea postmodum sibi complacuit. Ratio est, quia tunc evenit per accidens, ac præter intentionem; comedendo namque illos cibos, præcise habuit animum utendi jure suo faciendo hujusmodi comestionem non prohibitam, nec illam fœditatem ullo modo intendit. Neque dicas, eam intendisse indirecte, vel in causa, volendo directe illam comestionem, ad quam sequebatur. Contra enim cum illa comestio non esset causativa pollutionis ex se et suapte natura, potuit solum eam prævidere ut secuturam per accidens. Jam vero effectus subsequens ad causam licitam solum per accidens, quamvis prævisus, non est imputandus ad culpam ei, qui apposuit talem causam; secus deberet quis abstinere ab equitando; et Confessarii, Medici, ac Chirurgi relinquere deberent suum ministerium, etiam in casu, quo remotum esset omne periculum consensus in tales motus; et qui sentit pruritum in iis partibus, non posset licite se perfricare etiam ad solum finem sedandi pruritum, quia aliquando sequitur spirituum commotio; quod sane quandoque est moraliter impossibile omittere. Ita Bossius de Confess. scrupul. tit. 1, § 16, num. 2205. Giribaldus, Viva, aliique communiter.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Domitilla Vidua se gravidam sentiens ex carnali concubitu cum Marito Sororis sui Conjugis defuncti, ad evitandam infamiam procuravit abortum. Qu. An a peccato illius concubitus, ac crimine abortus absolvi possit a quolibet Confessario ?

Resp., peccatum talis concubitus de se utique esse absolvibile a quolibet Confessario in hac Diœcesi; tum quia non est incestus, cum affinitas non pariat affinitatem; tum quia etiamsi esset hujusmodi, hæc reservatio talis peccati non est quoad fœminas, sed quoad mares tantum. Circa crimen abortus postea videndum est, an

fœtus esset animatus, vel inanimatus : si enim non erat animatus, etiam, effectu secuto, absolvi potest a quocumque Confessario, cum iste casus non sit reservatus. Si vero erat animatus, non secuto effectu, potest absolvi ; secuto autem effectu, requiritur pro tali absolutione Confessarius specialiter ad hoc habens facultatem, juxta præscriptum a Gregorio XIV. in Constitutione incip. *Sedes Apostolica,* ubi pro tali crimine lata est etiam Excommunicatio ab eodem Pontifice ibidem Episcopo reservata, ut inter alios notat Giribaldus de Pœnit. c. 15, § 5, n. 60.

CAS. II. — Viator sui juris, ac valde dives, ne occideretur a latronibus, in quos inciderat, ex animo, imo cum juramento, illis promisit certam pecuniæ quantitatem, si illæsum dimitterent. Ob eam rem fuit dimissus incolumis ; nunc tamen in tuto positus, recusat implere promissum. Qu. An tencatur solvere ?

Resp. affirmative : sic enim expresse colligitur ex cap. *Debitores* de jurejur. Et ratio est, quia licet non mereatur Latro, ut ei promissum servetur, meretur tamen Deus, ut detur res promissa per ejus nomen. Propterea Viator, qui promisit pecuniam cum juramento, et ex animo, id est, cum vera intentione se obligandi, debet vel obtinere ab Episcopo relaxationem juramenti, antequam labatur terminus præfixus solutioni ; vel solvere, ne verificetur, quod Deus factus fuerit testis falsitatis. Neque solvendo Viator cooperaretur injustæ receptioni in tali casu, nam ipse præcise faceret, quod sua interest, relinquendo postea in arbitrio Latronis pecuniam solutam acceptare, vel non. Ita DD. communiter.

CAS. III. — Infante periclitante, Obstetrix illum domi baptizavit, sed cum substantiali voluntaria mutatione formæ. Post annos quindecim id refert Parocho in Confessione, monens ipsum, ut propterea consulat spirituali saluti talis adolescentis ; caute tamen, ne ipsius crimen detegat illi, aut aliis Parochianis, probe consciis, ipsam scire conferre baptisma, ac talem juvenem ab ea fuisse baptizatum. Qu. Quid agendum a Parocho in isto casu ?

Resp., Parochum in hoc casu curare debere, ut prima occasione Doctrinæ Christianæ inter alios intersit etiam noster Adolescens, et, sumpto aliquo prætextu, facere ut hic stet prope ipsum. Inde ferventi sermone habito circa necessitatem Sacramenti Baptismi, omnes adstantes vehementer hortabitur, ut una simul cum actu doloris de omnibus peccatis ab eis commissis, eliciant actum desiderii recipiendi tale Sacramentum, si forte ob aliquem defectum illud valide non recepissent. Postremo, sumpto prætextu illos benedicendi cum aqua lustrali, prius bene madefacto aspersorio, per aspersionem baptizet (proferendo submissa voce formam) nostrum Adolescentem ipsi vicinum, dein successive benedicat alios; et sic salvo sigillo Confessionis, salva fama Obstetricis, consultum sufficienter erit saluti spirituali ejusdem Adolescentis, non obstante illius inadvertentia : quamvis enim advertentia, quando adest, plurimum prosit ad uberiorem fructum; non est tamen necessaria ad valorem Sacramenti, suppositis omnibus aliis requisitis, ut recte tradit Rosignolus de Bapt. q. 3, art. 4, § 4.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Titius ob plura peccata luxuriæ cum fœminis commissa graviter increpatus a Confessariis, vovit imposterum non amplius concumbere cum aliqua fœmina. Qu. An licite possit Matrimonium contrahere, et consummare, prius non obtenta solutione ab emissi voti ligamine?

Resp. cum distinctione : Vel Titius, emittendo hujusmodi votum, habuit intentionem se obligandi ad abstinendum deinceps a quocumque concubitu, sive illicito, sive licito; et tunc certe, si vult contrahere, et consummare Matrimonium, requiritur dispensatio. Vel solum intendit se obligare in subjecta materia, hoc est, ad abstinendum a concubitu illicito, ob cujus frequentem, aut repetitum usum fuerat graviter increpatus a Confessariis, et tunc opus non est dispensatione, si

velit Matrimonium contrahere; votum enim est quædam obligatio particularis, quam sibi quis imponit, et propterea tantum obligat, quantum quis intendit se obligare. In dubio postea, an Titius intenderit se etiam obligare ad abstinendum a concubitu Matrimoniali, non requiritur dispensatio; quia cum in dubio possessio stet pro libertate, censetur ad hoc se non obligasse : ubi enim agitur de obligatione inducenda, facienda est stricta interpretatio; et vovens præsumitur se minus obligare, ut ait Panormitanus in c. *Ex parte* de Censibus num. 3 et 4. Vide Bossium de Consc. dub. part. 2, tit. 2 § 45, n. 1666 et seq.

CAS. II. — Mutuatarius omnino inscius, quod mutuans in actu contractus intenderit mentaliter lucrum ex ipsomet mutuo, exactionis tempore ultra sortem ei tradit aliquid ex amicitia, aut liberalitate. Qu. An mutuans possit tuta conscientia tale plus accipere, et acceptum retinere ?

Resp. cum distinct. Vel Mutuans, ex circumstantiis conjiciens Mutuatarium ipsi tradere hoc plus ex pura gratitudine spontanea, mutat primam intentionem, et tale plus recipit præcise juxta motivum dantis; vel eamdem intentionem servando, istud plus recipit tanquam lucrum ex mutuo ratione mutui. Si primum; dico, ipsum quidem peccasse peccato usuræ mentalis, quousque perstitit, ac quoties repetiit illam pravam intentionem. Si hac tamen exclusa, recipit tale plus ex mera spontanea gratitudine, seu ex amicitia, et liberalitate, neque illicite illud accipit, neque tenetur acceptum restituere; nihil enim intervenit, ratione cujus tam receptio, quam retentio evadat injusta; tunc enim illud plus est donum gratuitum, debito modo acceptum, et datum. Si secundum; dico, Mutuantem illud plus usurarie accipere, ac propterea, ut injuste acceptum, et acquisitum, debere illud restituere; nam illa intentio corrupta, quam habet in actu receptionis, vitiat ipsam acceptionem, licet alioquin posset esse licita, et retentionem rei, alias futuram a peccato immunem. Ita DD. communiter.

CAS. III. — Sumptis a pertranseunte Romipeta duobus uvæ racemis, Villicus, ei obviam factus, impegit illi totidem calces, et pugnos. Qu. An per hoc inciderit in casum Bullæ Cœnæ ?

Resp. negative : nisi calces, et pugni fuerint adeo bestiales, ut (quod neque apparet perceptibile) per tales ictus alicujus partis corporæ facta fuerit aperitio, aut mutilatio, vel ipsius Romipetæ interfectio ; verba etenim Bullæ sunt hæc : *Item excommunicamus, et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes etc. Romipetas, seu Peregrinos etc.* quæ verba debent intelligi in suo sensu proprio, et rigoroso; cum agatur de re adeo odiosa, sicuti est excommunicatio major Summo Pontifici reservata. Vide Syrum Placentinum Dilucid. part. 1, cap. 3, dub. 6. Bonacinam, Duardum, etc.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Capellanus fœminæ accedenti ad ipsi confitendum dicit e Confessionali : Vade ad confitendum alteri Confessario ; cum enim sim tua pulchritudine captus, timeo ob infirmitatem meam aliquem lapsum, si mihi confitearis. Qu. An sit denuntiandus ?

Resp. affirmative cum Castropalao, quem refert, ac sequitur Eminentissimus Cozza in Dubiis selectis dub. 27, n. 168. Ratio est, quia illa verba, *cum enim sim tua pulchritudine captus*, equidem non referuntur ad pulchritudinem Animæ, sed ad illam corporis, a qua dum se captum dicit, clare ostendit quoniam amore illam prosequatur, nimirum, inhonesto et turpi ; cujus stimulis etiam se adeo premi fatetur, ut si illius Confessionem excipiat, nec ipsemet sciat, an sacrosancti Ministerii exercitium, loci sanctitas, et apprehensio gravissimi scandali alias secuturi, futura sint satis ad cohibendam impuram flammam ; et propterea illi suadet, ut ad pedes alterius Confessarii se conferat pro expiatione propriæ conscientiæ. Hæc omnia peracta a Confessario in loco ad audiendas Confessiones deputato, et oc-

casione Confessionis, meo videri, plusquam sufficiunt ad inducendum onus, ipsum Sanctissimæ Inquisitioni denuntiandi.

CAS. II. — Igne casualiter applicito domunculæ mulieris, quæ recenter parturit; Parochus parum distans illico fuit accersitus, ut iret ad ibi baptizandum Infantem, et dandam Absolutionem mulieri ab omnibus derelictæ, nec potenti e lecto surgere. Is tamen ob rationabilem metum mortis, noluit illuc intrare, quamvis adesset tempus et se conferendi, et prædicta peragendi. Qu. An talis omissio sit illi imputabilis ad culpam?

Resp. affirmative cum S. Thoma, Suarez, cæterisque communiter; ut videre est apud Barbosam de Off. et potest. Parochi, c. 17, n. 12; tenetur enim ex justitia, non solum cum probabilii, verum etiam cum certo periculo suæ vitæ corporalis, consulere necessitati spirituali suorum Parochianorum. Et sane si ordo Charitatis postulat, ut unusquisque in extrema necessitate spirituali proximi sui, potens ei succurrere, illi succurrat etiam cum certo periculo vitæ propriæ, ut mente sanctorum Augustini et Thomæ de communissima sententia testatur Sporer tract. 5, in 4, præc. Dec. c. 6. sect. 4, n. 125; quanto magis ad id tenebitur Parochus, cujus sunt oves propriæ, et qui ad hoc alitur, ut de iis, quæ nedum necessaria sunt, verum etiam utilia, ad spiritualem salutem, suis Parochianis provideat: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*, inquit summa Veritas Christus, Joan. 3. Et. 1, Joan. 3, legitur: *In hoc cognovimus Charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus* (nota istud verbum *debemus*) *pro fratribus animas ponere.* Propterea S. Augustinus lib. de men. c. 6, inquit: *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere.* Et ratio est, quia vita spiritualis, etiam aliena, utpote majus bonum, ac bonum ordinis altioris, præferri debet saluti corporali cujuscumque viventis. Ex his patet, quam graviter noster Parochus deliquerit, maxime in casu, quo periculum vitæ erat solum probabile, et per actum Contritionis poterat sibi consulere.

CAS. III.— Rusticus certus de debito olim contracto, incertus vero an suo Creditori, nunc defuncto, satisfecerit, se immunem credit ab onere solvendi istius hæredibus, eo quod hic et nunc dubium sit, an sit adhuc debitor. Qu. An sana sit hæc rusticana doctrina ?

Resp. negative : ex quo enim hic et nunc dubium sit, an sit adhuc debitor, potius credere debet, se non esse immunem ab onere solvendi hæredibus Creditoris, cum in casu possessio stet pro obligatione certo contracta, quam sane non adæquat, et a qua non eximit solutio dubia; sicuti dubium de Voto impleto, aut de Officio persoluto, non eximit ab onere implendi Votum, et recitandi Officium. Neque dicas, in dubio meliorem esse conditionem possidentis : nam ex hac regula potius eruitur, Rusticum in casu teneri ad solvendum, cum, juxta dicta, possessio stet pro obligatione certo contracta. Tenetur ergo in casu solvere hæredibus defuncti, et quidem in integrum, ni certus sit de partiali solutione jam facta, ut contra Layman recte tradit Merolla disp. 3, de consc. c. 3. dub. 2. n. 65, in fine, possessio enim stat pro obligatione totali, et executio obligationis, utpote quid facti, non præsumitur, nisi probetur, ut apud Bossium tradit Mascardus de probat. concl. 737, num. 1. Hinc sicut in dubio, an quidquam Officii recitaverim, teneor totum Officium recitare, ita etc. Vide Merollam l. c. id asserentem quoque in casu, qua etiam Creditor de solutione dubitaret.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Berta ad fidem conversa rem habuit cum Cajo, qui tenuerat ejus filium ad Baptismum, dum, ipsa adhuc in judaica perfidia persistente, solus ejus Vir fuerat Catholicam religionem amplexus. Qu. An talis concubitus sit incestuosus ?

Resp. negative, quia Berta non erat cognata spiritualis Caji, hanc enim cognationem non contraxit, quando ejus filius fuit baptizatus, nam tunc, utpote Judæa, non suberat legibus Ecclesiæ : non postea, quando

fuit baptizata ; quia quod ab initio non subsistit, tractu temporis non firmatur ; ut cum Sanchez, Bonacina, et aliis communiter tradit Continuator Operum Tournely tom. 3, tract. de Dispens. in spec. part. 1, c. 4, de imped. Cognat.

CAS. II. — Executor testamentarius ex lectione Testamenti conjiciens, Sergium reliquisse pro anima sua centum Missas, ut id executioni mandetur, Amico scribit Forosempronium, ubi juxta taxam Synodalem eleemosyna pro Missis est julius Urbinus, minor Romano per tres asses cum dimidio circiter, reliquum, quod hic dari solet, sibi retinendo tanquam fructum industriæ. Qu. An id licite fieri possit ?

Resp. negative : non enim locum habet fructus industriæ, ubi totum est sub præcepto tradendum, sicut in casu præcipiunt tot Constitutiones Pontificiæ, et S. Congr. Concilii, damnabile lucrum appellantes quamcumque retentionem partis eleemosynæ in hisce casibus. Sufficiat, ad id clarius dignoscendum, animadvertere, S. Pontificem, simulque Archiepiscopum nostrum Benedictum XIV, fel. reg. in sua Constit. edita die 30 Junii 1741, declarare, quod sive Laici, sive Sæculares, parte stipendiorum sibi retenta, sive ibidem, sive alibi, ubi minora stipendia tribuuntur, Missas celebrari fecerint, præter alias pœnas ad Episcopi arbitrium, excommunicationis pœnam, si Clericus, sive quicumque Sacerdos, pœnam Suspensionis, ipso facto incurrant, a quibus nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.

CAS. III.— Detentus in Carcere, non valens aliter vitare mortem, ac patibuli infamiam, occidit Custodem Carceris, et fugam arripuit. Qu. An id faciendo peccaverit ?

Resp., quidquid sit, quod speculative loquendo sententia negativa in aliquo casu possit habere locum, ut inquiunt Lugus, Diana, Panimolla, et alii ; practice tamen absolute dicendum est, quod detentus in Carcere licite non possit occidere Custodem Carceris : nam in

primis nemo, saltem regulariter, damnatur ad mortem nisi servato juris ordine; deinde cum unusquisque facilis sit ad credendum, se esse innocentem, vel saltem non adeo reum, ut morte plecti mereatur, late nimium aperiretur via ad operandum conformiter ad propositionem 18 damnatam ab Alexandro VII, si occisio in casu ut licita admitteretur. Quare dicendum, neque in tali casu licere occisionem Custodis, tum quia hic est inculpabilis, et exequitur mandatum Judicis; tum quia, ex D. Augustino in Epistolam ad Publicolam, et alibi, qui sine aliqua administratione aliquem occidit, non excusatur a culpa; tum quia denique, si neque per appellationem ad aliud tribunal potest damnum impediri, id est per accidens, tribuendumque proprio infortunio, non secus ac si de Cœlo vita tangeretur; ut inquit Viva ad dictam propositionem 18.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Aristobolus, relicto dominio directo omnium suorum bonorum unicæ Filiæ, quam habebat, usumfructum eorumdem pro medietate reliquit eidem; pro alia medietate Uxori, dummodo utraque caste vivat. Qu. An si Filia alicui nubat, et Uxor transeat ad secunda vota, possit licite consequi relictum a Testatore?

Resp., standō terminis casus, posse. Ratio pro utraque est, quia castæ sunt Nuptiæ, et concubitus cum propria Uxore castus, can. *Nicæna* dist. 31. Me non latet, Sanchez de Matr. lib. 8, disp. 91, n. 4 et 16, in eam potius inclinare sententiam, probabilioremque existimare, quæ affirmat, in casu, quo dicta conditio injuncta fuisset ab extraneo in ordine ad Viduam, posse hanc, secundo nubendo, in tali casu consequi relictum a Testatore: secus vero dato, quod illam injunxerit Maritus ipsius, eo quia cum secundæ Nuptiæ sint Marito invisæ, præsumitur quod per ly *caste* ipse intenderit abstinentiam a secundis Nuptiis. Quoniam vero verba intelligenda sunt in suo proprio sensu, quando huic nihil obstat, neque de alio constat, quod hujusmodi verba in

alium sensum detorqueat, ideo in prima sententia sisto, quam inter alios tradit Abbas in cap. *Quod ad te ext.* de Cleric. Conjug. Unum hic addo, et est, quod si Testator apposuisset hanc aliam conditionem loco prædictæ: *Dato quod non nubant*, tunc adhuc posset Filia consequi relictum nubendo, non sic autem Vidua; quia quoad Filiam jura sanxerunt in favorem Matrimonii, ut illa conditio nullius sit efficaciæ, adeoque quod, hoc non obstante, Filia possit alteri nubere : non sic quoad Viduam.

CAS. II. — Orta contentione inter duos Milites ratione ludi alearum, unus alterum provocavit ad singulare certamen illico peragendum in loco parum distanti. Id audiens Clericus, cito eo se contulit, ob solum finem impediendi certamen ; frustra vero, siquidem Milites, ejus precibus, et clamoribus inflexibiles, ad invicem dimicarunt, et coram Clerico unus alterum interemit. Qu. An occisus sepeliri possit in loco sacro, et tam occisor in Excommunicationem, quam Clericus incurrerit in Irregularitatem ?

Resp. Cum isthæc pugna inter duos hos Milites rigorose duellum dici non possit, eo quia in rixa et calore iracundiæ unus incitavit alterum, et statim ambo se contulerunt ad pugnandum, ex quo infertur non præmeditate, nec prævia conventione eos ad invicem dimicasse, inde statim emergit responsio, quod per se loquendo, quantum ex hoc est, potest occisus sepeliri in loco sacro. Occisor non incurrit in Excommunicationem, nec Clericus contraxit Irregularitatem. Ratio primi ac secundi est, quia privatio Ecclesiasticæ Sepulturæ, et Excommunicatio sunt pœnæ graves, statutæ contra vere et proprie Duellantes, adeoque cum simus in materia odiosa, eos tantum afficiunt, qui verum duellum commisere ; sicque cum illi duo Milites juxta dicta verum duellum non commiserint, ideo etc. Ratio tertiæ partis est, quia ille Clericus internecionis alterius nullo modo particeps fuit ; non enim contulit opem, non consilium, non mandatum, non denique aliud quidquam, quod in homicidium, ab altero Milite perpetratum, influxerit ;

quinimo rixantes ad pacem hortatus fuit; quantum in ipso erat, eosdem dissuasit, ut abstinerent a pugna, uno verbo, fecit, quantum potuit, ut ab eis omne malum averteret, simulque eos reconciliaret; propterea non contraxit Irregularitatem. Nec obstat, quod fuerit præsens homicidio; præsentia enim, ob quam contrahitur Irregularitas, ea est, qua quis homicidæ assistit, ut ipsum defendat, quando opus sit, vel illum non prohibet a cæde, dum potest, vel denique sua præsentia illum audaciorem, ac fortiorem reddit; quorum neutrum cum de nostro Clerico verificetur, hinc est, quod ab Irregularitate revera est immunis. Ita DD. communiter.

CAS. III.—Navi mercibus infidelium onusta ob ingentem procellam in scopulos allidente, Titius ad littus maris existens, notabilem mercium portionem surripuit, et ut hæc domum suam deferretur, curavit. Qu. An incurrerit Censuram latam in Bulla Cœnæ Domini, et teneatur ad restitutionem?

Resp. cum distinct. Vel hujusmodi merces sunt quidem infidelium, sed Christianorum, puta Angelorum; vel sunt infidelium Paganorum, seu Turcarum. Si primum; dico Titium cum Censuræ notitia hujusmodi bona surripientem, revera illam incurrisse, ni forte habuerit animum illa restituendi vero domino. Ratio est clara, quia Bulla expresse subjicit Censuræ surripientes bona naufragantium Christianorum sive in navibus, sive in mari, sive in littore; et hæc certe restitui debent per se loquendo, cum ipsi non sint hostes Catholicorum. Si secundum; dico, Titium non incurrisse Censuram, neque teneri ad restitutionem, quia Turcæ sunt hostes infensissimi Catholicorum, surripientes his, quidquid possunt surripere. Unde si aliquando surripi aliquid potest etiam ipsis, hoc juste illis surripitur in compensationem. Vide Syrum Placentinum l. suprac. nempe par. 1, cap. 3, dub. 1.

ANNO MDCCXLIX.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Tarquinia Mariti graviter ægrotantis vicinam mortem agnoscens, suspiriis, atque clamoribus cœpit aerem replere. Id audiens Galenus, olim cum ea luxuriose versatus, illius domum ascendit; eamque sic mœstam videns : heu, inquit, quid est hoc? si unum Maritum amittis, alium cito reperies. Visne me, si tuus moriatur conjux? Cui illa subridens annuit; functoque Marito, se ut Sponsos mutuo tractare cœperunt. Qu. An subsistant hujusmodi Sponsalia?

Resp. negative : siquidem etiam dato, quod Galenus cum Tarquinia luxuriose versatus nunquam ipsam cognoverit per adulterium, et hæc annuens interrogationi ejusdem verum habuerit animum se illi spondendi, ipsumque ducendi post mortem Conjugis; adhuc deest in casu Galeni repromissio; hic enim per ea verba Tarquiniæ prolata, antequam ejus Conjux obiret, illi quidem ostendit animi propensionem ad ipsam ducendam, neutiquam vero se ipsam ducturum illi positive promisit, ut serio perpendenti eadem verba fit manifestum. Propterea cum uno ore DD. acJura clament, sponsalia absque mutua promissione non posse subsistere, consequens est, ut isthæc Sponsalia nullo plane valore polleant : addo, eadem nullius adhuc roboris futura, etiamsi uterque vere alteri promisisset, nam promissio Nuptiarum, vivente adhuc Conjuge, facta, nedum est graviter illicita, verum etiam omnino nulla et irrita, ut ex cap. fin. *De eo qui duxit*, et ex l. fin. ff. de Pact. notant DD. Quare ni postmodum se ut Sponsos tractando Galenus et Tarquinia Nuptias sibi legitime promiserint, luce clarius est, eorumdem Sponsalia nequaquam subsistere. Rosignol. t. 1, de Matr. disp. 3, § 5.

CAS. II. — Horum sparso rumore Sponsalium, advenit Cajus, qui Tarquiniam sibi et non alteri nubere

debere prætendit, eo quia mutuo sese promiserant, antequam ipsa sponderet, ac nuberet Conjugi, nunc vita functo. Qu. An justa sit, ideoque in foro conscientiæ satisfacienda ista prætensio ?

Resp. affirmative, si Tarquinia, ut supponitur, sine justa causa olim resiliit a Caji sponsalibus, hicque eam hactenus expectavit, nec interim emersit justum motivum Caji Nuptias repudiandi. Ratio est, quia promissio rite facta, et acceptata evadit debita, cujus obligatio suspenditur quidem per impotentiam intermediam, extinguitur vero per solam impotentiam perpetuam ; ut patet exemplo tum Debitoris ad extremam necessitatem redacti, qui si dein fiat potens, tenetur satisfacere Creditoribus ; tum promissoris rei, per venditionem postea alteri traditæ, qui dissoluto ex aliquo casu venditionis contractu, recuperatam rem tenetur tradere promissario, quando neque hic ea indignus, neque ipse illius indignus factus est. Cum ergo Tarquinia ex una parte rite promiserit Nuptias Cajo, hicque talem promissionem rite acceptaverit ; ex alia nunc ipsa possit Cajo nubere, qui ea indignus factus non est ; dicendum, quod si vult ad secunda vota transire, nec ulla premitur necessitate nubendi alteri a Cajo, huic nubere teneatur. Nec obstant jura, quæ opponi solent ; hæc enim statuunt quidem, quod si unius sponsa alteri nubat, debet cum isto manere, cum pro eo tunc impleri nequeat prima promissio; at non dicunt, hanc penitus extingui, adeo ut soluto Matrimonio, si velit denuo nubere, primo nubere non teneatur. Imo cum in jure expressum habeatur, æquum non esse, ut delinquens ex suo delicto commodum reportet ; inde colligitur, quod Tarquinia debeat nubere Cajo, cum jampridem se ipsi absolute nupturam promiserit. Vide Pontium lib. 12, cap. 13, et Giribaldum de Matr. cap. 2, dub. 4.

CAS. III. — Post varia rerum discrimina Cajo de facto tandem nubit Tarquinia; at post primum partum incidit in amentiam. Qu. An Cajus licite possit cum ea prosequi maritale commercium ?

Resp. cum distinctione. Vel amentia Tarquiniæ, peritorum judicio, tanta est, ut prolis, quæ alias concipienda rationabiliter prævidetur, suffocatio in utero, vel immatura ejectio prudenter timeatur; et in tali casu dico, non posse Cajum pro eo tunc cum ea prosequi maritale commercium, ne prolem isti periculo exponat, quod teste Rosignolo de Effect. Matr. præn. 3, sect. 4, per omnes illicitum est. Vel amentia Tarquiniæ est adeo levis, ita ut, omnibus bene perpensis, seclusum prudenter judicetur hujusmodi periculum; et tunc subdistinguo: Vel maritale commercium majus, ac notabile detrimentum affert saluti Tarquiniæ; et tunc dico, non posse Cajum etc. nam juxta S. Thomam in 4, dist. 32, q. 1, art, 1. Conjux non habet potestatem in corpus alterius ni salva incolumitate personæ. Vel maritale commercium non affert Tarquiniæ etc. et tunc dico, Cajum illud prosequi posse, cum ipsum nil reddat illicitum.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Titius habens filiam nubilem, sed ob inopiam impotens illam dotare, ad eam collocandam in Matrimonium, furtive surripuit Scuta quingenta, quibus ipsa facile Sponsum invenit, cui proinde fuit Matrimonio copulata. Post aliquot annos Matrimonii consummati detegit Sponsus, Dotem, sibi ab Uxore delatam, totam fuisse Francisco ablatam per furtum. Qu. An teneatur huic illam restituere?

Resp. cum distinctione. Vel Sponsus adhuc servat hujusmodi Dotem impermixtam, aut discernibilem ab aliis suis pecuniis; et tunc dico, eam, si legitime præscripta non sit, esse restituendam Francisco. Vel hujusmodi Dos jam est legitime præscripta, aut fuit ab eo permixta cum suis qualitate similibus, et quantitate majoribus; et tunc dico, sponsum non teneri ad ejus restitutionem. Ratio primæ partis est, quia res aliena quamdiu præscripta non est, ac existit in specie ab aliis discernibilis, manet sui domini, et ad illum clamat, ubicumque sit. Hinc Sponsus in isto casu debet inter

eos se recensere, qui putando ducere divitem, duxerunt pauperem. Ratio secundæ partis est, quia per legitimam præscriptionem transfertur dominium, et ob dictam mixtionem Dos accepta censetur moraliter consumpta, ut cum Glossa in l. 78, ff. de solut. tradunt DD. commun. Quare cum bonæ fidei possessor, uti est noster Sponsus, consumpta re accepta, ad ejus restitutionem non tencatur, dicendum etc. Neque opponas, hunc teneri ad id, in quo factus est ditior; cum enim Dos ei data fuerit ad sustinenda onera Matrimonii, nec exinde pro se ullum lucrum perceperit, ex ea in nihilo ditior factus est; ideoque etc. Sporer, La Croix, aliique passim.

CAS. II. — Lutheranus Dux exercitus minatur mortem parentibus Sacerdotis, nisi hic legat Opera Lutheri, et coram ipso Missam celebret. Qu. An Sacerdos possit ob tale motivum licite ista peragere?

Resp. cum distinctione. Vel Lutheranus id facit in Fidei, ac Catholicæ Religionis contemptum; et tunc certe nequit Sacerdos licite ista peragere; nam, ut recte inquit Duardus in Bul. Cœn. Dom. lib. 1, c. 2, q. 2, n. 16, id esset virtualiter contemnere, aut negare fidem exterius, vel saltem contemptori cooperari : quod, utpote malum ab intrinseco, neque ad parentum, neque ad propriam mortem evitandam fieri potest. Vel id facit præcise ad suæ potentiæ ostentationem, vulgo *per bravura;* et tunc dico, quod si Sacerdos rationabiliter metuit mali comminati executionem, ni dicta peragat, potest quidem ea licite peragere, secluso omni periculo scandali, subversionis etc. sunt enim ex una parte actiones malæ, quia prohibitæ; ex alia, prohibitio earumdem non censetur in hisce casibus intervenire, cum Ecclesia non obliget cum tanto incommodo : si tamen adsit periculum scandali, aut etc. tunc neque ad dictum finem ea licite facere potest; præceptum namque sibi, vel proximo non inferendi laqueum iniquitatis, obligat semper et pro semper, ut tradunt D. D. commun. Propterea Apostolus 1, ad Cor. 8, dicebat : *Si esca*

scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

CAS. III. — Alter Sacerdos majori Excommunicatione innodatus, sed occulta, sciens proximam sui electionem in Parochum, tacet, eo quod ipse sit pauper, et habeat parentes egenos. Qu. An ita se gerendo peccet?

Resp., hujusmodi Sacerdotem non peccare, si ex una parte prius absolvi nequeat a Censura; ex alia, sua suorumve parentum egestas talis sit, ut, ni eligatur ad tale Beneficium, gravi incommodo cogatur succumbere; peccaret vero, si vel prius absolvi possit a Censura, vel sua, suorumque parentum indigentia sit levis. Ratio primæ partis est, quia in tali casu locum habet Epicheïa; cum enim obligatio se excusandi proveniat a præscripto Ecclesiæ, quæ est mater pia, jure creditur, hanc non extendisse præscriptum suum ad hujusmodi casum cum tanto Sacerdotis incommodo, præcipue cum se eo tunc excusando subsit periculo ingerendi electoribus suspicionem, suo nomini, et characteri non parum indecoram, vel incurrendi apud ipsos notam infamiæ, aut saltem immodicæ charitatis erga se, suosve parentes. Ratio secundæ partis est, quia si potest a Censura prius absolvi, id curare tenetur, ut sui electio canonice fiat; alias evincitur contemnere, vel saltem negligere Canones, ac præscriptum Ecclesiæ: et levis egestas non excusat ab observantia præcepti de impedienda in casu sui electione ob inhabilitatem ratione Excommunicationis. Rosignolus, tom. 1, de Censur. q. 2, c. 18, monens in primo casu, ultra absolutionem a Censura, debere Sacerdotem occulte petere ab Episcopo dispensationem, ut sui electio convalidetur.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Capellanus nocturno tempore vocatus ad ministrandam Extremam Unctionem Infirmo, sumpsit per errorem Oleum Catechumenorum pro Oleo Infirmorum, eoque inunxit ægrotum. Qu. An valide?

Resp. Licet opinio affirmans probabilis videatur, tum quia utrumque est Oleum Olivarum ab Episcopo benedictum, in quo per Concilia sita est hujusce Sacramenti materia remota; tum quia unum est, ab alio Ecclesiastica tantum benedictione diversum, sicque Olei mutatio potest quidem reddere illicitam, non autem invalidam Sacramenti collationem; tum quia denique diversi fines, ad quos unum quodque ordinatur, utpote fines operantis, extrinseci sunt, nec variant materiæ substantiam. Hoc non obstante, sententia negativa, meo videri, aperte colligitur ex doctrina S. Thomæ; cui ultra plures alios DD. adamussim consonant Acta Eccl. Mediol. part. 4, in Instr. Unct. de dilig. in Ministr. ait enim Angelicus Opusc. 65, de Sacr. Unct. *Si Sacerdos deprehenderit se errasse, et ex errore de alio oleo* (nempe Catechumenorum) *unxisse, debet adhuc de oleo debito ungere*, id est, de Oleo Infirmorum, ut ex contextu S. Doctoris manifeste constat. Atqui si Capellanus in casu valide unxisset, non deberet amplius de Oleo debito ungere; cum enim error non officeret validitati Sacramenti, non esset, cur unctionem iteraret; ergo si post unctionem cum Oleo Catechumenorum debet adhuc ungere cum illo Infirmorum, hoc ideo est, quia cum illo unxit invalide. Hinc assero, in casu saltem dubium esse Sacramenti valorem, proindeque (monito populo, si secus adsit periculum scandali, de inculpabili errore) unctionem sub conditione iterandam ægroto cum Oleo Infirmorum, ut apud La Croix, et alios, sancivit Synodus Coloniensis anno 1662.

CAS. II. — Vidua quædam transire vellet ad secundas Nuptias cum Sergio, quoniam vero opus est dispensatione, eo quia Sergius tenuit duas ejus filias ad Baptismum, et filium ad Confirmationem; ideo petit, an interveniat triplex Cognatio spiritualis, ac sit necesse exprimere in supplici Libello, quod ille tenuit bis ad Baptismum, et semel ad Confirmationem. Qu. Quid respondendum?

Respondendum, in casu duplicem tantum intervenire Cognationem spiritualem, una scilicet ex tentione, licet repetita, ad Baptismum; altera ex tentione ad Confir-

mationem ; sic enim declaravit Clemens VIII, apud Garziam de Justis, et alios. Neque hoc mirum videri debet: nam sicuti ex copula, etiam repetita, cum eadem Uxore, una tantum emergit affinitas inter Maritum, et Uxoris consanguineos, quia eadem est radix affinitatis; ita ex tentione etiam repetita ad idem Sacramentum una tantum emergit Spiritualis Cognatio inter tenentem et Matrem detentorum, quia eadem est radix Cognationis. E contra per tentionem ejusdem, aut diversæ prolis ad Baptismum et Confirmationem, duplex emergit Spiritualis cognatio, quia sunt duo Sacramenta diversa, adeoque duplex radix Cognationis; sicuti per copulam habitam cum duabus Sororibus duplex emergit affinitas, quia duplex est radix affinitatis. = Respondendum secundo, satis esse, ac simul necessarium exprimere, quod Sergius tenuit filios Viduæ ducendæ ad Baptismum et Confirmationem. *Est satis*, quia sic exprimitur duplex prædicta Cognatio, quam Vidua habet cum Sergio. *Est necessarium*, ne quo ad unam tantum dispensetur, sic alia remanente indispensata *Quod tenuit filios* etc. ut duplicetur modus, quo volentes contrahere sunt cognati, nempe, per Compaternitatem, et Commaternitatem, nam inter Patrem et Filiam, aut Matrem et Filium, spirituales, ob majorem indecentiam Matrimonii vix unquam Ecclesia dispensat, ut refert Fagnanus in Cap. *Ex lit.* de Cognat. Spir. et cum De Justis Anacletus lib. 4. Decr. in Append. num. 200.

CAS. III. —Orta gravi contentione inter duos, hi sibi ad invicem, ac æqualiter detraxerunt. Post aliquot dies unus ipsorum inveniens alterum in loco publico eum salutavit; at salutatus alterum, licet advertens, non resalutavit. Qu. An, et quomodo hic peccaverit?

Resp. cum distinctione. Vel salutatus est æqualis, aut fere æqualis conditionis cum salutante, vel est conditionis longe inferioris. Si primum; dico, quod peccavit mortaliter contra Charitatem; resalutare namque salutantem, inter æquales, non est signum speciale, sed generale, ac commune dilectionis, quod juxta Doctorem Angelicum, aliosque communiter, neque inimico ne-

gandum est ; et illius denegatio, supposita contentione præcedente, jure accipitur in signum contemptus, malignitatis, odii, ac vindictæ, adeoque est sufficiens nedum ad causandam magnam contristationem in non resalutato, verum etiam ad illi præbendam occasionem reassumendi inimicitiam, aut in ea perseverandi, et si id palam fiat, parit non raro scandalum in videntibus. Si secundum ; dico, non resalutantem per se loquendo nullius peccati ob hoc reum esse, præcipue si ante contentionem etiam salutatus non solebat eum semper resalutare ; nam in isto casu omissio resalutationis nequit adscribi odio, contemptui, ac vindictæ, nisi irrationabiliter ; cum resalutare salutantem conditionis notabiliter inferioris, sit signum speciale, non autem generale dilectionis, ut passim monent DD.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Meretrix aliquando fornicata etiam cum Hebræis, et Castratis, cognitis ut talibus, expressit quidem in Confessione se peccasse cum liberis, vel etiam cum uxoratis ; at non expressit se peccasse cum Hebræis, et Castratis. Qu. An sufficienter se expresserit?

Resp. negative quoad utrosque, si Castrati utroque teste carebant. Ratio quoad Hebræos est, quia cum hi sint Christo infensissimi, qui est Caput Ecclesiæ, ac Dux, et Legifer noster, commixtio personæ catholicæ cum eisdem est ipsimet Christo injuriosa, utpote cum hostibus ejus, ideoque importat quamdam peculiarem malitiam contra virtutem Religionis, quæ propterea debebat exprimi in Confessione, manifestando qualitatem Hebræorum. Exemplum clarum habemus in concubitu cum dæmone sub humana specie apparente ; sicuti enim quamvis istud peccatum reducatur ad bestialitatem, eo quod commissum fuerit cum supposito diversæ speciei ; tamen, quatenus commissum cum maximo Dei, et hominum hoste, involvit specialem malitiam contra virtutem Religionis, ut cum Tamburino notant La Croix de Confess. n. 1084, aliique comm. ideoque etiam ob hoc

exprimi debet, quod concubitus fuerit cum dæmone, sub specie vel puellæ, vel conjugatæ, vel etc.; ita licet commixtio Meretricis cum Hebræis sit fornicatio, vel adulterium, eo quod fuerit cum liberis, vel uxoratis, tamen quatenus facta cum hostibus Christi involvit peculiarem malitiam contra Religionem, ideoque exprimi debebat, quod fuerat cum Hebræis. Ratio postea quoad Castratos est, quia eo ipso quod utroque teste carebant, erant inepti ad proprie seminandum, sicque ad generationem, ad quam copula a natura ordinata est; propterea commixtio Meretricis cum eisdem reducitur vel ad speciem quamdam peccati contra naturam, vel ad copulam essentialiter imperfectam; ad quam proinde rite exprimendam, manifestari debebat, eam fuisse cum Castratis utroque teste carentibus. Quare cum Meretrix non expresserit se coivisse cum Hebræis, et Castratis, dicendum, etc. Lugo de pœnit. disp. 16, sect. 6. Puteobonellus, et alii.

CAS. II. — Sempronius sollicitat, ac provocat mulierem ad secum peccandum, sed non quidem cum animo revera patrandi tale delictum, quinimo experiendi an illa casta sit, et vere constans. Qu. An peccet mortaliter?

Resp. affirmative : ad hoc enim, ut petitio actus illicita sit, non est necesse, quod petens habeat animum ponendi actum petitum; sed sufficit, quod actus, saltem quoad apparentiam serio petitus, sit malus; sic enim verificatur, quod ipsa petitio sit inductiva ad culpam, utpote ex se inductiva ad actum malum. Hinc Cajetanus 2, 2, q. 78, art. 4, jure monet, esse animadvertendum, an actus petitus possit ab eo, a quo petitur, licite fieri, necne; hæc enim est radix licitæ, vel illicitæ petitionis. Similiter advertit Navarrus in Manual. de 4, præc. Decal. c. 14, eum non esse a gravi culpa immunem, qui petit a Muliere, ut secum dormire velit, aut se cum ipso metiri in eodem lecto, si ex modo loquendi non indicet se id dicere ex joco, et animo alieno a similibus perpetrandis, quod tradit etiam Alphonsus de Leone tom. 1. recol. 14, n. 27.

CAS. III. — Confessarius etiam pro lethalibus imponit Pœnitenti satisfactionem in operibus alias debitis, licet hic possit etiam peragere indebita. Qu. An male se gerat ?

Resp. Confessarium id facientem sine urgenti ac rationabili motivo male se gerere. Ratio est, quia ex Tridentino Confessarii debent imponere pœnitentibus satisfactionem congruam, in vindictam et castigationem præteritorum excessuum, nec non ut frenum ipsos retrahens a futuris. Jam vero eam imponendo etiam pro lethalibus in solis operibus jam debitis, non ita bene se gerit Confessarius noster ; etenim quamnam vindictam, et castigationem sentit Pœnitens ex tali impositione, si nihil gravaminis hæc illi superaddit, cum ad id solum teneatur, ad quod tenebatur prius ? qua majori vi cohibet hoc frenum, si ei nil additur de novo, quod retrahat ? Neque dicas, ipsi imponi novam obligationem, cum res jam debita ab eo ponenda sit ex novo titulo. Contra enim, cum ratione hujus novæ obligationis, ac novi tituli, res ponenda non evadat magis pœnalis, et gravioris incommodi, me Hercle! est captu difficile, quod in casu sit vindicta, et castigatio proportionata peccatis mortalibus, et frenum ab ulterioribus retrahens, ad mentem Patrum Tridentini Synodi. Rosign. de Pœnit. part. 1, q. 5, art. 7, n. 7. Nugnus, et alii.

MENSE MAII.

CAS. I. — Occasione Jubilæi, qua habetur facultas absolvendi etiam a Casibus Summo Pontifici in Bulla Cœnæ reservatis, Confessario se præsentat habens peccatum hæresis formalis externæ. Qu. An ab eo possit absolvi ?

Resp. negative : cum enim crimen hæresis sit præ cæteris gravissimum, ac speciali nota dignum, Alexander Papa VII, sub die 23 Martii 1656, inhærens declarationibus alias a suis Prædecessoribus factis, et ad removendam quoad hoc omnem dubitationem, decrevit, facultatem absolvendi ab hæresi non censeri comprehen-

sam in Jubilæis, vel aliis similibus concessionibus, nisi expressis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi; ut referunt SS. D. N. Papa Benedictus XIV, fel. reg. tom. 1, Notif. 4, ac Illustriss. et Reverendiss. D. Augustinus Spinola, Episcopus Savonensis, in Notific. facta 16 Maii 1755, occasione Jubilæi concessi a fel. rec. Clemente Papa XII, propterea audiendi amplius non sunt quoad hoc oppositum sustinentes, etiamsi contraria opinio anno 1607. Romæ fuerit approbata in sacra Pœnitentiaria, ac olim servaretur in praxi, ut refert Filliuccius tom. 1, tract. 9. cap. 10, n. 265.

CAS. II. — Ultima die, qua idem Jubilæum expirat, se pariter Confessario præsentat involutus occasione proxima peccandi, quam sæpius admonitus noluit unquam removere. Qu. An possit hic lucrari Jubilæum?

Resp. posse; non quatenus involutus occasione proxima debeat a Confessario illico absolvi, quod certe fieri non debet in casu; sed quatenus, cum in Bullis Jubilæi regulariter Confessariis sit concessa facultas prorogandi absolutionem detentis aliquo impedimento pro ipso Jubilæi tempore, potest Confessarius hunc morem gerere cum præsenti Pœnitente, eoque ad Sacramentalem Confessionem rite disposito, illum a Casibus etiam reservatis vigore dictæ facultatis absolvere, perinde ac si Jubilæi tempus nondum fuisset transactum, ut dici solet de peccatis eo tunc oblitis, nam ratione judicii per Confessionem intra debitum tempus incepti, Confessarius acquisivit jus idem judicium postea complendi; et Pœnitens se per Sacramentum Deo reconciliandi, ut vivæ vocis oraculo declararunt S. Pius V. Gregorius XIII et Sixtus V, teste Vega apud Mazzuchellum de Cas. Reser. disp. 1, q. 4, dis. 21, n. 81.

CAS. III. — Denique se præsentat eadem die, qui hactenus nullum ex præscriptis operibus implevit; imo illa ipsa die jam fregit jejunium. Fierine potest, ut etiam hic lucretur Jubilæum?

Resp. affirmative, etiamsi cætera opera voluntarie omisisset animo non lucrandi Jubilæum, dummodo ani-

mum mutet, ac intra tempus, pro Jubilæo prescriptum (quo solum dicta facultas competit Confessario) saltem Confessionem incipiat. Ratio est, quia, posita retractatione, impedimentum non est amplius voluntarium, sed necessarium saltem ex suppositione. Putcobonellus de Pœnit. q. 6, art. 5. Unde sicuti quoad infirmos, aliosque laborantes impedimento necessario quoad unum, vel plura opera exequenda, potest Confessarius intra tempus Jubilæi hujusmodi opera in aliud commutare, vel, si id melius judicet, eorumdem executionem in aliud tempus prorogare; ita idem dicendum in isto casu. Bonacina, Bossius, et alii cum Puteobonello. l. c. Et hic nota, facta hac prorogatione ad terminandum judicium Sacramentale posse Pœnitentem a Confessario absolvi etiam a reservatis commissis tempore intermedio, etiam per plures vices, dummodo tempus a Confessario præscriptum pro omnibus operibus exequendis, aut pro terminanda Confessione, lapsum non fuerit. Idem Puteob. ibid. n. 17.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Defuncto Patrefamilias cum pluribus Debitis, quæ contraxit partim ex contractibus licitis, partim ex usurariis, filius hæres certior factus, paternam hæreditatem non sufficere pro adæquata solutione eorumdem, petit a Confessario, an prius teneatur solvere Debita ex contractibus usurariis, quam ex licitis. Attenditur Confessarii responsum?

Resp. Confessarii est, non adesse hanc obligationem, si bona, uti supponitur, sint tantum personaliter obligata. Ratio est, quia ex una parte isthæc obligatio non evincitur ex jure, cum in eo quoad hoc nihil statutum sit; ex alia tota obligatio solvendi in debitore provenit a lege justitiæ commutativæ respicientis æqualitatem rei ad rem, ac præcipientis, ut cuique reddatur, quod suum est; quidquid postea sit, quod ab aliquo acceptum fuerit licite, et absque illius injuria; ab alio illicite, et cumejus injuria; cujus satisfactionem curare pertinet

ad aliam speciem justitiæ, nempe ad justitiam vindicativam. Cum ergo quilibet ex Creditoribus jus habeat ad rem sibi debitam ex respectivo contractu, ideo ne alicui damnum inferatur, solutio in casu singulis creditoribus ad ratam facienda est, scilicet, servata ea proportione, quæ est inter ipsa Credita; adeo ut cui plus debetur, detur proportionabiliter plus; minus, cui minus. Ita Bonacina, Sporer, aliique plures, addentes eam regulam juris : *Qui prior est tempore, potior est jure*, valere quidem inter Creditores habentes eamdem rem sibi hypothecatam, aut ex pacto obligatam, non autem inter Creditores mere personales.

CAS. II. — Materfamilias multoties Viro clam surripit pecuniam, aut rem domesticam vendit, ut, quæ Familiæ necessaria sunt, provideat. Qu. An peccet?

Resp. cum distinctione : Vel Materfamilias id facit, quia Maritus sæpius monitus de occurrentibus indigentiis non vult ipse necessaria providere; et tunc dico, eam nullo modo peccare expendendo præcise quantum sufficit, etiam cum alienatione prudenti, ac discreta bonorum communium : nam ex una parte, renuente Marito domum regere, Uxor licite suscipit ejus administrationem; ex alia Maritus in casu non potest esse quoad hoc nisi irrationabiliter invitus. Vel id facit, quia in occurrentia circumstantiarum non vult ad Maritum recurrere, et ab ipso dependere; et tunc dico, illam peccare, tum quia sibi usurpat jus competens Viro, cui quoad hoc debet se subdere; tum quia sive ille modus clandestinus, sive illa dispotica frequentia, præcipue in alienandis rebus domesticis, solet displicere, et quidem rationabiliter, Viro non renuenti necessaria providere, quando monetur; ut tradunt Doctores communiter. Neque dicas Uxorem non teneri ad instar ancillæ semper petere a Marito licentiam expendendi, imo hanc esse justam causam non petendi, *Nolle se ut Ancillam ostendere*, ut cum aliis inquit Gobat apud La Croix de Furto n. 1023. Contra enim, id quidem verum est, quando agatur de expensis, aliisque dispositionibus tam quoad rem, quam quoad modum Viro non displicentibus, et quas

ille certo et facile concederet, si rogaretur, ut recte aiunt Auctores citati; non sic autem, quando agitur de dispositionibus Viro displicentibus vel quoad rem, vel quoad modum; et a fortiori quando ei displicent quoad utrumque, ut solent evenire in casu magnæ frequentiæ in clam expendendo, vel alienando.

CAS. III. — Lælius bona fide emit Equum; post modicum vero tempus incipit dubitare, an furto fuerit ablatus; at metuens tum Equi, cum pecuniæ amissionem, si furtivus appareat, omnem omittit diligentiam inquirendæ veritatis, adeo ut tandem fiat impossibile hanc amplius dignoscere. Qu. An per hoc teneatur aliquid restituere?

Resp. negat. : illi enim imponenda non est certa obligatio restitutionis, de quo certo non constat, quod effective læserit justitiam commutativam. Jam vero Lælium effective in casu læsisse etc. certo non constat, nam in primis incertum est, an, si omissam adhibuisset debitam diligentiam, invenisset veritatem; quoties enim veritas, etiam diligenter quæsita, non invenitur? Deinde etiam dato, quod eam invenisset, cuinam certo constat, quod Equus eo tunc potius apparuisset furtivus, quam legitime venditus? Nulli sane. Igitur, stante adhuc dubio, Lælius obligandus non est ad restitutionem certam, præcipue cum in dubio præsumptio stet pro innocentia venditoris non cogniti alias mali in genere furti; et actualis Equi possessio bona fide a Lælio incepta hunc potiorem reddat, meliorisque conditionis, ut cum Glossa in cap. *Nulli dubium* 12, q. 5, passim monent Doctores. Neque dicas, læsam certo fuisse a Lælio justitiam commutativam, eo quod sua omissione cassam reddiderit illam spem, quam forte alter habebat, quod, posita veritatis inquisitione, agnosceretur dominus Equi; quæ spes, cum esset pretio æstimabilis, refundit onus in Lælium restituendi tantumdem, quanti prudentum judicio spes ista valebat: item, suborto dubio, Lælium evasisse possessorem malæ fidei. Ne dicas, inquam: spes enim, quam forte alter habebat, utpote incerta quoad esse sive præsens, sive præteritum, nihili facienda est adversus actualem possessorem certum. Et

Lælius, suborto dubio, non evasit possessor malæ fidei nisi secundum quid, in quantum nempe eo tunc tenebatur inquirere veritatem, quatenus teneretur equum, aut ejus partiale pretium restituere. Vide Bonac. de Restit. disp. 1, q. 2, p. 2, n. 8.

MENSE JULII.

CAS. I. — Terentius pecunia indigens accipit in Censum a Cajo Scuta trecenta, cum onere illi solvendi quatuor cum dimidio pro quolibet centenario, imo et sortem restituendi elapso quinquennio. Non post multum temporis illi arridente fortuna, ludendo aleis, totidem vincit Viro Nobili, ac Diviti; propterea prima Scuta trecenta dat alteri cum onere solvendi quatuor tantum pro quovis centenario. Qu. An uterque Contractus sit licitus?

Resp. ad primum cum distinct.: Vel onus restituendi sortem elapso quinquennio est Terentio impositum a Censualista, aut ex pacto cum ipso; et tunc dico, Contractum esse illicitum, cum hujusmodi onera, et pacta, restringentia in Censuario facultatem libere disponendi de re censita, absolute prohibeantur a S. Pio V. Constit. 80. *Cum onus*, reddantque Censualistam valde suspectum de voluntate potius mutuandi cum lucro, quam emendi Censum, ut inter alios notant Cencius, et Duardus. Vel ipsemet Censuarius sponte sua, nulloque quoad hoc cum ipso paciscente, se ad hoc obligavit; et tunc dico, contractum non videri illicitum, cum neque in præfata, neque in alia Constitutione Pontificia, neque in Jure id vetitum inveniatur. Addo, hujus Contractum Constitutioni Pianæ non adversari, et esse adhuc licitum, quamvis Censuarius prædicto modo paciscatur cum eo, qui pro ipso in tali venditione fide jubet, cum ibi solum prohibeantur pacta inter Censuarium, et Censualistam, seu eorum nomine Agentem, ut tradit Stephanus Gratianus discept. form. tom. 1, c. 19, n. 16, quem sequitur Cencius de Censib. part. 2, c. 1, q. 3, art. 8, in fine. Cur ergo licitus dicendus non erit Contractus, si Censua-

rius propria sponte, et secluso quocumque pacto ad id se obliget? = Quoad secundum respondeo pariter cum distinctione. Vel Terentius alteri dando prima Scuta 500, revendit priorem Censum, vel novum instituit. Si primum; dico, quod stando vigori prædictæ Constitutionis, Contractus est illicitus, etiamsi prior Censualista rite præmonitus, et per mensem expectatus, emere noluerit; nam Census non revenditur eodem pretio, quo fuerat emptus, ut ibi præscribitur. Si secundum, censeo, Contractum licitum esse; nam quod in fundatione talis Census alteri tradatur eadem numero pecunia, ab alio prius accepta, de materiali se habet, nec pensio solvenda in casu videtur infra latitudinem justi pretii.

CAS. II. — Mercator mutuatarius Pauli, in summa Scutorum mille, prævidet, quod si post annum ad manus habebit saltem Scuta 500, ipsi offeretur occasio faciendi negotium valde lucrosum. Eapropter, ne elapso anno, qui est terminus præfixus restitutioni, cogatur a Creditore integre satisfacere, init cum eo pactum ipsi solvendi nunc Scuta quingenta, dummodo pro restitutione alterius portionis ipsi concedat tempus biennii. Qu. An tale pactum sit usurarium?

Resp., videri probabilius, quod non, si interveniat hinc inde æquale gravamen; nam tale pactum in substantia nihil aliud habet pro objecto, quam assumptionem obligationis mutui cum remutuo de præsenti; et facit hunc sensum : Mutua mihi ex his 1000 Scutis Scuta quingenta ad biennium, et ego statim tibi remutuo alia 500. In quo non contineri usuram, imprimis aperte colligitur ex S. Th. 2, 2, q. 78, art. 2, ad 4, ubi postquam dixit repugnare mutuo obligationem ad mutuum faciendum in posterum, subdit : *Licet tamen simul mutuanti unum aliquid aliud mutuum recipere.* Deinde cum respectivum gravamen alteri mutuandi non imponatur pro ipso mutuo formaliter, quod datur vicissim, sed pro illa obligatione, quam voluntarie quis suscipit in ordine ad mutuandum; non video, cur in hoc adstruatur usura, siquidem præsupposita æqualitate commutationis, ac respectivi gravaminis, tantum recipiunt,

quantum datur, et dum hic gravat alterum, iste ad lanceam justitiæ æquali pondere ab illo gravatur. Neque dicas, de ratione mutui esse, ut gratis detur, quod amplius non verificatur supposito respectivo gravamine. Contra enim, in primis non quælibet impositio gravaminis ultra sortem est contra naturam, et justitiam mutui, alias obligari non posset mutuatarius ad dandum pignus in securitatem sortis. Deinde nego suppositum; cum enim gravamen non imponatur pro ipso mutuo, uti supponitur in objectione, sed pro obligatione etc. adhuc mutuum in casu gratis datur. Vide Rosign. de Mut. et Usur. præn. 10. La Croix de Usur. n. 891.

CAS. III. — Valerianus mutuavit Livio Scuta 25 ad annum; cum pacto, quod si eo anno elapso promptus non sit ad ea restituenda, ob moram solutionis ei solvere teneatur unum Scutum ultra 25 mutuata, idque sive ipse Valerianus habeat, sive non habeat occasionem hæc impendendi, seu negotiandi post annum. Qu. An hæc obligatio ei licite imponatur?

Resp. affirm., dummodo imponatur ex mutuo consensu contrahentium, et ob moram culpabilem. Ratio est, quia Mutuatarius existens in culpabili mora circa restitutionem sortis, peccat contra justitiam ob dilatam solutionem, ideoque dignus est pœna, suæ culpæ proportionata, quæ propterea ei apponi potest ex conventione partium, statuendo scilicet, quod si restitutionis tempore culpabiliter non restituat, talem pœnam luat; sic enim ipsi non apponitur obligatio indebita, ut cum Scoto, Navarro, et aliis tradit Lessius lib. 2, de Just. et Jure c. 20, dub. 15. Quare cum unius Scuti solutio sit in casu pœna proportionata Livio, culpabiliter non restituenti post annum Scuta 25 mutuata, dicendum etc.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Muliercula sæpe male tractata a Marito, ad levandum animi mœrorem, solet aliis Mulierculis referre defectus proprii Mariti. Qu. An quoties id facit, solum venialiter peccet?

Resp. cum distinct. Vel refert defectus leves, et parum infamatorios; vel graves, et multum infamatorios. Item, vel eos refert pluribus, quam par sit ad levandum animi mœrorem; vel uni, aut alteri tantum, prout sufficit ad istud levamen capiendum. Si refert defectus leves, et parum infamatorios, dico, quod etiamsi eos referat pluribus, quam par sit ad etc. peccat solum venialiter, quoties id facit secluso animo graviter lædendi famam Mariti, vel alias graviter peccaminoso; tunc enim vel nullum, vel tantum leve damnum Marito causat. Si vero refert defectus graves, et notabiliter infamatorios, dico, eam quidem peccare mortaliter, quoties cum plena mali advertentia eos refert pluribus, quam par sit ad levandum animi mœrorem, aut eos refert alicui quam novit eos aliis manifestaturam; non sic vero quando eos refert uni, vel alteri tantum, quæ eos aliis non patefaciet. Ratio primæ partis est, quia cum in eo casu Muliercula opus non habeat referendi defectus Mariti omnibus iis personis, aut illi personæ determinatæ, quæ tuba canet; eo ipso quod vult his eos referre, velle simul censetur gravem Mariti infamiam inde sequentem apud tot personas: hic enim valet illa regula juris: *Qui vult antecedens, vult etiam consequens*, cum unum prævideatur infallibiliter secuturum aliud. Ratio secundæ partis est quia ex relatione defectuum Mariti, facta uni, vel alteri, quæ eos aliis non manifestabit, vel non sequitur infamatio ejusdem, cum prudens talia audiens potius attendat ad præstandum levamen referenti suam afflictionem, quam ad infamationem, vel si sequitur infamatio, etiam gravis, sequitur ex justo motivo quærendi levamen injustæ afflictioni; cum sit nimis durum tempore injustæ afflictionis nulli posse hanc manifestare ad se aliquantulum sublevandum. Bonacina, Sporer etc.

CAS. II. — Fabricius famulus cujusdam Matronæ, quosdam defectus graves morales ejusdem refert Viro prudenti ac Nobili, qui eos aliis non manifestabit. Qu. An hujusmodi relatio careat culpa mortali?

Resp., hujusmodi relationem carere culpa mortali, si fiat ex justo ac rationabili motivo; non carere vero,

si secus. Ratio primæ partis est, quia justum, ac rationabile motivum potest illam cohonestare : sic si Vir nobilis proclivis sit ad eam ducendam, ideoque de tali Matrona a Fabritio petat informationem, certe hic non peccat mortaliter, si assumpto sibi munere ipsum informandi ei referat defectus graves, et substantiales Matronæ : imo id facere tenetur ob bonum ipsius Viri, cui recte debet consulere, ne decipiatur, ut inter alios tradit Viva q. 7, de Res. art. 2, n. 6. Ratio secundæ partis est, quia secluso quocumque justo, et rationabili motivo hujusmodi defectus referendi, talis relatio est vera detractio in re gravi, famam Matronæ corrumpens, non quidem omnimode, seu apud plures, prout quidam volunt requiri ad hoc, ut illa proprie dicatur infamis, sed aliquo modo, et apud talem virum ut aperte tradit S. Thomas 2, 2, q. 73, art. 1, ad 2, ubi hæc habet : *Etiamsi uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus non in toto, sed in parte.* Additur, infamationem reputari gravem, vel levem, conformiter ad qualitatem indignationis gravis, aut levis, quam persona infamata, de ea certior facta, conciperet. Atqui si Matrona sciret in casu se fuisse a Fabritio dicta relatione infamatam apud Virum Nobilem, de quo agitur, de ista infamatione gravem indignationem conciperet, et forte graviorem, quam si infamata fuisset apud plures Plebeios, cum fama, vel infamia apud istos minoris soleat æstimari, quam apud virum gravem, ac nobilem, ergo etc. per consequens dicta relatio in hoc secundo casu non caret culpa mortali. Ita Doctores communius.

CAS. III. — Pœnitens exponit in Confessione, se data opera audivisse detrahentem. Qu. Quomodo hic sit interrogandus a Confessario?

Resp., hujusmodi Pœnitentem in primis interrogandum esse, an ab eo audita detractio fuerit de re levi, aut notoria, vel facta fuerit ex justo motivo; an vero fuerit de re gravi, ac occulta, et facta sine justo motivo. Si fuit de re levi, patet, opus non esse, ut fiant Pœnitenti tot interrogationes, sufficit enim ab eo ulterius inquirere, an audierit detrahentem animo aliunde morta-

liter peccaminoso, puta, cum desiderio, quod detrahens famam personæ detractæ notabiliter læderet; si enim respondeat, se eo tunc habuisse talem animum, statim constat, eum graviter peccasse, et in qua specie; si non habuisset, nulla est necessitas, quod Confessarius super hoc eum amplius interroget, cum jam constet, ipsum peccasse tantum venialiter. Quid simile dic. si exponat, detractionem fuisse de re notoria, vel eam factam fuisse ex justo motivo; tunc enim audire, et non impedire detrahentem, non est peccatum, saltem grave, ut inter alios cum Bonacina notat Sporer in 8, præc. Decal. c. 4, sect. 4, n. 108. Si postea Pœnitens dicat, detractionem ab ipso auditam fuisse in materia gravi, de re occulta, eamdemque factam fuisse sine justo motivo; tunc ulterius ab eo inquirendum, an detrahentem audiverit solus cum solo, vel coram aliis. Si primum; ab eo petendum, an ipse illum excitaverit ad detrahendum, aut ejus dicta approbando, illi plaudendo etc. fuerit causa, quod is continuaverit, vel auxerit detractionem; sic enim peccasset contra Charitatem, et contra Justitiam, uti detractor, et ulterius commisisset aliud peccatum contra Charitatem, ob scandalum huic datum. Item investigandum, quo animo ipsum audiverit, an nempe ex complacentia de damno proximi, quod est odium; an ex mera curiositate sciendi alterius crimina, quod communiter dicitur veniale, sed a Gavello mortale, eo quia ista curiosa cognitio est famæ proximi diminutio; an denique ex puro fine capiendi solatium ex dictis, et artificio detrahentis, quod veniale communiter reputatur. Si secundum: faciendæ illi sunt eædem interrogationes mox adductæ; et si positive, aut negative influxit in detractionem, advertendo ad singulos adstantes, ultra duplex peccatum contra Charitatem, ob violatam dilectionem proximi et scandalum, reus etiam est injustitiæ obligantis ipsum in solidum cum detractore, vel saltem in hujus defectu, seu omissione, ad restituendam famam personæ infamatæ penes singulos. Et unumquodque ex his peccatis tot malitias complectitur, quot vel in ipso, vel in aliis in casu distingui possunt violationes justitiæ, et charitatis, cum omnium sit auctor, vel particeps. Ita comm. quoad substantiam.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Camillus non habens animum permanendi in statu Clericali, sed solum deferendi hujusmodi habitum quousque inveniat Uxorem cum pingui dote, sumit Clericalem Tonsuram, ut interim cujusdam Beneficii fructibus perfrui possit. Qu. An sit reus peccati mortalis tum ob receptionem Tonsuræ, cum ob acceptionem Beneficii?

CAS. II. — An Beneficium retinendo cum dicto animo, peccet?

CAS. III. — An teneatur ad restitutionem fructuum, durante eodem animo, ex Beneficio perceptorum?

Resp. ad primum affirmat., si ea sola intentione, ac fine Tonsuram recipiat, ac Beneficium acceptet, nullo modo hæc alias susceperurus. Ratio est, quia sic non solum decipit Christum, et Ecclesiam, frustratque finem ab hac intentum in collatione Tonsuræ, qui est, disponere ad Ordines, ut, his postea susceptis, conficiatur Eucharistia, verum etiam rem spiritualem, uti est Tonsura, ac Beneficium, ultimo ordinat ad rem temporalem, scilicet ad perceptionem fructuum, ac vile lucrum, quod ex objecto suo mortale est, utpote involvens majorem æstimationem temporalium quam spiritualium. Hinc Catechismus Romanus de Sacram. Ord. ait: *Quæstus ac lucri causa ad Altare accedere, maximum est sacrilegium*, et S. Bonaventura tract. de præp. ad Miss. cap. 9. *Væ væ, Domine Deus, quanti homines infelices ad Sacros Ordines accedunt, et Divina Mysteria accipiunt, non cœlestem panem, sed terrenum quærentes; non spiritum, sed lucrum, etc.* Ubi notandum illud repetitum *Væ*, denotans sceleris gravitatem. Vide Rosignol. de Ord. part. 1, quæst. 3, art. 4. Lessium de Benef. cap. 34, dub. 26, n. 123. Si tamen pro fine ultimo sibi aliquo modo præfiguret Deum ipsum, tunc graviter non peccaret, ut probat Navarrus in Enchirid. de Orat. cap. 22, n. 12 et miscel. 41. Ex his patet responsio ad secundum

Casum ; retentio enim est quædam continuata receptio. Ad tertium, dico, probabilius non teneri, si faciat, quod sua interest tempore Clericatus; nam ex una parte in dicta receptione, et acceptatione proprie non intervenit Simonia, cum non adsit contractio rei spiritualis pro temporali, sed sola intentio commodi temporalis per medium spirituale; quod est quid diversum a Simonia, ut notat Suarez de Simonia lib. 4, c. 44, n. 4 et 11, ex alia nullum adest jus obligans in casu ad restitutionem; cum lex. Cap. *Commissæ*, de Elect. vers. *Cæterum* in 6, sit restricta ad Beneficium curatum.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Facto edicto a Judice, quod omnes, qui asportant Uvas, ultra refectionem damni, teneantur solvere Fisco duos Aureos. Cajus stipendio conductus ad custodiendas Vineas, etiamsi videat aliquos Uvas asportare, tacet, eo quod ab iis munera accipiat. Qu. Ad quid teneatur Cajus in foro Conscientiæ?

Resp. Cajum teneri restituere stipendia, et resarcire damna ab asportantibus illata, si hi ea non reficiant. Ratio est, quia prima injuste accepit, utpote data ob conventam custodiam, quam non exercuit; secunda causavit, non impediendo, aut denuntiando asportantes, prout tenebatur ex officio. Nonnulli ipsum obligant etiam ad solvendos aureos Fisco ob omissionem harum denuntiationum. Alii tamen communius ab hoc onere ipsum excusant, quia super has mulctas nullum jus quæsitum est Fisco ante sententiam Judicis, quæ proinde quomodocumque impedita, ad nihil tenetur Cajus, præcipue cum ejus officium directe non esset Fiscum mulctis ditare, sed vinearum dominos per custodiam indemnes servare, Bonacina. Sporer, aliique, ipsum eximentes etiam a restitutione munerum, quæ accepit a transportantibus uvas; licet enim peccaverit contra justitiam, transportationem permittendo, ideoque teneatur, ut diximus, reficere damna inde orta; non peccavit tamen contra justitiam, munera accipiendo, cum hæc ipsi data

fuerint in recompensationem favoris pretio æstimabilis, quem fecit transportantibus. Sporer tract. 5, in 7 et 10, præc. Dec. c. 5, sect. 5, n. 138.

CAS. II. — Pœnitens occasione Plenariæ Indulgentiæ dolet quidem de omnibus peccatis mortalibus, eaque fatetur, ad venialia tamen ne quidem animadvertit. Qu. An hic, cætera requisita apponendo, lucretur Plenariam Indulgentiam?

Resp., lucrari, si in ipsa positione ultimi operis omnia etiam venialia deleta sint, per virtualem extensionem doloris ad ipsa, seu per absolutionem, vel per aliquod aliud remedium: non lucrari vero, si secus. Ratio est, quia ut reportetur totalis remissio pœnæ, debet intervenire totalis remissio culpæ, cui talis pœna correspondet; remanente enim culpa, non remittitur pœna, ut ex Augustino inquit Glossa in extravag. *Antiquorum* de pœnit. et remiss. Neque dicas, culpam venialem deleri per ipsam Indulgentiam; vel ab Ecclesia hanc iis concedi, qui se de iis culpis accusavere, quorum Confessio cadit sub præcepto, uti non sunt venialia. Contra enim, cum Indulgentia sit solum instituta ad relaxationem pœnæ, ab ea saltem directe non remittitur culpa, ut probant Suarez, Viva et Bossius, cæterique comm. Et Ecclesia Plenariam Indulgentiam exhibens, hanc solum iis concedit, qui ad eam se rite disponunt per totalem expiationem a culpa, ut colligitur ex supra dictis. Cæterum quia accedentes ad Sacramenta raro, vel nunquam præcise dolent de peccatis mortalibus, sed communiter intervenit dolor de offensa Dei in communi, in quo includitur detestatio venialium in genere, ut ait Cajetanus in 3, part. q. 37, art. 2. circa finem, ideo valde probabile est, quod noster Pœnitens in casu lucretur Plenariam Indulgentiam.

CAS. III. — Commodatarius dubitans, an Equus per furtum fuerit ablatus ob suam incuriam, petit a Confessario, an ipse teneatur solvere domino pretium Equi. Qu. Quid illi respondendum?

Resp., quod si ipse Commodatarius non est certus de

incuria a se habita in Equo custodiendo, et quod propterea fur abstulerit Equum, non teneatur in foro Conscientiæ solvere domino pretium Equi, neque ullam partem ejusdem. Ratio est, quia quando certo non constat de culpa, stat in possessione innocentia; nec quis tenetur ad restitutionem certam ob purum dubium de damno illato : ut supra dictum est ad tertium Junii.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I.— Petronius conscius, quod Vitalis ægre fert, ac magno rubore suffunditur, quoties proferuntur, eo præsente, quædam verba irrisoria ejusdem, quantumvis levia, in hujusmodi verba sæpe prorumpit ad illius præsentiam. Qu. An peccet mortaliter?

Resp. affirm., et quidem toties, quoties id deliberate præstat. Ratio est, quia licet ea verba irrisoria in se sint levia, tamen ut a Vitali valde apprehensa, et ut sufficientia ad notabiliter perturbandum Vitalis animum, eique causandum magnum ruborem, sunt gravia contra Charitatem, ut cum S. Thoma frequenter tradunt Doctores, propterea dicentes, ad efformandum judicium rectum de gravitate, aut levitate irrisionis, non solum attendi debere ad dictum, vel factum, quo proximus irridetur, verum etiam ad qualitatem contristationis, ac erubescentiæ, quæ per tale dictum, vel factum causatur, an nempe hæc gravis sit, aut levis, sicuti enim fieri potest in alio genere, quod dictum, vel factum in se leve, evadat grave ratione circumstantiæ adjunctæ, v. gr. scandali, vel alterius gravis damni a tali dicto, vel facto causati; ita pariter fieri potest, ut verbum irrisorium in se leve, evadat grave ratione notabilis perturbationis, ac gravis erubescentiæ ab eodem causatæ. Quare cum verba irrisoria a Petronio in casu prolata gravem Vitali causent contristationem, et erubescentiam, dicendum etc. Ita Sporer, aliique comm.

CAS. II.—Agricola occasione nundinarum bona fide emit Bovem a Fure, emptumque paulo post pecunia indigens

revendidit Sempronio, lucrando in tali revenditione quatuor Scuta. Peracta revenditione, audit, Bovem revenditum fuisse per furtum ablatum Cajo ab illo eodem, a quo ipse illum emerat. Qu. Utrum Agricola teneatur ad aliquid?

Resp. cum distinctione. Vel Agricola, cum emit Bovem a Fure, illum emit minori pretio, quam intrinsece valeret (Fures enim pluries vendunt res ablatas minoris quam valeant); et tunc dico, quod si illa quatuor Scuta integrant justum pretium Bovis, tenetur hæc tradere Cajo, detractis expensis; non sunt enim fructus industriæ, sed pars pretii, et valoris intrinseci ipsius Bovis. Vel illum emit a Fure pretio justo; et tunc dico, Agricolam ad nihil teneri; illa enim quatuor Scuta non sunt fructus Bovis, neque pars pretii, seu valoris intrinseci ejusdem, sed fructus industriæ. Vel denique una portio, puta, duo ex his quatuor Scutis requirebantur ad integrandum justum pretium Bovis; et tunc dico, Agricolam posse sibi duo retinere ut fructum industriæ, alia vero, detractis expensis, fore Cajo tradenda. Vide Giribaldum de Restit. c. 2, dub. 1, num. 6.

CAS. III. — Puella gravibus subjecta venereis cogitationibus, neque illis consentit, neque sollicite curat illas repellere. Qu. An sit rea alicujus peccati?

Resp., fieri utique posse, quod Puella ita se gerens excusetur ab omni peccato, si nempe non subsit ulli periculo consensus, et delectationis: tunc enim est mere patiens hasce tentationes, et præceptum præcise est de iis non præstando consensu, et de non percipiendo ex iis voluntario oblectamento. Quoniam vero in praxi sero vel ocius periculum consensus, aut delectationis regulariter intervenit, quando quis sollicite non curat venereas cogitationes repellere; *Diabolus enim serpens est lubricus, cujus si capiti, id est primæ suggestioni, non resistitur, totus intima cordis, dum non sentitur, illabetur*, ut ait Isidorus lib. 3, de sum. bon. t. 3, ideo censeo, Puellam frequenter, vel diu ita se gerentem, non excusari ab omni peccato; est enim nimium sibi fidere, parum curare de extinctione scintillæ prosilien-

tis in stuppam, et, hoc non obstante, prætendere, quod Deus evitet incendium. Vide Dianam part. 2, tract. 17, res. 33.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Laertius furatus est triticum coram Francisco, qui ejusdem malo ductus exemplo pariter furatus est Oleum. Qu. An, non restituente Francisco, teneatur Laertius utrumque damnum reficere?

Resp. negative : eo quia neque fuit causa physica, neque moralis ablationis Olei, cum, sicuti supponitur, neque jusserit, neque consulerit, neque laudaverit Francisco hujusmodi furtum, nec ullo alio actu positivo in illud influxerit, aut ratione officii teneretur ipsum impedire. Igitur debet quidem restituere triticum a se ablatum, vel pretium ejusdem, ac se in Confessione accusare de scandalo alteri dato; at non tenetur ipse utrumque damnum reficere. Ita DD. comm.

CAS. II. — Subdiaconus certior factus de absentia Viri, noctu accessit ad illius Uxorem. At Vir ex improviso adveniens, deprehendensque Uxorem in sacrilego Adulterio, hanc occidit, interim fugiente Subdiacono. Qu. An hic sit irregularis?

Resp. negative : quamvis enim rei illicitæ operam daret, tamen non fuit causa proxima mortis, quam Uxori Maritus intulit; nec ejus furtiva libido erat ordinata ad cædem, quæ omnino ex accidenti subsecuta est, ut in simili casu respondit S. Congregatio Concilii die 15 Julii anno 1610, apud Fagnanum in cap. *De cætero* ext. de Homicid. et fere in terminis Natalis Alexander tom. 1. Epist. 17, ubi addit, quod si Subdiaconi Adulterium notum fiat, ad altiores Ordines non est admittendus, ob infamiam criminis, et scandalum.

CAS. III. — Brutus contractis sponsalibus cum Cassia sub hac conditione, *dummodo Papa dispenset ab impedimento dirimente*, pendente adhuc conditione, invenit puellam Cassia pulchriorem, ditioremque, cum

qua propterea, prima relicta, init Matrimonium. Qu. An id faciendo peccet?

Resp., Brutum probabilius peccare, si nondum elapso discreto tempore, cum alia contraxit. Ratio est, quia cum illa conditio apposita esset honesta, ac de jure possibilis; utpote quia Pontifex non solum potest, verum etiam solet in supposito, aliisque impedimentis consimilibus dispensare, Cassia per Sponsalia sub ea conditione cum ipso inita, acquisivit jus, quod Brutus per aliquod discretum tempus expectaret appositæ conditionis purificationem, eaque impleta et purificata, cum ipsa per promissum matrimonium copularetur. Nec obstat, quod illius purificatio penderet a voluntate Principis, nam solum eo tunc id., quod dependet a voluntate Principis, reputatur impossibile, quando Princeps non solet in eo dispensare, secus vero si solet, ut ex l. apud Julianum §*Constat* ff. de legat. 1, recte notat Rosignolus de sponsalibus præ. n. 10.

ANNO MDCCL.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Sacerdós hujus Diœcesis Romæ degens, sub initio proxime elapsi Decembris, obtinuit hoc Indulgentiarum rescriptum : *Sanctissimus annuit usque ad tertium gradum, ac centum in articulo mortis, et quinquaginta D. Birgittæ.* Nunc reversus in Patriam, non intelligens ly *usque ad tertium gradum*, petit a Parocho significationem talium verborum, et an Indulgentiæ tum in articulo mortis, cum D. Birgittæ suspensæ sint hoc anno Sancto. Quid respondendum?

Respondendum primo ly *usque ad tertium gradum* significare concessionem Plenariæ Indulgentiæ in articulo mortis immediate factam a Summo Pontifice tum ipsi Sacerdoti supplicanti, cum omnibus ejus consangui-

neis usque ad talem gradum inclusive; siquidem talis clausula non est restrictiva, sed extensiva, et ampliativa. Affines tamen in praxi sub tali clausula comprehensi non intelliguntur, ni in libello etiam pro eis fuerit specifice supplicatum : alias postea 150 indulgentias potest Sacerdos pro libito suo distribuere, quibus maluerit, dummodo sint fideles. Respondendum secundo, Indulgentias in articulo mortis hoc anno Sancto non esse suspensas; illas vero D. Birgittæ suspensas esse pro vivis, sed lucrari posse pro defunctis, ut clare constat ex Brevi *Cum Nos nuper* Sanctissimi D. N. Papæ Benedicti XIV. Romæ edito 17 Maii 1749.

CAS. II. — Famulus Villici virginem credens filiam ejusdem, promissione eam postea ducendi, ab ipsa copulam obtinuit. At noscens, jam ab alio eam fuisse corruptam, mutavit sententiam, id tamen ei non manifestando; quinimo etiam post talem notitiam propensionem erga ipsam ostendens, aliis vicibus eam cognovit. Qu. An teneatur illam ducere?

Resp. affirmative. Nam etiam dato, quod, cognito puellæ defectu, potuerit absolute mutare sententiam, et absque ulla obligatione resilire; quod tamen cum Lugo negat Giribaldus de Matr. cap. 1, dub. 2, n. 19, circa fin., si postea conscius sui juris, non præmonitam retractationis puellam ostensione propensionis denuo attraxit ad copulam, amplius resilire non potest. Et ratio est, quia cum ipsi innotesceret, puellam non nisi sub onere nuptiarum ipsi indulgere, si copulam sub tali tantum conditione concessam repetiit, et acceptavit, facto ipso pristinam obligationem ratificavit ratione intervenientis contractus onerosi : *Do ut facias.* Anacletus lib. 4, Decr. tit. 1, § 4, n. 115. Addo, sic ipsum decepisse puellam apparenti continuatione in eodem proposito : quid enim vero præseferebat illa propensionis ostensio, subsequens ad promissionem exterius non retractatam, ni speciem perseverantiæ in priori deliberatione? Sicuti ergo qui apparenti promissione Matrimonii induxit puellam, etiam corruptam, ad copulam, supposita aliunde æquali conditione, etc. tenetur in utroque

foro illam positive ducere, ut cum communi firmat laudatus Auctor. l. c. ita apparenti continuatione in jam facta promissione induxit puellam ad novam copulam, pari modo tenetur etc. Vide Coninc. disp. 23, dub. 10.

CAS. III. — Sergius salutatus ab Excommunicato Excommunicatione majori, urbanitatis causa, ei caput aperuit. Qu. An peccaverit, et inciderit in Excommunicationem minorem?

Resp. cum distinctione. Vel talis Excommunicatus erat toleratus, vel erat vitandus: Si primum; dico, Sergium ob id nullam Censuram, vel culpam incurrisse; nam post Constitut. *Ad evitanda*, Fidelibus permissum est cum toleratis communicare etiam sine causa, ut in profanis, cum in sacris, licet hi nequeant sub pœna minoris Excommunicationis primi communicare cum fidelibus, nec absolute inter se, aut cum vitandis. La Croix de Excomm. n. 269, et seq. Si secundum; dico, Sergium peccasse venialiter, ac incidisse in etc. ni ignorantia, inadvertentia, indeliberatio, aut necessitas ipsum excuset; nam illa aperitio capitis, facta in eo casu, communiter reputatur honoris correspondentia, et actus duliæ civilis, vetitus sub tali pœna a Sacris Canonibus, ac omnino tanquam indebitus vitandus; hic enim cum illicite salutasset, jus non habebat, ut resalutaretur, bene vero ut negligeretur, tum in pœnam criminis, cum ex charitate, ut nempe se neglectum videns, resipisceret. Nec refert, id non honoris, sed urbanitatis causa præstitum fuisse; nam cum actio de se fuerit exhibitoria cultus externi, ab actu exterioris observantiæ excusari non potest. Deinde urbanitas non est, sed perversitas, actio contra Sacros Canones. Quod si salutatio per verba clarius adinvenitur prohibita, hoc ideo est, quia verba sunt signa communicationis expressiora. Cæterum etiam nutus sunt hujusmodi, ideoque tam *Os*, quam *Vale* vitando negatur. Bonacina, Giribaldus, et alii.

MENSE FEBRUARII.

CAS. II. — Berta advertens Puellulum suum osculatum a Vetula cœpisse ægrotare, illico judicavit, ægritudinem parvuli processisse ex Vetulæ fascinatione, quam propterea denuntiavit ut strigem Sanctissimæ Inquisitioni. Qu. Recte ne, an male se gesserit?

Resp. Bertam male se gessisse, si aliud fundamentum non habebat; siquidem nec osculum Vetulæ de se, ut patet, nec ægritudo parvuli immediate subsequens, præbet motivum sufficiens ipsam habendi, et denuntiandi ut strigem; cum talis ægritudo provenire potuerit ex aliqua interna mala affectione Infantis, ut suadent tot inopinati, ac ex improviso advenientes morbi nedum puellulis, verum etiam viris vegetibus et robustis. Hinc, ni Bertam excuset simplicitas, aut quid simile, gravis culpæ ipsam incusat tum judicii temeritas in materia gravi, cum gravis læsio juris, quod habebat Vetula, ne ipsius fama denigraretur per illam denuntiationem absque indiciis sufficientibus. Addo, quod quamvis certo constitisset, puellulum fuisse infectum a Vetula, non per hoc statim ut strix hæc habenda erat, ac denuntianda; nam fieri potest, quod naturaliter, et sine Dæmonis concursu id eveniat, ut ex S. Thoma probat Azorius Inst. p. 1, lib. 9. c. 25: putidis enim Vetulæ quandoque sunt plenæ humoribus, quorum effluvia erumpentia ex oculis, ore, naribus etc. apta sunt inficere corpora, præcipue mollia, ac tenera: sicut illa fœminæ menstruatæ inficiunt specula. Vide Land. tr. 9, de Vit. Rel. op. disp. 4, q. 28.

CAS. II. — Titius creditor Livii quinquaginta Scutorum, audiens hunc e vivis ereptum cum tot debitis suo credito anterioribus, ut merito dubitari possit, an bona ab ipso relicta futura sint satis ad satisfaciendum omnibus Creditoribus, cum apud se retineat Mobilia Defuncti in valore adæquantia summam sibi debitam, ea sibi appropriat in Crediti compensationem. Qu. An licite?

CAS. III. — Lata Excommunicatione contra detinentes bona Livii prædicti etiam ex motivo compensationis, præfatus Titius metuens sui Crediti amissionem, si Mobilia manifestet (neque enim habet testes, neque documentum sufficiens ad istud comprobandum) reticet, retinetque Mobilia. Qu. An incidat in Censuram?

Resp. ad primum, quamvis isthæc Mobilia nulli sint specialiter obligata, in rigore non potest Titius ea sibi licite appropriare, quousque certo non constat, an bona a Defuncto relicta sufficiant pro omnibus Creditoribus. Ratio est, quia cum ea non fuerint vere apposita penes ipsum in pignus sui Crediti, ipse in rigore illa possidet nomine Debitoris, ut cum Lugo rrete notat La Croix de Furto n. 960. Propterea cum bona Debitoris, casu, quo non sufficiant pro omnibus, attento jure naturali debeant dividi inter Creditores ad ratam, ut ait Giribaldus de Restit. cap. 5, dub. 5, n. 50; ideo ne subsit periculo se compensandi cum re ad alias spectante, non potest statim ea sibi appropriare in compensationem sui Crediti: sed solum potest interim ea apud se retinere in assecurationem ratæ, quæ ad ipsum spectabit. Nec per hujusmodi retentionem incidit in Censuram; nam ex una parte impotentia se aliter indemnem servandi excusat hanc retentionem a peccato, sine quo non incurritur Censura; ex alia Censura præsumitur lata contra detinentes ex prætextu compensationis injusto, non vero ex justo, ut in casu. Ex quo habes responsionem ad tertium. Vide Giribal. tr. cit. c. 6, dub. 4, n. 31 et Rosignol. de Restit. 3, præn. 12, n. 17 et seq.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Advertit Agricola, Sororem suam fuisse ab amasio fœtam: propterea actus in rabiem, calcibus, ac verberibus cum fœtu ipsam occidit. Amasius de hoc certior factus, lethale vulnus infligit Agricolæ, qui accurrenti Confessario fatetur quidem occisionem Sororis, at reticet illius prægnantiam, fœtusque mortem, ne detegat crimen occisæ, communiter Virginis reputatæ. Qu. An valida sit ista Confessio?

Resp. Objective eam esse probabilius invalidam. Ratio est, quia eo ipso, quod poterat absque peccato manifestare etiam occisionem fœtus una cum illa sororis, jam id facere tenebatur, ut impleret divinum præceptum de integritate Confessionis. Atqui revera poterat in casu absque peccato manifestare etiam occisionem etc. nam, ut ait Angelicus 2, 2, q. 73, art. 2, manifestare viro prudenti et taciturno occultum crimen alterius, non ad finem ipsum infamandi, sed propter aliquod bonum, vel necessarium, non est peccatum : ergo id facere tenebatur; per consequens, si id non fecit, ejus Confessio, saltem objective, est invalida. Nec obstat, quod peccatum Agricolæ connexionem non haberet cum gravidantia Sororis, nam erat connexum cum fœtu occiso in ejus utero, quod sufficit, ut hanc quoque occisionem fateri deberet. Hinc. D. Bernardus opusc. de for. hon. VI. inquit : *De nullo prorsus sinistre loquaris, quantumcumque sit verum et manifestum, nisi in Confessione, et hoc, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.*

CAS. II. — Senex olim deditus Mollitiei cum intentione ad fœminas, expressit quidem in anteactis Confessionibus voluntarias pollutiones, sed non expressit prava desideria ipsas concomitantia. Qu. An ad id advertens, denuo fateri debeat pollutiones una simul cum desideriis talium et talium fœminarum ?

Resp. cum distinctione. Vel non expressit hæc desideria culpabiliter ; et tunc certum est, quod si tempore intermedio rite confessus non est, debet ad id advertens denuo fateri, etc. nec non sacrilegia, aliaque mortalia, vel omissa, vel sacrilege expressa : nam hæc omnia sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ ; vel ea non expressit inculpabiliter : et tunc dico, necesse non esse denuo fateri pollutiones; sed satis esse quantum ad hoc, ut fateatur illa prava desideria cum debita expressione qualitatum sui, cum fœminarum : licet enim pollutiones contemporaneæ fuerint hisce desideriis, tamen nec illæ cum his, neque hæc cum illis connexionem essentialem habebant, sed utraque ex se importabant totum

suum esse, et per se intelligibile, exprimibile, ac subsistens, ideoque si pollutiones rite fuerunt expositæ, fuerunt quoque directe absolutæ; sicque exponenda remanent sola desideria talium et talium fœminarum, ut peccata oblita. Giribaldus de Sacramento Pœnitentiæ cap. 11, dub. 1, et comm.

CAS. III. — Adolescens jocans cum Puellis uni tandem frangit Virginale claustrum, sed cum seminatione ad extra, cum alia perficit actum cum seminatione ad intra; sed dubius est, an hæc esset Virgo, vel corrupta. Qu. An utrumque sit verum stuprum reservationi obnoxium?

Resp. Primum tale non esse, bene vero secundum. Ratio primi est, quia stuprum completum (quod solum intelligitur reservatum, quoties illud non exprimitur), utpote species naturalis luxuriæ consummatæ, perficitur per seminationem eodem actu factam intra claustrum a primo penetrante. Quare si adolescens ibi non seminavit, non est per hoc reservationi obnoxius. Ratio secundi est, quia qualitas, quæ naturaliter inest, in dubio adfuisse præsumitur, ni probetur oppositum. Jam vero Virginitas naturaliter inest puellæ, utpote quæ virgo nascitur; ideoque eam in casu Virginem fuisse præsumendum est. Panormitanus cap. 1, de adult. n. 5, et comm. Hinc si Adolescens cum ea perfecit actum, etc. commisit stuprum reservationi obnoxium, cum hic etiam cum consentiente sit reservatum. Neque dicas, reservationem extendi non debere ad casus dubios; id enim verum est, quando non intervenit præsumptio pro delicti admissi veritate; hac tamen interveniente, si veritas ipsa non innotescit, etiam in foro conscientiæ standum est præsumptioni veritatis, ut firmat Sanchez lib. 1. Sum cap. 10, num. 13 et 74. Et sane ita sentiendum: nam secus Concupitores Virginum vix unquam incurrerent stupri reservationem, cum signa Virginitatis valde fallacia sint, et ea, quæ assignantur, Peritorum attestatione, per quam raro in eis inveniantur. Mazzuchel. de cas. reser. disp. 4, cap. 23, q. 1, n. 17.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Vitalis rogatus a fure, ut ei opem ferret in auferendis a telonio Mercatoris, domumque asportandis bis centum scutis, abnuit, latronemque corripuit; eo tamen instante, majoremque summam se ablaturum jactante, nisi ei indulgeret, tandem adjuvit ipsum auferre et asportare Scuta ducenta, ne fur inferret Mercatori gravius damnum. Qu. An Vitalis ob hoc sit culpæ arguendus ?

*Resp.*cum distinct. Vel fur egebat Vitalis auxilio ad Scuta 200 auferenda, et asportanda; vel non. Si primum; dico, Vitalem esse culpæ arguendum, nam formaliter concurrit ad furtum. Si secundum; dico, eum non esse culpæ arguendum : nam ex una parte fecit, quantum potuit, ut Furem a furto retraheret, ex alia cooperatus est furto solum materialiter, imo et cum rationabiliter præsumpto consensu domini; cum enim rem ejus utiliter gesserit, sic eum liberando a damno graviori, vere aderat consensus Mercatoris interpretativus; nec proprio cooperatus est malo, sed liberationi a malo pejori, et minori malo. Neque dicas, me non posse cooperari mutilationi alicujus, ne occidatur, quamvis mutilatio sit minus malum occisione; disparitas enim est, quia cum homo non sit dominus suorum membrorum, prudenter præsumi nequit illius consensus in sui mutilationem. E contra cum Mercator esset dominus, ac libere potens disponere de tota illa summa, prudenter præsumi poterat illius consensus, quod Vitalis cooperaretur ablationi portionis, ne majori quantitate privaretur, ut cum Diana recte inquit Sporer tr. 5, cap. 1, n. 62.

CAS. II. — Eidem Mercatori conquerenti, quod plura fecerit Credita, et modica affulgeat spes eadem exigendi, Titius, habens modum facile ad integre recuperandam pecuniam creditam, se offert ad illa omnia emenda, dummodo Mercator ipsi ea vendat pretio longe minori : quod brevi executioni mandatur. Qu. An Titius ea licite emat ?

Resp. affirmative dummodo tantum pro eisdem solvat, quantum in communi æstimatione valet jus illa exigendi. Ratio est, quia justum pretium rei non desumitur ab eo, quod res valuit venditori, neque a privata industria, scientia, favore, aut utilitate mentis, sed a communi æstimatione in talibus circumstantiis. Cum ergo, supposita modica spe talia Credita exigendi (puta, quia litigiosa sunt, aut Debitores potentes et valde difficiles ad solvendum) hæc communiter æstimentur pretio longe minori; ideo Titius licite etc. Excipe tamen casum, quo Titius esset unus ex principalibus Debitoribus, ac differret solvere, ut Debitum suum minoris redimeret: item si Credita essent in se facilis exactionis, et a solo Mercatore, utpote nimium pavido, apprehenderentur ut difficillime exigibilia; in hisce enim casibus non posset Titius etc. quia in communi æstimatione non adeo parvi valerent: ita DD. comm.

CAS. III. — Uno ex duobus Confessariis affirmante, merces posse credito pluris vendi, quam pecunia numerata, idque ratione lucri cessantis: negabat alter, eo quod tale lucrum compensetur a venditione credito pluribus facta, sicque ex eo, quod tali modo percipiatur lucrum a pluribus. Qu. Utri sit adhærendum?

Resp. Neutri; siquidem vel istud plus, quo pecunia credita merces venduntur, continetur intra limites justi pretii, et tunc certum est, merces non habentes pretium a lege taxatum, etiam præciso lucro cessante aliove titulo, posse credito pluris vendi, quam etc. ex. gr. pretio supremo pecunia credita; infimo vero, vel medio, pecunia numerata; cum nemo, per se loquendo, teneatur res suas vendere, maxime credito, infra pretium supremum justum. Vel istud plus, quo pecunia credita merces venduntur, excedit limites justi pretii; et tunc dico, quod si hoc plus judicio viri prudentis sit moderatum, ac conforme regulis quoad hoc traditis a sanis DD. adhuc merces possunt credito sic pluris vendi: non quidem ratione lucri cessantis, cum lucrum per numeratam pecuniam alias perceptibile, vere ei compensetur per plures venditiones credito factas, quæ secus non fierent, ut

cum Molina, Salas, ac de Lugo, notat Viva Opusc. de Usur. quæst. 1, art. 5, n. 7, et La Croix de empt. et vend. n. 944, sed ratione periculi non habendæ postea solutionis sine molestiis, imo et amittendi pretium solvendum ab aliquo ex Debitoribus; quod periculum sane est pretio æstimabile.

MENSE MAII.

CAS. I. — Villicus, jam per annos viginti degens in prædio Viri Nobilis ac divitis, pluries per singulos annos furatus est domino modicum quid, puta, tempore messis modicum tritici, tempore vindemiæ modicum uvæ etc. nunquam tamen intendens continuare in hisce furtulis. Nunc advertens, omnia hæc modica simul sumpta facere unum satis, petit a Confessario, an peccaverit mortaliter, et sub gravi teneatur ad restitutionem. Quid respondet Confessarius?

Resp., quod vel solum hic et nunc advertit se domino furatum fuisse in quantitate notabili; vel hujusmodi advertentiam habuit etiam prius, cum furtula prosequebatur. Si primum inquit, inadvertentiam ipsum quidem a gravi culpa excusasse, nihilominus ipsum teneri restituere domino res ablatas, si adhuc penes ipsum exstant, aut id, in quo ex iis factus est ditior; cum res clamet ad dominum, et ex alieno quis ditescere non debeat. Addit tamen, quod si nihil remanet penes ipsum, nec in aliquo factus est locupletior, tunc non tenetur sub gravi restituere, quia tanta obligatio in casu nequit oriri sine culpa gravi, adeoque sine gravi damno advertenter causato, aut sine injusta acceptione mortali, ut tradit Viva in 29, prop. damn. ab Alex. VII, n. 15. Si secundum inquit, ipsum toties peccasse mortaliter cum onere restitutionis, quoties sumpsit aliquid advertendo se aut complere, aut continuare ablationem notabilem; sic enim deliberate damnificavit, aut perrexit damnificare notabiliter dominum. Viva ibid. n. 18, cumque ex notabili deliberata damnificatione, etiam facta per pauca furta, quis teneatur sub mortali restituere, ut constat ex proscriptione prop. 38, facta ab Innoc. XI, ideo

in hoc secundo casu tenetur Villicus pro posse restituere.

CAS. II. — Vacante pingui Beneficio jurispatronatus, Sacerdos plurima obsequia præstat Amico Patroni, ut huic notam faciat, commendetque suam habilitatem. Qu. An in hoc interveniat Simonia ?

Resp., cum distinctione. Vel per ly *commendetque suam habilitatem* intendit laudationem suæ habilitatis præcise, vel intendit laudationem suæ habilitatis eo fine, ut nominetur ad Beneficium. Si primum : DD. comm. dicunt, id quidem esse periculosum; si tamen Sacerdos vere intendat ad hoc solum obligare Amicum Patroni, inquiunt, in hoc non intervenire Simoniam. Ratio est, quia talis laudatio de se est quid temporale ; ideoque ob hoc illa obsequia præstare, est tribuere temporale pro temporali. Si secundum ; dicunt, intervenire Simoniam. Ratio est, quia laudare aliquem eo fine, ut nominetur ad Beneficium, non est amplius quid præcise temporale, sed quid spirituali annexum ; est moralis causa, quo beneficium conferatur, et via directa ad Beneficium ipsum ; ideoque ad hoc illa obsequia præstare, non est amplius tribuere temporale pro temporali, sed pro spirituali, aut spirituali annexo. Hinc sicuti dare pecuniam Familiari Episcopi eo fine, ut ille apud hunc intercedat Ordinationem, est simoniacum, c. *Statuimus*, 1, q. 12, ita præstare obsequia Amico Patroni eo fine, ut apud hunc intercedat nominationem ad Beneficium, est simoniacum. Anaclet. lib. 5, decr. tit. 3, § 7.

CAS. III. — Puella capta pulchritudine Flavii, quem putabat liberum, permisit ei sui defloration em. Postea tamen videns illum familiariter agere cum Cassia sua Conjuge ipsi Puellæ ignota, innuptaque ab ea reputata, clam huic propinavit venenum, ut æmula e vivis erepta, totum in se verteret amorem Flavii, eique nuberet. Qu. An, Cassia ob hanc propinationem pereunte, possit Puella absque dispensatione Flavio nubere?

Resp. posse : quando enim unus ex Adulteris, altero omnino inscio, machinatus est mortem Conjugi ejus-

dem, non sufficit pro inducendo Criminis impedimento talis occisio cum prævio Adulterio materiali : sed est necesse, quod præcesserit adulterium utrinque formale; quod evenit, quando uterque concumbens scit, vel se, vel alium, cum quo concumbit, vel utrumque, jam esse conjugatum Matrimonio saltem rato, prout uno ore DD. fatentur. Cum ergo talis non fuerit concubitus Flavii cum puella, utpote quia hæc ignorabat, Flavium esse uxoratum et Cassiæ conjugem; dicendum, inter ipsam et Flavium non dari Criminis impedimentum, adeoque, quantum ex hoc est, ipsam posse Flavio nubere absque, etc.

MENSE JUNII.

CAS. I.—Capellanus obligatus quotidie celebrare, cum semel in hebdomada per annum venerit Bononiam ad invisendos Consanguineos et Amicos, ea die, qua venit, nunquam celebravit. Qu. An peccavit, et teneatur modo possibili supplere Missas non celebratas ?

Resp. cum distinct. Vel in fundatione talis Capellaniæ fuit illi impositum, quod quotidie celebret per se ipsum; vel non. Si non; dico, Capellanum peccasse, et teneri etc. nam debebat alteri celebrationem committere, si nolebat, aut nequibat iis diebus celebrare per se; siquidem, Capitulum *Significatum* de Præb. permittens aliquando vacare, procedit solum, quando cautum est, ut Capellanus quotidie celebret per se ipsum, ut ultra Fagnanum ibid. n. 9. notat Sanctissimus D. N. Papa Benedictus XIV, tum Notif. 15, tom. 3, cum de Sacrif. Miss. part. 4, n. 20, afferens apertam declarationem S. Congregationis Conc. 18 Sept. 1583. *Si fuit illi impositum etc.* Si vero primum : dico, potuisse quidem Capellanum aliquando vacare, etiam ad hunc finem invisendi Consanguineos et Amicos; cum hos intra annum aliquando invisere sit quid honestum; at non cum tanta frequentia, et taliter, ut ob id præcise semel in unaquaque hebdomada celebrationem omitteret; nam hoc speciem potius habet voluptatis, quam honestatis ; neque

credibile est, Fundatorem Capellaniæ vacationi adeo frequenti fuisse unquam consensurum. Hinc censeo, attento hoc solo motivo, id quidem licuisse quinquies, aut sexies in anno, si multum distabat, non vero pluries; ideoque quoad reliquas vices Capellanum peccasse, ac teneri etc.

CAS. II. — Alter Capellanus pariter obligatus quotidie celebrare, semel in hebdomada pro missa accepit eleemosynam, et sic pro ipsam largiente per annum applicuit Sacrificium. Qu. An licite?

Resp. negative, ita respondit S. Congr. Conc. die, mense, et anno prædictis, etiam si Capellanus esset obligatus quotidie celebrare per se ipsum. Idemque resolvit S. Congr. Visitationis Apostolicæ 18 Junii 1697, expresse decernens, accipientem teneri ad restitutionem stipendii, et dantem ad novam Missæ applicationem. Imo præfata S. Congr. Conc. ibid. declaravit, Sacerdotes obligatos ratione Beneficii, Capellaniæ, Legati, aut stipendii, per se ipsos quotidie celebrare, diebus licitæ vacationis non posse Missam pro se ipsis, vel aliis, præterquam pro fundatoribus, celebrare. Vide Opera Sanctissimi D. N. Papæ Benedicti XIV, loc. cit.

CAS. III. — Sacerdos jam habens stipendium pro officiatura seu præsentia accipit aliud stipendium pro Sacrificii applicatione. Qu. Idne licite fieri potest?

Resp. quoad hoc duplex circumferri Decretum S. Congr. affirmativum unum, negativum alterum. Quoniam vero SS. D. N. inquit, de neutro ex his Decretis satis constare, ideo dico, quod si clare pateat, obligantem ad præsentiam, hanc solam intendisse, tunc utique accipi potest aliud stipendium pro applicatione; cum præsentia, et applicatio sint duo diversa, et onus celebrandi in tali loco, et ad tale Altare, valde differat ab illo applicandi Sacrificium; atque hæc sententia videtur usu recepta. Si tamen certo non constet, obligantem ad præsentiam, hanc solam intendisse, tunc accipi non debet aliud stipendium, sed Sacrificium debet etiam pro illo applicari, ut declaravit S. Congr. Conc. 18 Martii 1608,

nam pro onere applicandi sufficit ordo habitus celebrandi, quique se exemptum prætendit ab onere applicationis, claris probationibus hanc exemptionem debet ostendere. Ita SS. D. N. Papa Bened XIV, cit. Notif 15.

MENSE JULII.

CAS. I. — Marius interne dubitans, an Christus Dominus vere sit in Eucharistia, quasi ratiocinium continuando, externe profert : *Equidem credo, quod ibi non sit.* Qu. An subsit Excommunicationi latæ in Bulla Cœnæ contra Hæreticos ?

Resp. negat. Siquidem ad incurrendam Excommunicationem requiritur actus externus de se hæresis internæ manifestativus, ut aiunt DD. comm. Cum ergo allata verba hujusmodi non sint, utpote indifferentia ad significandum aliquid etiam juxta fidem, puta, quod ibi non sit substantia panis; ideo Marius ob ea non subest Excommunicationi etc. Et parum refert, quod si ea referantur ad id, quod idem Marius habet in mente, eique uniantur, tunc hæresim manifestent; pro incursu enim in Excommunicationem debent verba hæresim manifestare ex se, et sejunctim ab eo, quod habetur in mente, cum de hoc Ecclesia non judicet, nisi ad extra sit sufficienter manifestatum. Sayrus in can. 1, Bul. Cœn. cap. 4.

CAS. II. — Cauponarius videns Romipetam velle opprimere Cauponæ famulam, tot verberibus ipsum percutit, ut pene totum illius corpus lividum remaneat. Qu. An incurrerit Excommunicationem ejusdem Bullæ?

Resp. negat. Livor enim non est interfectio, non vulnus, non mutilatio, de quibus loquitur Bulla ; sed est plumbeus quidam color, ex eo procedens, quod in corpore, duro ictu inflicto, exiles venæ contusæ sanguinem ad extremam cutem diffundunt, ut recte inquit Duardus lib. 2. in cap. 10, q. 2, n. 3. Non eximeretur tamen a Censura, si ante ipsius pœnitentiam Romipeta moreretur ob impotentiam se curandi ; licet enim ver-

beratio alias non fuisset mortalis, fit in casu mortalis ob circumstantias, ut cum Bonacina notat Rosignolus cap. 10, in Excomm. ejusd. Bul. imo, juxta Alarium et Duardum probabiliter etiam non eximeretur, si in aliqua parte causatus fuisset notabilis tumor, ob quem secuta sit separatio cutis intrinsecus (idem dic, si fractum fuerit aliquod os), aut necessaria sit opera Chirurgi, qui partem læsam adaperiat ad extrahendam saniem; tunc enim vel habetur scissura, adeoque vulnus; vel opus est scissuram facere, et sic percussio est causa vulneris; quod sufficit ad censuram; sicuti enim nihil interest, utrum quis occidat, aut causam mortis præbeat, l. *Nihil* ff. ad l. Cor. de sic. ita.

CAS. III. — Petronius accepta gravi injuria a Clerico, audiens hunc occisum fuisse nomine ipsius, ratam habet hujusmodi occisionem, etsi displicentiam exterius ostendat. Qu. An per hoc sit excommunicatus, et irregularis?

Resp. eum neque irregularem esse, neque Excommunicatum. Non est irregularis, quia licet in cap. *Cum quis* de sent. Excom. in 6. ratihabitio de occisione, aut percussione Clerici, comparentur mandato; tamen comparatio ibi non fit quoad incursum in irregularitatem, sed in Excommunicationem, de qua ibi est sermo. Hinc licet mandans Clerici occisionem, secuto effectu, sit irregularis; non sic tamen eam ratam habens, uti est Petronius. Neque est excommunicatus, quia excommunicatio, utpote pœna Ecclesiastica, lata est pro ratihabitione externa, non autem pro interna, ut expresse notat Fagnanus in cap. *Dolentes* de Celebr. Missar. Propterea cum Petronius externe de hujusmodi occisione displicentiam ostendat, dicendum, ipsum non esse excommunicatum.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Dominus nulla pollens arte, et a pueritia assuetus famulari, non inveniens dominum, ut ipsum

conduceret justo salario, necessitate compulsus famulatum suscepit Viri Nobilis cum salario valde inferiori; cumque eo dominus non minus utatur in operando, quam reliquis famulis, ei tantum clam surripit quantum adæquat salarium aliorum. Qu. An licite?

Resp. Domninum, servatis legibus occultæ compensationis, licite clam surripere, si non quantum adæquat etc. saltem quantum deest justo salario infimo. Ratio est, quia conducens una parte, eo ipso quod conducit, debet stare legibus justæ conductionis; ex alia, una ex hisce legibus est, quod famulo conducto tribuatur salarium justum saltem infimum; quod propterea si illi non tribuit, potest conductus se clam compensare, ut tradit Girib. in 4. Decal cap. 2, d. 3, n. 50. Nec obstat pactum in contrarium: eo enim ipso, quod est contra legem aut bonos mores, non obligat. Fagnanus in cap. *Antigonus* de Pactis. Et censetur factum non animo condonandi reliquum, sed ne amitteret illam commoditatem; quod enim quis facit necessitate compulsus, non facit libere, sed invite, et quasi coacte. Hinc Rosignolus de Loc. et Cond. præn. 9, cum Molina, Reginaldo, ac Rebello inquit, Domninum adhuc posse, etc. si semetipsum obtulerit, quia necessitas non minuit rerum valorem, et merces ultroneæ vilescunt quidem, sed intra, non infra latitudinem justi pretii. Alii tamen inquiunt, in casu esse aliquid plus minuendum; nam merces ultroneæ vilescunt saltem pro tertia parte pretii.

CAS. II.— Cajus locavit Publio, sua vita durante, operas suas et filiorum ad molendum in ejus molendino sub certa mercede pro singulis annis. Qu. An, multiplicatis notabiliter filiis, teneatur Cajus molere eadem mercede?

Resp. negat. Cum enim ultra justum neutra pars gravari de jure potuerit, prudenter præsumitur, quod contrahentes de tot filiis non cogitaverint, per consequens, quod neque de tanta multitudine convenerint. Quare in casu vel judicio viri prudentis a Publio augenda est merces, vel non omnes sunt obligandi ad molendum et ope-

randum contra æquitatem. Rebellus de Loc. et Cond. q. 1. Silvester V. *Locatio*, q. 7. Aliique com.

CAS. III. — Fabius occidit Bannitum non zelo justitiæ, vel ob bonum Reipublicæ; sed ut reportet præmium occisori ejusdem promissum a Principe. Qu. An sit reus culpæ mortalis?

Resp. negat. supposita exclusione odii, ac vindictæ. Ratio est, quia licet expresse solum intenderit præmium reportare, implicite tamen, virtualiter, ac interpretative intendit etiam bonum reipublicæ justitiæque exercitium; prudenter enim præsumi potest voluisse illum occidere occasione non peccaminosa, sicque ob aliquem ex iis finibus, ratione quorum peccaminosa non est. Propterea cum isti fines sint bonum Reipublicæ etc. ideo ob istos fines, vel saltem ob aliquem ex istis finibus Bannitum occidisse dicendum est. Cæterum si nullo modo aliquem ex hisce finibus intendisset, a mortali excusari non posset; tunc enim evinceretur intendisse hujusmodi occisionem sub pura ratione homicidii ob præmium, quod ex objecto suo malum est, et quidem gravissimum. Vide Gavel. super Brev. Theol. p. 239.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Vix peracta a Parocho celebrante secunda Consecratione, monetur, Parochianum petiisse Sacramenta, ac esse morti proximum: cumque non adsint in Ciborio particulæ antea consecratæ; nec in loco alius Sacerdos, sumit ipse unam ex mox consecratis cum Vasculo Olei infirmorum, relictisque duobus ad custodiam specierum consecratarum, eo pergit cum aliis ad excipiendam illius Confessionem, eique ministrandum Viaticum, et Extremam Unctionem. Qu. An interruptio Sacræ actionis, et Ministratio Viatici cum dicta particula liceant in casu, etsi in Missa nondum fuerit peracta consumptio?

Resp. affirmat. Cum enim Charitas Religioni, ac puro Ecclesiæ præcepto, seu Consuetudini præponderet, obli-

gatio providendi saluti Animæ proximi prævalet obligationi non interrumpendi Sacrificium, et non communicandi ante consumptionem cum particula in eodem consecrata, ut cum Diana, Aversa, et aliis inquit Quartus in Rubr. Miss. part. 2, tit. 3, dub. 3, imo ita in simili casu fieri debere communis est DD. sententia. Notat tamen Quartus ibid. quod si confessio moribundi longior futura sit ultra mediam horam, Parochus, audito aliquo peccato, illum moneat, ut generaliter se accuset de reliquis, proponens ea postea singillatim confiteri, si possit, statimque illum absolvat, cæteraque ei Sacramenta ministret omissis Psalmis, et absque alia mora revertatur ad perficiendum Sacrificium, ut Missæ unitas servetur; et postea, si adhuc vivit, ad ipsum redeat, audiat reliquam Confessionem, et denuo absolvat.

CAS. II. — Confessarius dubitans de relapsu Pœnitentis, ante absolutionem exigit ab eo juramentum, quod relinquet occasionem proximam voluntariam, nec amplius relabetur in tale peccatum. Qu. An bene, vel male se gerat?

Resp. Confessarium sic male se gerere. Ratio est, quia si habet rationabile fundamentum dubitandi de non dimissione hujusmodi occasionis, ac de relapsu Pœnitentis, debet huic absolute differre absolutionem, non autem ab eo exigere juramentum de occasione dimittenda, ac de vitando relapsu; cum enim absoluti ante dimissionem regulariter non statim dimittant, et non relapsus plurimum pendeat a remotione occasionum, et a divinis auxiliis, quæ licet debeamus sperare, pendent tamen a libera Dei voluntate; si tale juramentum ab eo exigit, Pœnitentem relinquit in occasione proxima tum relabendi, cum pejerandi, sicque in proximo periculo duplicis mali, si antea erat in periculo unius tantum, ut advertunt comm. DD.

CAS. III. — Famulus etsi videat alium famulum res domini surripere, tacet. Qu. An tale silentium sit contra justitiam, et propterea, fure non solvente, ipse solvere teneatur?

Resp. cum distinct. Vel isti famulo specialiter commissa est cura, et custodia rerum domesticarum, vel non. Si primum; dico, utique tale silentium esse contra justitiam, si absque sui gravi periculo impedire valeat domini damnum clamando, aut resistendo; cum enim teneatur ex officio hoc impedire, non impediendo deest muneri suo, adeoque ipse pro eo tenetur ad solutionem, si ille non solvat. Si secundum; subdistinguo: vel videt alium famulum res domini surripere, et congregare, animo asportandi, et fugiendi, et tunc dico cum communiori silentium adhuc esse contra justitiam cum obligationes restituendi, ni potens clamet et impediat, ut etiam dici solet, cum furantur extranei; in his enim casibus famulus est quasi domesticus, et familiaris domini, certa mercede conductus ad commodum, et utile ejusdem, ac proinde damnum domini vitare tenetur. Vel videt famulum aliquid quidem surripere, sed nescit, ipsum congregare animo asportandi, et fugiendi; et tunc dico, silentium esse tantum contra Charitatem, quatenus potens non evitat malum proximi. Cæterum cum ex officio ipsum avertere non teneatur, non obligatur ad solvendum, fure non solvente. Giribaldus de Restit. cap. 3, dub. 5, n. 45.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Novit Flaminius Uxorem suam febri maligna, adeoque periculosa laborare, at simul etiam novit, eam esse valde apprehensivam, et notabiliter contristandam cum augmento morbi, si eidem manifestetur periculum, cui subest. Propterea cum ipsa confessa fuerit hesterna die, et ex devotione sacra Communione refecta, nedum tacet ipse, verum etiam curat, ne quis ei mortis periculum patefaciat. Qu. An istud silentium sit culpabile?

Resp. affirm. directe enim opponitur Charitati, cujus lege deberet Flaminius saluti spirituali Uxoris consulere, nedum ipsam hortando, ut divinæ dispositioni se humillime subjiciat, morbique molestiam patienter

ferat; verum etiam ut meliori modo, quo potest, animæ suæ provideat, ferventius a Deo peccatorum veniam exposcat, Sacramentis Ecclesiæ se muniat etc. Licet enim confessa fuerit hesterna die, et sacra Communione refecta, tamen si etiam nunc non suberat probabili mortis periculo, incertum est, an per illam Confessionem, et Communionem satisfecerit præceptis confitendi et communicandi in periculo mortis; cum id plures quidem affirment, alii tamen quamplures negent, ut videre est apud Giribaldum de Euch. cap. 7, dub. 3. Deinde cum hujusmodi febri laborantes persæpe in phrænesim incidant, veræ ac debitæ charitatis officium exigeret, ipsam monere, ut petat, quod, morbo magis ingravescente, ei ministretur Extrema Unctio, seque interim ad eam disponat, sic eam uberiori cum fructu perceptura, nec non auxilia potentiora pro ultima lucta. Cum ergo istud Charitatis exercitium obstruatur noxia illo silentio, quis Flaminii hoc culpæ non imputabit? Neque ipsum excusat prævisio contristationis cum augmento morbi: *Anima enim est multo pretiosior corpore. C. Cum infirmus* de Pœnit. et Remis. ac præferenda est cæteris rebus, L. *Sancimus*, § penul. c. de Sacr. Eccl.

CAS. II. — Valerius summo mane discessit e propria regione, ubi celebratur festum Patroni principalioris, ac se transtulit in aliam, ubi recolitur festum consimile. Qu. An teneatur hic Sacrum audire?

Resp. affirmat. si antequam discederet e propria regione, illud non audivit. Ratio est, quia praxis, et usus quasi communis jure gentium inductus, et approbatus, ac unanimi consensu omnium Fidelium, Superiorum, et Pastorum receptus, hanc obligationem induxit, statim ac utrobique viget, ac obligat similis lex, aut consuetudo, ut notat Bossius de Jubil. sect. 4, cas. 18, n. 44. Et quidem jure, ac merito talis usus invaluit; sic enim et Religioni fit satis, et graviori pondere nemo oneratur ob existentiam in proprio, vel alieno territorio. Hinc Suarez t. 1, de Relig. lib. 2, cap. 14, n. 15, absurdum dicit in casu sentire oppositum.

CAS. III.— Sempronius obligatus ratione Capellaniæ ad quotidie celebrandum ad Altare S. Mariæ, per mensem omnino destitit a celebratione, eo quod in tali Altari fieri non poterat celebratio : per alium mensem celebravit ad aliud altare, quamvis commode posset celebrare in deputato. Qu. An in utroque casu male se gesserit, ac teneatur ad aliquid ?

Resp. ad 1. cum distinct. Vel erat obligatus quoad solam præsentiam ; et tunc dico, quoad hoc ipsum nec male se gessisse, nec teneri ad aliquid, cum habuerit legitimum Altaris impedimentum. Vel erat obligatus etiam quoad Sacrificii applicationem ; et tunc dico, ipsum sic male se gessisse, ac teneri ad supplenda Sacrificia omissa; impedito enim Altari designato, recurrere debebat ad Episcopum, qui vigore facultatis sibi a Tridentino concessæ, ipsi pro interim assignasset aliud Altare, in quo celebraret, et sic meliori modo possibili Testatoris mentem impleret. = Ad 2. Vel Altare S. Mariæ est privilegiatum, et ipse celebravit in alio non privilegiato ; et tunc dico, quod male se gessit, ac obligatur restituere, aut in eodem tot Sacrificia per alium supplere ob spirituale damnum Testatori illatum. Vel non est privilegiatum, et tunc dico, quod si obligatio erat quoad solam præsentiam, non acquisivit stipendium, utpote relictum ex fine habendi præsentiam. Si vero obligatio erat etiam pro applicatione, debet sibi retinere ratam huic præcise correspondentem, et reliquum restituere, cum applicaverit quidem Sacrificium, sed non in loco debito. Rosignolus, Puteob, aliique.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I.— Camillus certo sciens ex una parte Clericum quemdam malum esse, ac vitiosum ; ex alia conjiciens, ob fictas virtutes, apparentemque modestiam, et probitatem, cum bonitatis singularis fama pollere apud fere omnes regiones ; modo huic, modo illi dicit, eum esse insignem hypocritam, et lupum in pelle ovina. Qu. An peccet mortaliter ?

Resp. cum distinct. Vel hoc facit ex justo, et rationa-

bili motivo, puta, ad necessariam instructionem, ne quis ejus hypocrisi decipiatur, pravis moribus inficiatur etc.; et tunc dico, quod si id fiat, secluso malo animo erga ipsum, tantum abest, quod Camillus peccet mortaliter, ut per hoc potius exerceat actum Charitatis, et mereatur. Vel hoc facit sine justo, et rationabili motivo; et tunc dico, Camillum peccare mortaliter: licet enim is sit vitiosus, nec possideat virtutem, seu bonitatem, quæ est veræ famæ fundamentum; tamen cum ejus malitia occulta sit, nec supponatur alteri noxia, nequit alii, absque gravi culpa, ac onere restitutionis, manifestari. Propterea Camillus toties peccat mortaliter, quoties alicui id refert: graviter enim lædit jus, quod Clericus habet ad propriam famam penes tales personas, apud quas proinde tenetur modo possibili famam restituere, ut tradunt DD. comm.

CAS. II. — Troilus post expeditum Breve, vigore cujus possit eligere Confessarium, qui eum absolvat ob omnibus Censuris et peccatis, etiam S. Sedi reservatis, novum peccatum commisit reservatum Pontifici. Qu. An vigore ejusdem Brevis etiam ab hoc possit absolvi?

Resp. affirm. Ratio est, quia facultas, in casu concessa, generalis est, ac illimitata. Unde sicuti facultas tempore Jubilæi concessa, ob hanc rationem dicitur extendi nedum ad peccata commissa ante Jubilæi promulgationem, sed etiam ad postea perpetrata usque ad tempus absolutionis (Viva Opusc. De Jub. quæst. 11. art. 3, n. 2.) ita facultas obtenta per præsens Breve etc. et hoc etiamsi in eodem exprimatur *pro hac vice*, *pro una vice*; nam hujusmodi verba non restringunt concessionem ad sola commissa tempore concessionis, sed ad unam confessionem, adeo ut si Pœnitens post obtentam Absolutionem vigore Brevis, denuo in reservata labatur, Breve obtentum amplius non inserviat. Excipe tamen casum, quo pœnitens dolose diu distulerit Brevis executionem, ut interim laxatis habenis peccaret, et postea absolveretur: cum enim fraus et dolus nemini debeant patrocinari, mens concedentis non est, ut impertita facultas ad hæc absolvenda deserviat. Lugus de Pœnit. disp. 20, sect. 8.

CAS. III. — Fœmina prægnans, gravibus subjecta venereis cogitationibus, sæpius experta est jejunii remedio se facile vincere hujusmodi tentationes, e contra non jejunando se pluries ab iis vinci. Qu. An teneatur jejunare, quamvis jejunium sit noxium fœtui ?

Resp. Ipsam nec teneri, nec posse jejunare, eo ipso, quod novit jejunium esse noxium fœtui. Ratio est, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Jam vero statim ac jejunium est noxium fœtui, malum est. Nec refert, quod plurimum inserviat ad vincendas tentationes; quamvis enim sit medium aptum ad talem finem, non est tamen medium unicum; frequens enim Novissimorum recordatio, occasionum sollicita fuga, seria meditatio Passionis Christi Domini, diligens sensuum custodia, humilis divini adjutorii postulatio, vigilans voluntatis frænatio etc. sunt media et ipsa valde conducentia ad talem finem; quibus propterea si ipsa opportune, ac sollicite usa fuisset, non victa, sed victrix, Deo opitulante, extitisset. At etiam demus, usu horum mediorum tentationes non evanescere; imo inobservantiam jejunii illi esse occasionem proximam peccandi; quid tum? Adhuc debet non jejunare in casu, 1, quia subesse tentationibus culpa non est, sed seges mereri, quoties illis voluntas resistit; 2, quia occasio peccandi stimulat quidem ad peccandum, at per se peccatum non est, nisi sit voluntaria : ideoque cum in casu fœminæ voluntaria non sit, utpote quia si pluries cibum sumit, necessario id facit, ut se, ac fœtum nutriat, dicendum etc. E contrario, in casu jejunium, utpote noxium fœtui (sicuti supponitur), in se est peccatum.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Mercator, emptore petente certam speciem mercis, quam ipse non habet, fingit se pergere domum ad eam sumendam; at pergit eam emere ab alio vicino Mercatore pretio ex. gr. novem juliorum, emptamque deferre, ac illico revendit petenti pretio juliorum duodecim. Qu. An licitum sit hujusmodi lucrum ?

Resp. cum distinct. Vel pretium Juliorum duodecim non excedit limites justi pretii ; vel illos excedit. Si excedit; clare patet, non licere hujusmodi lucrum, utpote injustum. Si non excedit ; dico, licitum esse, cum juxta dicta unicuique regulariter liceat res suas non vendere nisi pretio supremo, nec quis tenetur vendere merces eodem pretio naturali, quo ipse eas habuit. Et sane si ipse ex speciali favore eas ab Amico habuit etiam infra infimum pretium, teneturne per hoc et ipse eas vendere infra infimum? Certe quod non. Nil mirum ergo, si speciem mercis emptam pretio novem juliorum possit mercator aliquando revendere pretio juliorum duodecim, casu quo nempe hoc contineatur intra limites justi pretii. Cæterum est bene advertendum, non omnes res quæ habent novem julios pro pretio infimo, habere pro medio decem cum dimidio, et duodecim pro supremo; esto enim hoc verificetur de rebus v. g. nobilioribus, non verificatur tamen de omnibus aliis, quædam enim sunt, quarum pretium infimum, si est novem juliorum, medium est novem cum dimidio, supremum est decem. Propterea quoad hoc attendenda est qualitas rerum, et consuetudo timoratorum, ut frequenter notant DD.

CAS. II. — Fur abstulit Equum a Viro divite, et per triennium locavit eumdem modo huic, modo illi, accipiendo pretium locationis. Qu. Ad quid teneatur ?

Resp., Furem per se teneri nedum ad restitutionem Equi, verum etiam ad solvenda domino pretia locationum, detractis expensis factis circa eumdem Equum, quas pariter fecisset dominus, si equum penes se habuisset. Ratio de ipso Equo clara est ; quia nempe res clamat ad dominum. Ratio postea de pretiis locationum hæc est ; quia ista data fuere pro usu ejusdem Equi : porro pretium solutum pro usu rei spectat ad dominum, cujus est ipsa res. Giribaldus de Rest. cap. 2, dub. 5. Dixi *per se*, quia nonnunquam Nobiles prædivites remittunt pretia locationum. Verum ut ab eorumdem restitutione Fur sit exemptus, de tali remissione debet certo constare; credulitas enim non eximit, cum ea, quæ sunt facti, non præsumantur, nisi pro-

bentur, l. *In bello* § *Facta*, ff. de cap. Manrique QQ. mor. part. 2, quæst. 88.

CAS. III. — Silvester monetur, Confessarium suum per aliquod tempus peractæ ab ipso Confessionis dormitasse. Qu. An teneatur illam repetere ?

Resp. cum distinct. Vel talis Confessio fuit de solis venialibus, et tunc certum est, Silvestrum non teneri, etc., quia venialia sunt materia libera. Vel fuit mixta mortalibus, et tunc subdistinguo : Vel ex monito circumstantiæ temporis, quo Confessarius dormitavit, cognoscit determinate peccata, quæ hic percepit ; et tunc dico, necesse quidem esse, at etiam satis, quod de his iterum confiteatur : sicuti enim invincibilis oblivio alicujus peccati non tollit directam absolutionem eorum, quæ rite ponuntur, sed solum relinquit obligationem illud confitendi, quando ejus quis reminiscitur ; ita non perceptio aliquorum non tollit directam absolutionem eorum, quæ confessarius percepit, sed solum relinquit obligationem iterum confitendi ea, quæ, etc. Vel non cognoscit determinate etc. Et tunc repetenda est integra Confessio, saltem si fuit brevis, et non a multo tempore facta, quia dubitari potest de singulis distributive, cum numerus peccatorum sit modicus, nec sit grave onus talem Confessionem repetere. Dixi : *Saltem si fuit brevis* etc., nam si fuit longa, juxta Lugum disp. 16, n. 607, ac Puteobonel. quæst. 3, art. 7, sufficit in nova Confessione dicere : Scio, vel dubito, quod Confessarius non audierit unum, vel duo vel etc., gravia ; sed in ea Confessione non tales, vel tales species peccatorum exposui. Vide Giribal. de Pœn. cap. 11, dub. 3.

ANNO MDCCLI.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Parochus vocatus ad excipiendam Confessionem infirmæ, invenit Concubinam in domo Concubinarii graviter ægrotantem. Qu. Quid agendum in isto casu?

Resp. cum distinct. : Vel Concubina potest alio transferri absque periculo ipsi accelerandi mortem, scandali, et infamiæ, vel non. Si potest, Parochus debet illi præscribere, ut hanc sui translationem procuret, eamque, ut hæc fiat, adjuvare, tum ad obviandum scandalo proximi, si Concubinatus alicui innotescit; cum ad removendum ab ipsa, et Concubino periculum relapsus, saltem mentalis, cui alias subsunt. Et si hoc ipsa facere recuset, utpote indisposita, non est absolvenda; secus vero si secus. Si non potest sine dicto periculo transferri, curet, si expedit, eos conjungere in Matrimonium, et si non expedit, aut concubinus nolit eam ducere, omnem curam adhibeat, ne idem amplius ad eam invisendam accedat, substituta, si opus sit, spirituali et honesta aliqua fœmina pro servitio infirmæ. Ulterius hanc moneat, ut male actæ vitæ verum dolorem concipiat cum firmo proposito quamprimum dimittendi illam occasionem, si Deus dederit quod possit, ut impensius pro divina assistentia se Deo commendet, cum spe divini adjutorii pro vitando relapsu; ut denique procuret occasionem illam reddere remotam, vitando Concubini colloquia, quoad fieri potest etiam aspectum; si enim *locus*, *in quo quisque prave vixit*, *in aspectu mentis opponit*, *quod sæpe ibi cogitavit*, *vel gessit*, *C. Valet* dist. 84, quam vividius id præstare valet præsentia Concubini in fragili Concubina? Si ad hæc omnia Parochus eam promptam inveniat, confessam absolvat; nam sic illa est in occasione solum remota, et materiali, ut ait Cardenas; et si aliquo modo adhuc est in pericu-

lo, non tam dicitur istud amare, quam invita subire; et ideo magis providebit Deus, ne in illo pereat, ut ait S. Basilius in Const. Mon. cap. 4.

CAS. II. — Factis denuntiationibus Matrimonii ineundi Cajam inter ac Sergium, Berta Cajæ soror exponit Parocho in confessione se olim cum Sergio fornicatam fuisse unde ei imponit pro pœnitentia, ut extra Sacramentum denuntiet Affinitatis impedimentum. Qu. An Berta teneatur hanc pœnitentiam acceptare, et implere?

Resp. negative : est enim pœnitentia incongrua, et injuncta cum errore clavium; cum obliget Bertam ad aliquid juri naturæ contrarium, nempe ad se graviter infamandam, detegendo turpitudinem suam extra Sacramentum; quod nemo illi præcipere potest; ut clare colligitur ex S. Thoma 2, 2, quæst. 70. art. 1, ad 2, in fine, ubi ait : *Nihil potest præcipi homini contra id, quod est de jure Naturali.* Hinc Berta tenetur quidem (sive ei imponatur a Parocho, sive non) secluso periculo relapsus, et cujusvis alterius mali gravis, secreto monere Sergium de impedimento, ut ipse vel desistat a tali Matrimonio, vel prius dispensationem obtineat, ne fiat Sacramentum nullum, aliaque vitentur inconvenientia, quæ secus evenirent; onus tamen faciendi prædictam formalem denuntiationem nec acceptare, nec implere tenetur, ut tradunt DD. comm.

CAS. III. — Sacerdos carens Missarum stipendiis, occasione, qua vult Jubilæum lucrari, applicat Sacrificium pro Animabus Purgatorii, loco eleemosynæ ad illud lucrandum præscriptæ. Qu. An sic isti oneri satisfaciat?

Resp. negative. Ratio est, quia talis applicatio reducitur ad eleemosynam spiritualem, hoc carmine a DD. comprehensam : *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora*; de qua non est sermo in Jubilæo; ut cum communi docet penes me etiam Zanardus in Direct. de Pœnit. cap. 21, quæst. 26, in fine; nomine enim eleemosynæ absolute prolatæ, ea tantum, quæ realis est, communiter intelligitur. Idque indicare videntur for-

mulæ, quibus in confessione Jubilæi, vel alterius plenariæ Indulgentiæ, solet eleemosyna præscribi : sunt enim tenoris sequentis : *Eleemosynas pro posse distribuant ;* vel *Pauperibus et indigentibus personis, aut locis piis eleemosynas erogent.* Atqui eleemosyna, quæ impertitur per distributionem, quæque erogabilis est locis piis, realis est, non vero spiritualis ; ergo etc. ideoque cum noster Sacerdos hanc non erogaverit, dicendum, quod oneri pro Jubilæo præscripto non satisfecerit. Theodorus a Sp. Sanct. de Indulg. part. 1, cap. 11, art. 2. Bossius, Viva, cæterique comm.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Sophronius, vere mendax in stateris, non dat suis adventoribus justum mercium pondus ; has tamen illis vendit pretio infimo, taliter ut, si datum et acceptum serio considerentur, hujusmodi venditio non excedat limites pretii justi supremi. Qu. An licite id fieri possit ?

Resp. negat., nam *statera dolosa abominatio est apud Deum ; et pondus æquum voluntas ejus* (Prov. 11). Ratio postea est, quia licet Sophronius ante Contractum per se non teneatur vendere merces pretio infimo, ad id tamen tenetur statim, ac si sponte convenit cum emptoribus : tunc enim sicuti emptores tenentur vi iniiti contractus solvere pretium conventum ; ita venditor vi ejusdem Contractus tenetur conventum, mercium pondus tradere emptoribus : Emptio namque et Venditio est Contractus hinc inde obligatorius. Et sicuti, statuto justo mercibus pretio a potestate publica, nequit Venditor absque injustitia, et onere restitutionis, aliquid detrahere Emptoribus, eo ipso, quod solvunt juxta statutum ; ita convento ex mutuo consensu pretio infimo, nequit Sophronius absque injustitia, et onere restitutionis, aliquid detrahere Emptoribus, eo ipso, quod solvunt juxta conventum. Alias dici posset, quod qui sponte vendidit pretio infimo, et tradidit Emptori totum pondus conventum, possit postea ab hoc licite surripere in com-

pensationem, quantum defuit ad integrandum pretium supremum, vel medium; quod quam falsum sit, et quot malis ostium aperiat, nemo non novit. Vide Sporer Compl. in 7 Præc. cap. 6, sect. 2, n. 75. alias rationes afferentem.

CAS. II. — Vicerat Cajus in ludo notabilem summam Tiburtio, cum volens a ludo cessare, contra voluntatem fuit adactus prosequi ludum; et in hac prosecutione quod vicerat, perdidit. Qu. An Tiburtius tenetur ad aliquid erga Cajum?

Resp., probabilius eum ad nihil teneri ante sententiam Judicis. Ratio est, quia, si tenetur ad aliquid, vel id est ob injuriam ipsi illatam; vel quia per illam attractionem fuit causa subsecutæ amissionis; vel quia denique ob eamdem non remansit in Cajo voluntarietas necessaria ad ludi validitatem. Jam vero nullo ex his capitibus Tiburtius tenetur aliquid restituere Cajo etc. Siquidem non ex primo; pro injuria enim non debetur restitutio sed pœna: hanc tamen nemo subire tenetur ante sententiam Judicis. Non ex secundo; Cajus enim non obstante tali attractione, poterat postea vincere sicut prius, si sors æque illi favisset: quare sortis potius defectui, quam attractioni imputanda est amissio subsecuta. Non ex tertio; licet enim in utroque ludente requiratur plena voluntarietas, ut ludus respectu utriusque sit etiam licitus; non sic ut sit validus: Contractus namque ex gravi metu injuste incusso celebrati, sunt involuntarii secundum quid; et tamen, si paucos excipias, ad quorum validitatem jus positivum requirit plenam voluntarietatem, cæteri, utpote voluntarii simpliciter, ab eodem jure supponuntur validi, cum eos præcipiat infirmari instante metum passo. Quid ni ergo idem dicatur de ludo cum attrahente vel tertio, cum non sit inter exceptos? Igitur potest quidem Cajus agere apud Judicem pro restitutione; antequam tamen hic eam mandet, ad illam non tenetur Tiburtius. Et ratio fundamentalis est, quia voluntarium mixtum utpote ex electione proveniens, sufficit ad consensum, qui est immediata causa Contractus; nec non ad transferendum dominium,

seu jus, quando intervenit titulus onerosus, ut in casu; quamvis non sic, cum solum intervenit titulus gratuitus, ut in concessione usurarum, ac donatione pecuniæ facta grassatori, ne injuste interficiat. Giribaldus de Contr. cap. 11, § 2.

CAS. III. — Oblitus Pœnitens gravis peccati, quod annexam habebat Excommunicationem reservatam, fassus est alia peccata, et ab iis absolutionem obtinuit. Qu. An, non obstante Excommunicatione, isthæc absolutio sit valida?

Resp. affirm.; nam quando excommunicatus dicitur a Sacramentis exclusus, et Confessarius erga ipsum jurisdictione privatus, id intelligitur de excommunicato scienter tali, non autem de excommunicato inculpabiliter oblito, vel inscio; nullibi enim Ecclesia declaravit, sacramentalem absolutionem hic impertitam esse nullam; quin potius eam valere eruitur ex Trident. sess. 14, de pœnit. cap. 5 dicente, peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrent, eadem confessione *in universum* intelligi inclusa: Addo, *quod est ordinatum propter charitatem, non debere contra charitatem exerceri*, ut ait D. Bernardus de præc. et Disp. Cum ergo potestas aliquando arcendi fideles a Sacramentis, sit a Christo Domino Ecclesiæ collata propter charitatem, in remedium scilicet animarum, ut resipiscant: ideo in eos non debet contra Charitatem exerceri. Exerceretur autem in casu, si absolutio, nostro Pœnitenti impertita, esset invalida; sic enim ille privaretur tam salutari remedio absque sua culpa, imo dum est actu impotens, ob inculpabilem oblivionem, ad melius se ad illud disponendum. Beja part. 3, cap. 4. Sporer de Pœn. cap. 5, q. 3, § 3.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Valerianus instituit Capellaniam cum onere celebrandi singulis diebus festivis ad tale Altare, assignato ad hunc finem congruo stipendio pro Capellano. Accidit autem, ut dies, quæ erat puræ devotionis, nunc

effecta fuerit festiva de præcepto. Qu. An Capellanus teneatur ista die celebrare ad tale Altare?

Resp. cum distinct. Vel assignatio stipendii facta fuit determinando tantum pro qualibet Missa, ex gr. duos julios; et tunc dico, Capellanum non teneri, etc., quamvis, etiam computata tali Missa, adhuc verificaretur, quod stipendium sit congruum. Ratio est, quia in tali casu est certum, quod pro celebratione talis diei nullum fuit assignatum stipendium, cum facta supputatione constet, hoc solum correspondere celebrationi aliorum dierum. Vel facta fuit in generali, determinando tantum ad annum, aut fructus prædii; et tunc dico, quod si Capellanus, etiam computata tali Missa, habet stipendium congruum, tenetur ista die celebrare ad tale Altare. Ratio in primis desumitur ex rationabiliter præsumpta voluntate Institutoris, qui ordinando celebrationem faciendam singulis diebus festis ad tale Altare, censetur voluisse, quod idem Altare nulla die festiva careat tali cultu, nec populus commodo Missæ. Secundo, a paritate Parochi, qui utpote obligatus applicare pro populo singulis diebus festivis, communiter dicitur obligatus applicare etiam tali die. Tertio, ab æquitate: sicuti enim si festa aliqualiter minuantur, adhuc Capellanus accipit totum integrum stipendium, ut lib. 3, c. 1, de Stipend. Miss. tradit Tamburinus; ita si unum, vel aliud festum accrescat, æquum est, quod celebret, maxime si, attenta hac celebratione, adhuc stipendium est congruum.

CAS. II. — Plena cum advertentia prorupit Titius in hæc verba: *Credidissem, Deum non esse Deum, si non puniret illum.* Qu. An hæc sit blasphemia hæreticalis?

Resp. negat. Siquidem ad blasphemiam hæreticalem requiritur, quod formaliter, aut virtualiter contineat aliquam falsitatem contra fidem; quod non verificatur in casu. Licet enim in ea propositione conditionali: *Credo, quod Deus, etc.* videatur virtualiter contineri hæc absoluta: *Credo quod Deus non sit Deus, cum is-*

tum non puniat : quæ certe est hæreticalis, quia illigat esse Dei necessarium æternum, et immutabile, contingenti punitioni Creaturæ; tamen res ita se non habet; nam dicens : *Credidissem*, *Deum non esse Deum*, *si etc.*, per hæc verba præcise exprimit sui animi propensionem ad credendam (si non adimpleatur conditio) dictam falsitatem, ut indicat illud verbum *credidissem*. Jam vero in simplici propensione ad istam falsitatem credendam, nec virtualiter involvitur dicta propositio absoluta ; sicque verba : *Credidissem*, *Deum non esse Deum*, *si non puniret illum*, exprimentia præfatam Titii propensionem, non sufficiunt ad constituendam blasphemiam hæreticalem. Moronus resp. 95. Tambur. lib. 2, cap. 6, § 4, n. 22. aliique.

CAS. III. — Novit Pœnitens, quod si diutius excutiat Conscientiam suam, probabiliter inveniet aliquod aliud peccatum clavibus exponendum. Quoniam vero jam se examinavit per tantum tempus, quantum communiter sufficiens reputatur pro omnibus suæ qualitatis, ulterius non protrahit examen, sed peccata, quæ ipsius menti occurrunt, confitetur. Qu. An valida sit ista Confessio?

Resp. affirm.; nullibi enim præcepta invenitur excussio diligentissima, et talis, ut probabilitatem excludat aliud quidquam inveniendi ulteriori indagine. Et sane in aliquibus casibus hæc esset vera Conscientiarum carnificina ; qui enim fiat, ut post multiplicem, diutinamque peccandi licentiam fere in omni peccatorum genere versatus, ita feliciter, et exacte in memoriam revocet peccatorum species, numerum, et circumstantias, ut probabile non sit, quod vel una prava cogitatio illius mentem fugiat? Igitur requiritur quidem discussio diligens ; non est tamen necesse, quod hæc diligentia sit summa : nec sufficit levis; satis tamen est mediocris, habito respectu ad qualitatem personæ, ac tempus, quo hæc confessa non est, ad species, ac numerum peccatorum, ad peccandi consuetudinem, et alias circumstantias. Unde non valet : *Si plus se examinaret, plus inveniret ; ergo tenetur se plus examinare* : hinc enim ne-

dum attendi debet Confessionis integritas, verum etiam humana conditio, et quod Sacramentum non reddatur Fidelibus nimis onerosum. Hinc quia Pœnitens, se gerendo modo prædicto, supponitur usus diligentia mediocri in se discutiendo, valida dici debet ejus Confessio. Ita comm. contra Clericatum de Pœnit. dec. 21, n. 8.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Sejus mutuat Livio pecuniam ad decem annos, cum pacto, quod si interim alter contrahentium moriatur, debitor sit liber, si autem ambo supervixerint, mutuatarius dare debeat aliquid ultra sortem. Qu. An talis contractus sit licitus?

Resp. affirm., si plus dandum a Mutuatario supra sortem, ita determinetur, ut vere uterque subsit æquali periculo amissionis, et lucri æqualis. Ratio est quia in hoc casu uterque incertus est de eventu futuro, ac sui juris, uti supponitur; propterea si ambo æque subsunt periculo lucrandi aut amittendi æquale, intervenit, quidquid requiritur ad hoc, ut iste contractus sit licitus; nam proprie hic non est Mutuum, cum Mutuans nequeat in casu nostro repetere rem mutuatam in omni eventu; neque Societas, cum nihil in commune conferatur; sed est Ludus sortis, seu conventio fundata supra vitam et mortem ipsorum contrahentium, quæ, intervenientibus dictis conditionibus, licita est, ut inter alios tradit Bonacina de contr. disp. 3, quæst. 3, punct. 6.

CAS. II. — Mercator irrequisitus, et sponte sua, mutuam obtulit Antonio pecuniam, quam de proximo negotiationi exposuisset. Acceptavit Antonius, eademque usus est in negotio sibi valde lucroso. Nunc tamen petitus a Mercatore ut ipsi solvat interesse lucri cessantis, id facere renuit. Qu. Cui ratio sit adjudicanda?

Resp. rationem esse adjudicandam Antonio; una enim ex conditionibus requisitis ad hoc ut mutuans licite possit exigere compensationem lucri cessantis, hæc est, quod Mutuatarius fuerit de ea præmonitus, eaque de-

ducta fuerit in pactum ante perfectionem contractus, nam forte sub hoc onere hic mutuum non accepisset. Atqui non legitur, quod Antonius fuerit in casu præmonitus de tali compensatione, et quod hæc deducta fuerit in pactum ante perfectionem contractus, ergo etc. adeoque etc. Additur in casu, nullum proprie lucrum Mercatori cessasse: cessare enim a lucro, est a lucro cohiberi, seu impediri, ut post Dominicum Soto de Just. et Jur. lib. 6, quæst. 1, art. 3, tradunt DD. comm. Sed Mercator in casu non fuit a lucro cohibitus, seu impeditus, cum irrequisitus, ac sponte sua, adeoque volens, ac lubens Antonio pecuniam mutuaverit; ergo etc. sicque Antonio ratio est adjudicanda. Girib. de Contr. cap. 3, dub. 8, § 1, n. 66.

CAS. III. — Sergius accepit in Censum Scuta mille, sperans ea applicare cum lucro. At quia spei fundamentum evanuit, convenit cum mercatore de ipsi tradendis Scutis quingentis ea conditione, ut medietatem Census, et annuæ responsionis solvat. Qu. An Sergius id licite peragat?

Resp. negat.: Quo enim titulo justificat onus impositum Mercatori solvendi medietatem annuæ responsionis ultra medietatem Census, si, ut aiunt Adversarii, non instituit novum Censum, certe id facere nequit ratione lucri cessantis, cum non habeat spem fundatam lucrandi: nec ratione damni emergentis; per hoc enim non cogitur quidquam carius emere, aut vilius vendere, habetque alia scuta 500 otiosa: nec ob periculum amittendi sortem, ut Adversarii concedunt: non denique ob commodum resultans Mercatori: hoc enim cum suum non sit, sed Mercatoris, nihil pro eo accipere potest, ut tradunt DD. comm. cum S. Thoma. Remanet ergo, quod ei illud imponat ratione Mutui. Atqui hoc, utpote usurarium, licite peragi nequit; ergo Sergius id illicite peragit, ut cum Navarro recte tradit Rebellus 2, part. lib. 10, quæst. ult. n. 12. Oppositum tamen dici deberet, si esset dispositus ad rite redimendam medietatem Census, et ad instantiam Mercatoris cum eo ita conveniret, siquidem cum nemo teneatur beneficium alteri

præstare cum suo detrimento, tunc posset etiam in Mutuo pactum inire, se indemnem servandi, ut firmat Angelicus 2, 2, quæst. 78, art. 2, ad. 1, et patet ex eo, quod Mutuans in casu non reportat lucrum; sed præcise quærit sui damni reparationem, obligando Mutuatarium ad id, ad quod jam tenetur ex jure naturæ. Vide Molinam disp. 394 de Contract.

MENSE MAII.

CAS. I. — Silvicula putans concubitum cum bestia esse peccatum veniale, modo coivit cum ove, nunc cum capra, modo cum asina. Qu. An possit absolvi a simplici Confessario?

Resp. cum distinct. Vel Silvicula talem concubitum putavit venialem, cum aliquâ tamen suspicione, aut alia cogitatione de gravitate actionis : vel id putavit sine ulla suspicione, etc. Si eum putavit venialem sine ulla suspicione, etc. dico, Silviculam posse absolvi a simplici Confessario, quia tunc peccavit solum venialiter, cum in tali concubitu unice apprehenderet venialem malitiam, quæ sola proinde illi fuerit voluntaria et culpabilis. Si postea eum putavit venialem, sed cum aliqua suspicione, aut etc. dico; quod licet possit speculative defendi, Silviculam adhuc esse absolvibilem a simplici Confessario, in praxi tamen non est ab hoc absolvendus; cum enim in casu sit eadem operatio bestialitatis, et quidem cum voluntarietate sufficiente ad mortale, sive facta sit cum ignorantia vincibili, sive scienter; sequitur, quoad substantiam esse idem peccatum (ignorantia enim in his operationibus non mutat substantiam actus, quam malitia primario consequitur), ac proinde sicuti Silvicula nequiret absolvi a simplici Confessario, si coivisset cum ove etc. sciens id esse mortale; ita neque potest ab eodem absolvi, si illud commisit cum suspicione aut etc. de gravitate actionis; nam est certum peccatum mortale bestialitatis. Vide Merollam de Volunt. et Involunt. c. 1, dub. 15, n. 661. Putcob. q. 3, art. 4, § 10, n. 4.

CAS. II. — Fœmina a pluribus honesta reputata, sed vera Meretrix, ab uno accepit excessivum pretium pro turpi sui corporis usu. Qu. An teneatur illum excessum restituere?

Resp. cum distinctione. Vel Fœmina accepit talem excessum, illum extorquendo per fraudem, aut dolum; et tunc dico cum S. Thoma 2, 2, quæst. 62, art. 5, ad 2, ipsam teneri eumdem restituere; dans enim in casu non dedit volens, sed deceptus. Vel eum accepit sine ulla extorsione dolosa, et fraudulenta, ac vigore contractus innominati, *Facio ut des*, seu pacti initi de tali pretio solvendo; et tunc dico, ipsam non teneri talem excessum restituere, si dans potuit de eo libere disponere: nam ex una parte dans in casu dedit volens, ex alia quamvis hoc ei datum sit ob rem illicitam, tamen ipsa datio non est illicita, præcipue cum valde probabile sit, opus voluptuosum ob quod talis traditio facta est, non habere pretium determinatum. Petrus Navar. de rest. l, 4, cap. 2, n. 118, et seq. Lessius, et alii.

CAS. III. — Sempronius, pluribus debitis gravatus, non potest suis Creditoribus satisfacere, ni imminuat convenientem dotem filiabus. Qu. An id facere teneatur, ut possit satisfacere Creditoribus?

Resp. cum distinctione. Vel agitur de diminutione aliquali; et tunc dico cum communi DD. Sempronium ad id teneri: sicuti enim ob talem finem tenetur minuere expensas circa victum, vestitum, et manutentionem familiæ, ita etiam circa Dotem filiarum, ne Creditores damnum absolute, vel saltem tantum damnum patiantur. Vel agitur de diminutione notabili; et tunc subdistinguo: Vel per hanc diminutionem, judicio prudentum, mutatur status ejusdem, et filiarum, ab eis juste acquisitus; et in hoc casu dico, Sempronium non teneri ad hanc diminutionem notabilem; ut enim dicitur in tractatu de Restitutione: *Nemo tenetur decidere a proprio statu juste acquisito, ut satisfaciat Creditoribus.* Idemque dic, si diminuta filiabus Dote, hæ Sponsum non invenirent, cum periculo amittendi pudicitiam; nam bona

ordinis inferioris non sunt restituenda cum periculo amittendi bona ordinis superioris. Vel per dictam diminutionem non mutatur status, aut mutatur injuste acquisitus; et tunc certe ad eam tenetur Sempronius, cum amplius non interveniat causa excusans; sitque se ad verum proprium statum reducere. Lessius lib. 2. cap. n. 29, et alii comm.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Camillus per plures annos se impotentem expertus ad consummationem Matrimonii, ad simplicem contactum Reliquiæ cujusdam Sancti, cum qua fuit benedictus, illico factus est potens. Qu. An libere vacare possit operi conjugii cum propria Sponsa?

Resp. negative; si post requisitum triennale experimentum, postque adhibita consueta remedia, sive realia, sive spiritualia, nunquam potuit Matrimonium consummare. Ratio est, quia in hoc casu intervenit moralis certitudo, quod nulliter contraxerit cum propria Sponsa, ob impedimentum dirimens impotentiæ perpetuæ antecedentis, sufficienter manifestatæ per hoc, quod semper frustranei fuerint omnes nisus, non obstante valido remediorum subsidio; et quia nonnisi per miraculum hæc fuerit ablata. Quare ut Camillus possit libere, ac licite vacare operi conjugii cum Sponsa, debent rite mutuum renovare consensum in Matrimonium, nempe secreto inter se, si impedimentum erat occultum; coram Parocho vero ac testibus, si notorium erat, et publicum; nam potentia de novo acquisita non reddit validum Matrimonium, ab initio nullum, et irritum. Giribaldus de Matrim. cap. 16, dub. 11. aliique passim.

CAS. II. — Occasione cujusdam publicæ licitationis, Aurelius rogavit amicos volentes emere, ne plus offerrent certa quantitate, ut ipse rem illam emeret pretio infimo; uti de facto contigit. Qu. An peccaverit contra justitiam, et tenetur ad aliquam restitutionem?

Resp. affirmative cum Soto de Just. et Jur. lib. 8, quæst. 2, art. 5. Ratio est, quia licet dominus rei venalis hanc adhuc vendiderit pretio justo, fuit nihilomi-

nus injuste ab Aurelio damnificatus. Ex quo enim Aurelius eo modo se gesserit cum volentibus emere, violavit jus, quod ille habebat, ne retraherentur emptores volentes emere pretio supremo, vel medio, ipsumque coegit vendere rem pretio infimo; facta enim tali conspiratione, et monopolio cum amicis, non remansit pro re aliud pretium, præter infimum, quod pro ea offerretur. Propterea cum privata auctoritate id ab Aurelio fieri nequiverit, factumque resultaverit in jacturam, et damnum domini rei venalis, dicendum, quod Aurelius, titulo damni illati, peccaverit contra justitiam, et teneatur ad restitutionem, nempe, ad refectionem ejusdem, judicio prudentis taxandam.

CAS. III. — Petrus mutuat Joanni Scuta centum, se obligans ad ea non repetenda per duos annos. Qu. An ultra sortem possit aliquid accipere ratione assumptæ obligationis non repetendi talem summam per biennium ?

Resp., ob tale motivum non posse Petrum aliquid accipere ultra sortem; damnata enim est ab Alexandro VII, hæc propositio 42, in n. *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus* : quæ, ut patet, correspondet Casui proposito fere in terminis. Unde si Petrus habeat occasionem promptam, aut spem vere fundatam proxime applicandi talem pecuniam cum lucro, vel etiam si ea opus habet, aut quamprimum opus habebit, ad sibi prævcavendum aliquod damnum; potest quidem convenire cum Mutuatario, mutuum ab eo petente, ut ipsi tale lucrum compenset, seu damnum reficiat, ut supra tradidimus in responsione ad tertium Aprilis : at pro mera obligatione sortem expectandi per duos annos, nil potest ultra sortem accipere, eo quia talis obligatio, si attente consideretur, aliud non est, nisi quædam prorogatio mutui, et sic quoddam novum Mutuum virtuale, pro quo, sicuti neque pro formali nil accipi potest; cum utrumque sit verum Mutuum; et lucrum ex alterutro perceptum ratione mutui sit vera usura. Viva ad d. prop.

MENSE JULII.

CAS. I. — Confessarius simplex, audita Confessione Patris, qui se accusavit de peccato carnali commisso cum famula, successive audit et Filium hoc idem cum eadem perpetrasse. Qu. An Filium possit absolvere; et absolutio Patri impertita sit valida?

Resp. ad primam partem cum distinctione. Vel Filius exponit a semetipso se peccasse cum Affini in primo gradu; et tunc est manifestum, non posse Confessarium eum absolvere, quia, exponit incestum formalem reservatum. Vel Filius tantum exponit se peccasse ex. gr. cum libera, et tunc dico, Confessarium posse, ac debere ipsum interrogare, an ea sit ipsi propinqua (est enim interrogatio, quæ communiter fieri solet, ac debet, singulis Pœnitentibus se accusantibus de aliquo simili peccato, unde non ingerit suspicionem fractionis sigilli); et si ipse negat, dummodo sit aliunde dispositus, debet illum absolvere, non obstante notitia habita in præcedenti Confessione; *Nihil enim minus scimus, quam id, quod ex confessione scimus*, ut aiebat Div. Bernardus; et strictior est obligatio sigilli Sacramentalis illa Confessionis integræ. Si vero affirmat ut supra, deneganda est illi absolutio ut supra. Vide Puteob. de Pœn. q. 5, art. 10, n. 8.

Resp. ad secundam partem : Absolutionem Patri impertitam esse solum invalidam, si ipse scienter peccasset post Filium, et culpabiliter talem circumstantiam omisisset. Unde si ipse peccavit cum Famula solummodo ante Filium, vel post ipsum, ignorans tamen ejusdem peccatum, tunc Absolutio ipsi impertita est valida, nam in isto casu incestus est materialis præcise : Ita comm.

CAS. II. — Uxoratus defloravit suam propriam Consobrinam. Qu. An sine dispensatione possit ab Uxore debitum exigere?

Resp. affirm., etsi cum ea copulam compleverit. Ratio est, quia in jure est quidem vetita Viro exactio debiti

conjugalis, si cum consanguinea Uxoris scienter fornicatus fuerit; at vetita ibidem non legitur talis exactio, quando Vir scienter fornicatus est cum Consanguinea propria, ut patet ex cap. 1, *de eo, qui cognov. Consanguin.* ubi dicitur : *Si quis cum Filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec a Matre* (id est, a propria Conjuge, quæ, respective ad Filiastram Viri, est Mater) *debitum petere potest.* Idque Theologi communiter tradunt, sive Vir cognoverit Uxoris consanguineam in primo, sive in secundo gradu; et vice versa si Uxor scienter fornicata sit cum Consanguineo Mariti in primo, vel secundo gradu, ut videre est apud Giribaldum; cum ergo noster uxoratus non defloraverit Consobrinam Uxoris, sed propriam, dicendum, quod sine dispensatione possit ab Uxore debitum exigere.

CAS. III. — Vovit Titius Religionem ingredi; at post aliquot dies blanditiis puellæ illectus, nuptias illi promisit. Qu. Quamnam promissionem teneatur implere?

Resp., per se loquendo, Titium teneri primam promissionem implere ingrediendo Religionem; si enim vovens Religionem emissis Sponsalibus, per se adhuc tenetur ad Religionis ingressum, eo quia', ob majorem status perfectionem, Sponsalia jure positivo habent inhibitam hanc conditionem *nisi Religionem elegero;* a fortiori debet votum Religionis impleri, quando Sponsalia præcessit : ita comm. Dixi postea *per se loquendo*, quia per accidens evenire potest, quod, non obstante Voto prius emisso, teneatur ducere puellam : puta si voti insciam dicta promissione ad copulam adduxisset, et ni eam ducat, gravia oriantur scandala, jurgia, rixæ etc. tunc enim, si aliter non posset his obviari, teneretur certe, non obstante Voto, illam ducere; cum enim tunc ingressus in Religionem non sit amplius majus bonum, cessat voti obligatio. Ita Girib. de Voto cap. 6, dub. 1, n. 4.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Renuentibus Emptoribus tantum solvere Mercatori pro mercibus, quantum ipse prætendit, so-

let hic frequenter mentiri, ac falso jurare, talem ac talem speciem mercium sibi pluris constitisse; unde fit, ut illi oblatum pretium augeant. Qu. An tuta conscientia Mercator possit istud accipere?

CAS. II.—Qu. 2. An si hic Mercator sæpius correptus non se emendat, debeat Confessarius illi imponere, ut Mercaturæ officium deserat?

CAS. III.—Qu. 3. An si dolo, vel fraude eos inducat ad solvendum pretium justum quidem, sed supremum, teneatur aliquid restituere Emptoribus?

Resp. ad primum cum distinctione. Vel tale pretium augetur intra limites pretii justi; vel supra hujusmodi limites. Si supra: dico, Mercatorem non posse tuta conscientia istud accipere, quia sic non servatur æqualitas inter datum et acceptum, prout exigit justitia commutativa. Propterea in foro conscientiæ debet restitui excessus; nam in conscientia nemini licet proximum suum, ne in obulo quidem, decipere. Si vero continetur intra limites pretii justi; dico, Mercatorem posse etc. quamvis enim peccet mentiendo, et pejerando, tamen non peccat accipiendo; siquidem ex una parte jam notum est, hasce querelas esse consuetas vendentium cautiones, quibus proinde fides habenda non est; unde sibi imputet qui credit, ut inquiunt Rebellus et Castropalaus; ex alia acceptum in casu est æquale dato, adeoque legi justitiæ conforme. La Croix de Empt. et Vend. num. 956.

Resp. ad secundum, quod si pluries illi assignavit salutares pœnitentias et opportuna remedia, eique aliquando distulit Absolutionem ad finem emendationis, nec unquam profecit, debet illi imponere, ut ad tempus Mercaturæ officium deserat. Ratio est, quia in tali casu officium Mercaturæ dici pro eo amplius nequit exercitium indifferens, et occasio remota, sed proxima, ob frequentem lapsum in mendacia ac perjuria: quemadmodum ludus dicitur vera occasio proxima blasphemiæ illi, qui ludens frequenter blasphemat. Hinc sicuti hujusmodi ludenti Confessarius

debet, saltem ad tempus, vetare ludum, si expertus est reliqua remedia esse inefficacia ad ipsum retrahendum a blasphemiis : ita saltem ad tempus debet Mercatori officium interdicere Mercaturæ, si reliqua remedia expertus est inefficacia ad ipsum retrahendum a mendaciis, et perjuriis ; nam ipsum relinquere in tali officio cum illo pravo habitu nihil diminuto, esset ipsum relinquere in formali periculo proximo relapsus, adeoque in peccato, juxta illud Eccl. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Duarte Expos. Prop. damn. v. Occasio proxima q. 447. Antonin. de Pœnit. quæst. 6, pag. 540.

Resp. ad tertium affirm. cum Castropalao, quem citat, ac sequitur La Croix l. c. n. 955, tum quia inductus per fraudem, ac dolum ad solutionem pretii supremi, utpote deceptus, non censetur voluntarie in istud consensisse, tum quia per hunc procedendi modum læsum est jus, quod habebant emptores emendi ab aliis pretio infimo, vel medio, eamdem mercem. Hinc tantum Emptoribus refici debet, quanti minoris emissent ab aliis, si fraus ac dolus Mercatoris iis innotuisset.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Colonus partiarius anno elapso, cum egeret, surripuit domino tres corbas tritici, animo tamen, cum primum posset, illas solvendi. Nunc ad pedes Confessarii provolutus inquirit, juxta quam æstimationem teneatur domino satisfacere, cum anno superiore pretium triciti modo creverit, modo decreverit. Qu. Quid illi respondendum ?

Respondendum, quod tenetur domino satisfacere juxta illam æstimationem, juxta quam verisimiliter is passus est damnum, seu interesse; sic enim servatur æqualitas, ad quam obligat justitia commutativa, cujus restitutio est actus. Bonacina de rest. in gen. disp. 1, quæst. 3, punct. 11, num. 4. Quare si dominus vendidisset, aut consumpsisset illud triticum tempore summæ æstimationis, juxta illam restituat ; juxta medio-

crem vero, vel infimam, si tempore hujus, vel illius, facta ab eo fuisset consumptio, demptis expensis, quas circa idem dominus fecisset. Et si in certum est, cujusnam æstimationis tempore id fuisset a domino peractum, plures tradunt, satisfaciendum domino juxta majorem æstimationem; quia in dubio melior est innocentis conditio. Magis tamen arridet sententia Turriani, Sporer, aliorumque satisfactionem reducentium ad æstimationem mediam, habito respectu ad copiam, vel penuriam, et qualitatem rei, emptorum etc. detrahendo aliquid ratione expensarum, et incertitudinis; si enim dominus poterat vendere pretio summo, poterat etiam pretio infimo. Turrian. in 2, 2. D. Thom. disp. 10, dub. 2.

CAS. II. — Cajus, non obstante omni possibili diligentia adhibita, certo scire non potuit, an suo consilio efficaciter influxerit in homicidium perpetratum. Qu. An debeat se credere irregularem: ac teneatur ad reparationem damnorum?

Resp. affirmat. quoad primam partem, et negative quoad secundam. Ratio pr. part. desumitur a communiter contingentibus; cum enim regulariter pravum consilium operetur, et non nisi magna cum difficultate retrahi valeat totalis ejus influxus; hinc fit, ut dubio non obstante, an vere influxerit, consilium adhuc influxisse præsumatur. Sayrus de Irregul. lib. 7, cap. 3, n. 2. Avila, et comm. Cæterum si scire cupias, quandonam proprie censeatur non influxisse, dico, id evenire 1, quando homicida consilii tempore jam erat adeo paratus ad occidendum, ut nullam ex eo determinationem acceperit, nec ullum inde motivum sumpserit citius, facilius, crudelius, firmiusve homicidium perpetrandi: secundo cum consulens ante homicidium, consilii motiva aliis motivis contrariis elidere conatus est, ac precibus etiam importunis nisus est ab eo retrahere volentem occidere: tertio, si videns se his non proficere, juxta charitatis, ac prudentiæ regulas, occidendum monuerit, ut sibi caveret etc. Vide Continuatorem Tournelli de Irreg. part. 3, c. 1, art. 1.= Ratio postea secundæ partis est, quia

nemo tenetur ad reparationem certam pro puro dubio de damno illato, uti tradidimus ad 3 Julii 1749.

CAS. III. — Pœnitens protulit mendacium in Confessione. Quid de hac judicandum?

Resp. cum distinctione. Vel tale mendacium fuit cum advertentia, et circa materiam gravem, seu necessariam, puta, circa numerum lethalium, circumstantiam mutantem speciem, aut aggravantem, vel minuentem in infinitum, circa occasionem proximam, consuetudinem etc. et tunc dico judicandum, eam esse nullam, et sacrilegam, ni animi perturbatio, ignorantia, vel simplicitas sic confitentem excuset; caret enim necessaria fidelitate, seu integritate. Vel tale mendacium fuit absque advertentia, aut circa materiam levem, seu non necessariam; et tunc dico, judicandum eam validam esse, ni forte agatur de veniali, de quo tantum Pœnitens se accuset, conscius se illud non commisisse (in quo casu fit Sacramentum nullum defectu veræ materiæ), nam neque irrogatur gravis injuria Sacramento, neque variatur notabiliter judicium Confessarii, si exposita sit alia materia, de qua vere doleat. Lugo de Pœn. disp. 14, n. 10, Diana, Rosignolus, et alii, a fortiori dicentes, valere Confessionem, si mendacium in ea prolatum ad ipsam non pertineat.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Villicus habita a Confessario pœnitentia confitendi per annum semel in mense, per primos tres menses eam a semetipso sibi commutavit in recitationem unius integri Rosarii pro qualibet vice; nunc petit ab alio Confessario commutationem ejusdem. Qu. 1. an Pœnitens sibi potuerit Pœnitentiam commutare?

CAS. II. — Qu. 2. An Confessarius commutare possit pœnitentiam ab alio impositam?

Resp. ad primum negative cum Laurea, Gobat, et communiori. Ratio est, quia commutatio Pœnitentiæ et

est actus jurisdictionis, et actio sacramentalis, cujusmodi plane non est commutatio sibi facta a Villico, quamvis etiam facta fuisset in melius. Nec obstat paritas de voto, quod factum a vovente, potest ab eodem mutari in aliquid evidenter melius; cum enim hoc fuerit propria voluntate emissum, propria etiam voluntate potest in melius commutari; non vero, ubi satisfactio imposita est a Confessario, qui tale opus determinatum imposuit. Et quamvis hic, si fuisset ab initio rogatus pro mutatione operis, fortasse indulsisset, tamen statim ac ipse imposuit, et Pœnitens acceptavit tale opus, jam hoc habet vinculum satisfactionis Sacramentalis; sicque non adest amplius locus præsumendi, quod ille consentiat in substitutionem alterius operis. Puteob. quæst. 4, art. 5.

Resp. ad secundum, posse Confessarium ex justa causa, nempe necessitatis, aut utilitatis spiritualis Pœnitentis, commutare in æqualem, imo etiam (interveniente tamen graviori motivo) in minorem pœnitentiam ab alio impositam; per hoc enim non exerceret imperium in primum Confessarium, sed in Pœnitentem, qui illi se ipsum, suumque statum, et conscientiam subdidit; nec proprie revocat sententiam prioris, sed suam profert; hoc enim posterius judicium non instituitur ad derogandum priori, sed ad consulendum Pœnitenti, in cujus favorem talis iteratio fit; neque hoc totum efficitur per modum appellationis, sed per modum novi judicii, æqualis judicio præcedenti, quorum judiciorum neutrum adversatur alteri, cum secundus se habeat tanquam successor prioris Confessarii in eodem tribunali, ut cum Suarez disp. 38, sect. 10, et Duardo disp. 9, sect. 7, de Pœn. tradunt frequenter Auctores. Nec per hoc primum Sacramentum remanet mutilum, et imperfectum; si enim duplex pœnitentia imponitur in novo judicio, prima est pro præcedenti substituta, altera pro præsenti; si vero imponitur una tantum, hæc applicatur, et valet tam pro præcedenti, quam pro præsenti. Et hactenus dicta intelligo, quamvis prior pœnitentia fuisset imposita ab habente potestatem in reservata, et commutatio fiat a Confessario simplici; cum enim cessaverit

reservatio, per hoc, quod peccata fuerint a primo Confessario absoluta, nil remanet, ratione cujus secundus Confessarius non possit suum efformare judicium. Vasquez, et alii.

CAS. III. — Mulier periculose ægrotans, stante probabilitate, quod fœtus, quem in utero gestabat, nondum esset animatus, pharmacum sumpsit, et procuravit abortum. Qu. An licite?

Resp. cum distinct. Vel procuravit abortum directe, nempe, sumendo pharmacum ea intentione, ac eo fine, ut sequeretur abortus : et tunc certum est, illicite eam id præstitisse ; nam si illicitum est id præstare, quando est moraliter certum, quod fœtus adhuc est inanimatus, ut post damnatam 54 proposit. de abortu ab Innocentio XI, tradunt Giribaldus de homic. dub. 11, aliique comm.! a fortiori erit illicitum id præstare, quando est solum probabile, quod fœtus nondum sit animatus ; cum in hoc casu id facere, sit se exponere formali periculo homicidii. Vel procuravit abortum solum indirecte, quatenus pharmacum sumpsit ordinatum ad sanitatem, licet per accidens ex illo timeretur secuturus abortus, et tunc dico, licite id ipsam præstitisse : quamvis enim in nullo casu licitum sit directe occidere innocentem, licitum tamen quandoque est aliquid agere, ex quo per accidens, et contra intentionem innocens incurrat grave aliquod periculum : ut bene exemplificat Girib. l. c. n. 146, hoc enim non est intendere illi malum, sed tantum permittere, ut illi immineat, ac interim uti jure suo.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Absente Parocho, Capellanus monetur, infirmum paulo ante confessum gravius ægrotare, et quamprimum decessurum. Propterea, ne ille decedat sine Viatico, et Extrema Unctione, cito sumit Vasculum Olei Infirmorum, et de Ciborio Pyxidem, ac celeri gressu currit ad hæc Sacramenta illi ministranda. Qu. An in

isto casu liceat currere gestando Eucharistiæ Sacramentum?

CAS. II.—Qu. 2. An si esset ad Altare, liceret ei, ob idem præstandum, Missam interrumpere?

CAS. III.—Qu. 3. Quid agendum Capellano, si ante Eucharistiæ sumptionem vellet infirmus denuo confiteri?

Resp. ad primum negative. Ratio est, quia hic agitur quidem de ministrandis infirmo duobus Sacramentis, quorum utrumque potest illi multum prodesse; at non agitur de ullo Sacramento necessitatis. Imo in casu cursus formalis esset indecens ob realem præsentiam Corporis Christi, ante quod devotio, et reverentia adstantium non parum etiam minueretur, si illud præ manibus gestantem viderent currere; nam stante consuetudine in contrarium, id admirationem causaret, ac risum. Propterea Possevinus de Offic. Cur. cap. 5, n. 57, ait, quod Curatus vocatus de nocte, vel de die, cum magna instantia ad infirmum, tenetur quidem currere, si alias infirmus moreretur sine Confessione, aut sine Baptismo, cum ista sint Sacramenta necessaria; in aliis autem functionibus satis esse, quod Parochus festinet, quia non sunt absolute necessariæ. Et quod dicitur de Curato, valet, in hujus absentia, de Capellano in subsidium conducto. Vide Possevinum toto illo cap. hoc enim legisse juvabit.

Resp. ad secundum cum distinct. Vel infirmus est in ipsa Ecclesia, seu prope Ecclesiam; et in hoc casu dico, etiam post Consecrationem licere Capellano, ob idem præstandum Missam interrumpere; quia tunc ex una parte interruptio modica est; ex alia ingens utilitas Sacramentorum præbet sufficientem causam tam brevi interruptioni. Vel infirmus est in loco aliquantum ab Ecclesia remoto, et tunc dico, non licere, ob idem præstandum, Missam interrumpere, quia cum supponatur paulo ante confessus, quoad hoc non adest urgens necessitas; ideoque prævalet obligatio prosequendi Missam, eamque continuandi, ob reverentiam Sacrificii. Diversimode tamen deberet se gerere Capellanus in hoc

secundo casu, si infirmus confessus non fuisset, nec posset confiteri; nam tunc si capax esset Extremæ Unctionis, vel etiam Viatici, nec adesset alius Sacerdos, non solum posset, sed deberet pergere, etiam post consecrationem, ad ipsi ministrandum Viaticum, vel Extremam Unctionem, ut moribundus ex attrito fieret contritus virtute Sacramenti, et sic salvaretur : ita cum Zambrano, Tamburino, et Capeaville, Quartus in Rubr. Missal. part. 2, tit. 3, sect. 3, dub. 3,

Resp. ad tertium. Capellanum hoc in casu reposita pyxide super parvum tabernaculum, vel alium decentem locum ibi paratum, debere ad Infirmum accedere, ipsumque audire quoad totam Confessionem, si hæc sit brevis; si vero hæc longa futura sit, debet ipsum monere, ut de gravibus, quæ menti occurrunt, se accuset, cum dolore universali de omnibus et accusatione generali de reliquis, proponens ea postea singillatim confiteri, si possit; statimque illum absolvat, ac postea Eucharistiam ministret, prout fieri solet in hisce circumstantiis. Sic enim et providetur Infirmo, et obviatur scandalo. Quartus l. c. Rotarius, et comm.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Berta uxor Sempronii ignorans, infantem esse filium proprii Mariti, ortum ex Concubina, ipsum tenuit ad Baptismum. Qu. An contraxerit Cognationem spiritualem sive cum ipso infante, sive cum Marito, et Concubina?

Resp., in hypothesi, quod habuerit animum exercendi munus ab Ecclesia institutum, nempe verum officium Matrinæ, ipsam contraxisse cognationem spiritualem sive cum Infante, sive cum Concubina; probabilius tamen non cum Marito. Ratio, quoad Infantem, et Concubinam, ex eo colligitur, quod statim ac habuit prædictum animum, nil aliud desiderari videtur ad spiritualem cognationem cum iis contrahendam : hæc enim ex instituto Ecclesiæ est quid accessorium ad munus Patrini, vel

Matrinæ rite exercitum, ut in casu. Hinc sicuti habita carnali perfecta copula cum uno ex Conjugibus, inde resultat affinitas cum Consanguineis ejusdem; ita secuta vera tentione ad Baptismum per legitimum exercitium Matrinæ, inde resultat spiritualis cognatio cum infante, et illius Matre, seu Concubina. Ita Lopez part. 2. Instit. de Matrim. cap. 51. Giribald. tr. 10, c. 12, dub. 5, n. 27, et alii comm. Ratio postea quoad Maritum desumitur ex responsione, quam dedit Alexander III. in cap. 2, de Cognat. Spir. Petitus enim Pontifex, an separandi essent Conjuges, quorum alter vel communem, vel alterius ex alio connubio filium, sive casu, aut ex necessitate, sive dolo baptizasset, aut coram Episcopo confirmandum tenuisset: Alexander III. c. *Si vir, vel Mulier.* 2, de Cognat. Spirit. corrigens antiqua jura oppositum statuentia, definit minime distrahendum hac de causa conjugium, ejusque jure uti Conjugibus permittendum, quia si ex ignorantia id factum, eos ignorantia excusare videtur: ut in terminis refert Natalis Alexander de Sacram. Matr. cap. 4. art. 5, reg. 10. Sed eadem ratio militat de tentione filii Mariti orti ex Concubina, quam Uxor fecit in nostro casu; ergo si in illo excusatur ab amissione juris petendi debitum, et a cognatione spirituali contrahenda, etiam in hoc.

CAS. II. — Sergius tenuit infantem tum in baptismo privato, cum in Ecclesia, quando suppletæ fuere Cæremoniæ. Qu. An ex hujusmodi tentione contraxerit Cognationem spiritualem?

Resp. neg. Ratio est, quia ad cognationem spiritualem contrahendam necessario requiritur, quod quis præstet id, pro quo ex Ecclesiæ instituto contrahitur eadem cognatio. Jam vero id, pro quo ex Ecclesiæ instituto hæc contrahitur, non est tentio ad Baptismum utcumque, sed ad Baptismum solemnem; siquidem ritus Patrini institutus non est pro Baptismo privato, sed tantum pro Baptismo solemni. Propterea cum non verificetur, quod Sergius tenuerit ad Baptismum solemnem, sed tantum in privato, nec non in expletione subsequentium cæremoniarum, quæ pariter Baptismus solemnis non sunt;

dicendum, quod ex hujusmodi tentionibus cognationem spiritualem non contraxerit. Ita Rosignol. de Bapt. q. 6, art. 5, et comm.

CAS. III. — Fortunius tenuit infantem ad Baptismum per Procuratorem. Qu. An etiam ex hac tentione orta fuerit Cognatio spiritualis; et an illam contraxerit Fortunius, an vero Procurator?

Resp., ex hac tentione spiritualem cognationem fuisse contractam, eam tamen non contraxisse Procuratorem, sed Fortunium. Ratio est, quia sæpius ita declaravit Sac. Congregatio Concilii, nempe in una Veronensi die 29 Martii 1582, et 15 Martii 1631, ut videre est apud Nicolium in suis Elucubr. Civil. lib. 1, tit. 10, impedim. 4, vers. *An vero*, et apud Rebellum, dicentem, se inspexisse Decreta, quorum unum hisce verbis rem totam expedit: *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed Mandanti.* Vide eumdem Rebellum de Oblig. Just. post part. 4, cap. 2, n. 90. Ratio postea est, quia actus hic non attribuitur exequenti, sed Mandanti, ut recte inquit Naldus *Cognatio Spiritualis* n. 3, et patet paritate actus Matrimonii, pariter per Procuratorem contracti; non enim Procurator, sed Mandans fit Conjux, et Conjugis obligationem contrahit. Idem ergo dici debet quoad spiritualem cognationem; præcipue cum hæc juxta Tridentinum contrahatur per solos designatos a Parentibus, uti est Mandans. Hinc valet in casu illa regula: *Qui per alium tenet, per se ipsum tenere censetur*, nam jura exprimentia tentionem, intelligenda sunt de tentione physica, vel morali, ut optime Anacletus in 4, Decr. tit. 11. num. 25, in fine.

INDEX RERUM,

QUÆ HOC LIBRO CONTINENTUR, LOCUPLETISSIMUS.

A.

Abortus. Mulier potionem abortus fœtus animati causativam inscienter sumens, postea admonita illam impedire nolens, incurritne casum reservatum, pag. 75. Aut qui præbet ejusmodi potionem fœminæ aliunde fœtæ, asserenti ab ipso gravidam, 176. Potestne mulier periculose decumbens stante probabilitate, quod fœtus nondum sit animatus, sumere pharmacum, et abortum procurare, 452. Licitumne id Medico, 286. Procurans abortum a quo potest absolvi, 370. Sacerdos procurans abortum, petensque dispensationem super irregularitate, sed reticens, fœtum ex se genitum, gaudetne dispensatione? 66.

Absolutio. Potestne dari sequentibus : ebrio proxime morituro, 7. Committenti peccatum, sed ignoranti illud in sua Diœcesi reservatum, 55. Furi ex arbore cadenti, ac sensibus destituto, 101. Exercenti periculosam negotiationem, 26. Pœnitenti obstinato, et recusanti se præsentare Superiori, si tamen Superior det licentiam, 161. Peccatori publico mortem minanti, 162. Uxori renuenti reverti ad maritum, a quo sæpius verberatur, 223. Recusanti salutare inimicum, 231. Petenti pro offensa illata juridicam satisfactionem, 240. Moribundo nullum præbenti signum doloris, 284. Interdicto ob violationem Communionis paschalis, 288. Ex inadvertentia non data potestne dari distanti, 80. Estne valida, dum quis sub ea recordatus peccati lethalis illud postea aperit Confessario, 242. Licitumne proferre formam absolutionis super indispositos sine intentione eos absolvendi, 275. Absolutus a peccato ratione propinati veneni, antequam mors secuta fuit, teneturne hac secuta denuo confiteri, 313. Absolutio data ab eo, cujus approbatio expiravit, a peccato inculpabiliter oblito in Confessione tempore approbationis facta, estne valida? 366. Vide plura verbo *Confessarius*, et verbo *Reservatio.*

Adulterium. Potestne pro illo etiam vi aut dolo perpetrato pretium exigi, 9. Adulter teneturne adulteræ reconciliari, 74.

Teneturne adultera marito minanti ipsi mortem adulterii crimen fateri ? 191.

Avarus prorumpens in indignationem, quod audierit indictas preces publicas ad obtinendam pluviam pro ortu satorum, quot committit peccata ? 241.

B.

Bannitus potestne a quocumque Confessario absolvi ab omnibus peccatis et censuris, 249. Licitumne occidere illum ad assequendum promissum a principe præmium ? 423.

Baptismus. Licetne parvulos ab obstetricibus baptizatos sub conditione denuo baptizare, 17, 107, 143. Quid faciendum Parocho, ad quem defertur puer habens collo appensam chartulam, in qua legitur eum esse baptizatum, 105. Quid, si nullam habet chartam, 111. Potestne Parochus licite imponere nomen infanti baptizando reluctantibus parentibus, 55. Aut non advenientibus Patrinis designatis adhibere obstetricem cum impubere, 353. Quid incumbit Parocho, dum audit ab obstetrice in Confessione, aliquem adolescentem non fuisse valide ab ea baptizatum, 371. Potestne tradi infans baptizandus alteri Parocho, a parente habente quoddam dissidium cum Parocho proprio, 145. Aut an licite baptizatur infans invito Patre Judæo, consentiente vero avo paterno fideli, 369. Baptismum differentes an peccant, 59, 179. Valetne Diaconus ex præsumpta Parochi licentia solemniter baptizare, 130. Quid autem de Baptismo a Calvinista recepto sentiendum ? 154.

Beneficiatus quotidie obligatus ad applicandum pro fundatore, teneturne etiam in Cœna Domini, et commemoratione omnium fidelium, 185. Simulans se habere intentionem intra annum suscipiendi sacerdotium, obtinensque beneficium curatum, facitne fructus illius anni suos, 205. Beneficium acceptans animo illud resignandi fratri suo, ac postea uxorem ducendi, an peccat, 280. Impediens dignum calumniis a consecutione beneficii, ut digniori conferatur, ad quid tenetur, 285. Licitumne beneficiato fructus superfluos insumere in emptione librorum, 297. Aut hæredi ejus in ædificanda domo, 299. Potestne committere alteri recitationem Officii divini, aliique dare fructus illi dici correspondentes, 306. Aut illud non recitans, si post bis recitet, estne liber a restitutione ? 342.

Bigamia quando dignoscitur ? 142.

Blasphemia. Quid requiritur ad blasphemiam hæreticalem, 56, 60, 222, 437. Blasphemia in Deum, in B. V., in Sanctos, estne explicanda ? 118.

C.

Capellanus recusans benedicere domos, quod non recipiat juxta consuetudinem ova, an peccat, 171. Aut si quotidie obligatus celebrare, invisit amicos, 418. Aut si accipit stipendia ab aliis, 419 et seq. Aut si obligatus ad celebrandum quotidie in certo altari, per unum mens m omittit, et altero in alio altari celebrat, 427. Ad quid autem tenetur, dum dies fundata, quæ prius erat festiva ex devotione, facta est talis ex præcepto? 436.

Census quomodo licitus, 395, 440. Fingens, se velle redimere censum annuum, ut fructuum diminutionem extorqueat, an peccat? 200.

Charitas proximi quomodo lædi potest per verba irrisoria, 404. Quomodo a marito non admonente uxorem periculose decumbentem? 425.

Choreæ. Licitumne Clericis choreis interesse, aut musica instrumenta pulsare, 3, 169. Aut illi, qui pravos sentit motus, 150. Aut puellæ, dum prævidet alium peccaturum, 232. Estne peccaminosum edere sonos in choreis inhonestis? 170.

Clericus. Ludentes Clerici aleis, et ex jurgio se percutientes, neque advertentes censuram, an illam incurrunt, 5. Clericus ludens ludo alearum cum cauponario ea conditione, ut quoties lucraretur, ei splendidum pararetur prandium, potestne juste a cauponario exigere prandium, 16. Aut si cauponarius recusaverit, potestne ex bonis ipsius procurare compensationem, 17. Aut potestne cauponarius recurrere ad Superiorem, ut hæc bona denuo ei reddantur, *ibidem.* Docens Clericus sponte pueros Grammaticam, teneturne etiam rudimenta fidei docere, 144. Quisnam titulus sufficiens ad sacros Ordines suscipiendos, 157. Quale patrimonium pro Clericis potest censeri legitimum, 251. An laudabiliter agit Clericus, petens post mortem suam sepeliri indutus habitu cujusdam Sodalitatis, 164. Clericali habitu indutus audiens a matre se esse illegitimum, debetne ei credere, 282. Non habens animum clericandi, sed interim fructus beneficii percipiendi, quomodo peccat? 401, et seq. Quid de restitutione fructuum? *ibidem.*

Cognatio legalis quid inducit, 248. Spiritualis quando contrahitur, 39, 277, 329, 454. et seq. Contracta duplici cognatione spirituali, estne necessarium, utramque exprimere, si petatur dispensatio pro contrahendo matrimonio? 386.

Communio Paschalis obligatne etiam elapso tempore paschali, 35. Indigne sumpta in propria Parœcia obligatne adhuc ad eam in illa sumendam, 92. Potestne a Parocho denegari puero nondum examinato, se tamen linteo altaris præsentanti,

50. Aut Parochiano non petenti veniam de injuria ipsi illata, 149. Satisfacitne præcepto Paschatis rusticus sumens Eucharistiam in Ecclesia Metropolitana, 109. Aut manibus Episcopi, 156. Aut Capellanus ægrotans illam recipiens ab alio Capellano, 173. Aut famuli Religiosorum, dum sumunt eam in eorum Ecclesiis, 298. Debetne necessario suscipi in propria Parochia, 244. Potestne dari a Parocho illi, qui minatur ei mortem, 345. Licitumne Sacerdoti non habenti copiam celebrandi, propriis manibus S. Synaxi se reficere, 139. Aut in nocte Natalis Domini communicare, 213. Aut peccatori publico hostiam non consecratam præbere, 208. Aut occulto id petenti, 334. Aut quotidie personam aliquam in oratorio privato communicare, 301. Quid faciendum ei, cui, S. Mensæ assidenti, incidit peccatum lethale, 250. Peccans post Communionem teneturne hanc circumstantiam exprimere? 77.

Compensatio damni an licita conductori ex bonis domini, dum villicus, antequam triticum in area dividatur, exigit, ut tota tritici massa cribretur expensis communibus, domini scilicet, et conductoris, 137. Estne facienda ab eo, qui fugiens insequentes hostes obvium ascendit equum, qui præcipiti fuga moritur, 347. An licita creditori ex bonis mobilibus sui debitoris defuncti, quæ apud se retinet, dum alia adhuc debita anteriora adsunt, 410. Aut si sub excommunicatione præcipiatur, ut detinentes bona defuncti hæc indicent, creditor non indicando inciditne in excommunicationem, *ibidem*. Quando licita occulta compensatio? 421.

Complex potestne absolvere complicem? 318.

Concionator quomodo peccare potest, 6, 128. Licitumne, unum laudare concionatorem ex quo alius melior deprimitur? 172.

Concubina ad quid obliganda, 368. Quid agendum Confessario vocato ad ægrotam concubinam? 432.

Confessarius exspirante tempore potestatis concessæ adhuc Confessiones excipiens incurritne aliquam pœnam, 3. Potestne a moribundo excommunicato juramentum exigere, ut se præsentet legitimo Superiori, si convaluerit, 15. Tenetne credere pœnitenti ad Superiorem, ut se illi sistat, misso, et absolutionem impendere, 48. Formam absolutionis cum distractione voluntaria pronuntians, an graviter peccat, 123. Aut delectatus de re turpi in Confessione audita, nec ante absolutionem contritionem eliciens, 159. Quodnam judicium Confessarii debet esse, dum quis confitetur, se exercuisse aliquam operationem, ignorans, an esset venialiter, an mortaliter mala? 230.

Confessio. Quisnam dolor ad Confessionem requiritur, 31. Defectus in Confessione a pœnitente commissus quomodo integrandus, 42. Quænam ad integritatem Confessionis requirun-

tur, 44, 49, 194, 302, 321. Confessio cum ignorantia mysteriorum Trinitatis et Incarnationis estne valida, 46. Aut cum ignorantia necessariorum necessitate præcepti, 47. Quænam materia ad Confessionem sufficiens requiritur, 53. An valida Confessio ejus, qui bona fide confitetur peccata, et excommunicationis obliviscitur, 89. Aut peracta a Sacerdote variis impuritatibus inquinato, se autem fingente laicum, voto tamen castitatis obstrictum, 126. Aut facta Confessario ignaro, 158. Aut peracta sine renovatione doloris pridie eliciti, 296. Aut illius, qui protulit in Confessione mendacium, 447. Confitens se decies aut duodecies polluisse, cum tamen certus sit, id duodecies factum, ad quid, 127. Confitens, se vigesies pejerasse et post Confessionem deprehendens trigesies factum, ad quid, 135, 357. An in Confessione necessario explicandæ circumstantiæ notabiliter aggravantes, 155. Communioni paschali an necessario præmittenda confessio, 172, omittens ex oblivione peccata mortalia in Paschate, ad quid, 210, teneturne quamprimum confiteri, 338. Requiriturne ad confessionem propositum formale et expressum, 252, debetne præmitti ad confessionem diligens conscientiæ examen, 270. et quale, 438. Qui nunquam exposuit numerum peccatorum, ad quid, 253. Quid requiritur ad perfectam et distinctam peccatorum Confessionem, 271, sufficitne in generali dicere : Confiteor omnia peccata mea venialia, 276. Debetne in confessione exprimi qualitas personæ, quam quis turpiter tetigit, aut aspexit, 367. An valida Confessio, dum quis in rabiem actus occidit sororem ab amasio fœtam, occisionem sororis confitetur, reticet vero illius prægnantiam, ne detegat crimen ejus communiter Virginis reputatæ, 411. Licitumne in Confessione juramentum petere a pœnitente, ut relinquat occasionem proximam, dum timetur relapsus ejus, 424. Si Confessarius sub Confessione dormierit, quid agendum? 431.

Confirmatio. Parochus non servans librum Confirmatorum, quomodo delinquit, 18. Non Confirmatus potestne tenere confirmandum, 103. Potestne senex confirmandus eligere in Patrinum juvenem, 114. Potestne mas Patrinum agere fœminæ? 122.

Consecratio. Licitumne, consecrata hostia, aliam prius consecratam sumere, asservando illam pro solemni processione, 53, 340, quid agendum Sacerdoti ad Sacristiam reverso, et certo scienti aquam a se consecratam, 103, licitumne consecrare in hostia minori, dum non habetur major, 81, 136, licitumne consecrare in musto, 196, quoties consecratæ particulæ consummandæ, et novæ consecrandæ, 311, censenturne consecratæ particulæ lateri calicis adhærentes, 329. Sacerdos Latinus post consecrationem advertens, panem a se consecratum esse corruptum, quid agere debet, dum non habet azymum? 340.

Consuetudinarius. Quisnam talis censendus; potestne absolvi, 28, 80, tenecturne fateri consuetudinem? 315.

Contractus quando usurarius, 13, 122, 138, 168, 245, 259, 356, 373, 396, contractus societatis quomodo licitus, 98, contractus circa rem Ecclesiasticam quomodo licitus, 188. Contractus locationis ad quid obligat, 422. Contractus emptionis aut venditionis quando nullus, 228, 294. Vide verbo *Emptio*, et verbo *Venditio.*

Correctio fraterna obligatne Famulam scientem, alteram famulam impudice conversari? 269.

D.

Damnificatio obveniens ex mora agricolæ domino qualem obligationem inducit, 13, aut quando aqua immiscetur vino, 18 aut per accidens secuta, 20, 64, 233. Potestne quis occidere alterius animalia possessionem suam damnificantia, 25, damnificatio illata a latronibus ex eo, quod quis sibi debita clam accipiendo ostium apertum reliquerit, infertne restitutionem ex parte hujus, 61. Cum aliorum damno ditescere concupiscens quomodo peccat? 327.

Debitum. Conjugalis debiti jus quando amittitur, 45, 59, 62, 445. Amissum jus a quo dari potest, 48. Potestne vir a conjuge, nullitatem matrimonii sciente, idque ei asserente, debitum petere, 76. Potestne reddi aut peti a voto castitatis obstricto, 98, 125, 145, 304, debitum conjugale ex voluptate petitum arcetne a communione sumenda, 123. Potestne etiam obtenta dispensatione reddi parti petenti, sed nondum certioratæ de nullitate, 199. Potestne uxor negare debitum petenti marito consentienti in adulterium, 208. Potestne tum peti, tum reddi ab eo, qui de morte conjugis nondum certus novum contraxit matrimonium, 230. Potestne reddi amenti, 382. Debita contracta a Patre ex contractibus tum licitis, tum usurariis, et relicta filio, quænam prius solvenda, 392, teneturne debitor, ut satisfaciat creditoribus, imminuere dotem filiabus? 442.

Denuntiatio. Quando Confessarius ad turpia sollicitans est denuntiandus, 102, 331, 346, 374, estne denuntiandus, qui tempore Bacchanaliorum licitas esse voluptates venereas asserit, 265. Potestne denuntiari vetula osculata infantem, qui ægrotare cœpit, judicaturque ex tali osculo id evenisse? 410.

Detractio. Audiens detrahentes, et se a tali detractione non retrahens, peccatne, 27, quomodo examinandus, 399. Detractor ad quid teneatur, 58, uxor referens defectus mariti, quomodo peccat, 397, quomodo famulus referens defectus graves matronæ

viro prudenti, 398, quomodo asserens de Clerico, illum hypocritam, et lupum in pelle ovina? 427.

Dispensatio data ex aliquo errore potestne exequi, 8. Quid agendum, si obtenta dispensatione super impedimento ante matrimonium contracto fiat conjux viro invisa, 20. Uni Confessario concredita potestne ab alio exequi, 86. Quid significant verba illa dispensationi inseri solita: *Ad vitanda scandala*, 88, quid illa: *Dummodo præfatum impedimentum sit occultum*, 89, quid hæc: *Et separatio fieri non possit absque scandalo*, 90, quid ista: *Sublata occasione amplius peccandi*, 91, quid alia *Audita prius ejus Sacramentali Confessione*, 93. Valetne cum Confessione sacrilega? *ibidem*. Dispensatus, ut absolvi possit ab incestu, sicque matrimonium inire, nolens hoc inire, potestne adhuc a simplici Confessario ab incestu absolvi, supposito, quod sit reservatus, 94, si differatur dispensationis executio per sex menses, potestne simplex Confessarius absolvere ab incestibus interea commissis, 95. Sed quid, si per annos differatur, et novi non commissi incestus, an valida erit dispensatio, *ibidem*. Quomodo explicanda illa verba: *Pro tam enormi delicto injungenda salutaris pœnitentia*, 95, quomodo hæc: *Alia, quæ de jure fuerint injungenda? ibidem*, quomodo ista: *præsentibus laniatis sub pœna excommunicationis*, 97. Non laniato vel combusto Brevi subsistitne dispensatio, 97, quid illa significant: *Ut de nullitate prioris consensus certioretur*, 99. Dispensati tenenturne de novo contrahere coram Parocho et testibus, 100, obtenta ab una parte valetne quoad utramque, 105 quando nulla, 183, si nulla, quid agendum, 187, petita in forma pauperum, et obtenta retinetne valorem oratore repente divite facto? 195.

Divortium. An et quando licitum? 9.

Dubium. Ad quid tenetur dubitans, utrum omnia in confessione explicaverit, 50, 181, utrum absolvere possit, 67, utrum peccatum reservatum Confessario privilegiato exposuerit, 69, utrum sit causa damni, et abortus fœtus animati, 85. Dubitans prius, peccatum esse reservatum, et ab illo absolutus, postea certo sciens esse reservatum, ad quid, 85. Dubitans, ad quem pertineat torques v. g. aureus post mortem inventus, ad quid, 115. Aut dubius, utrum obligetur quotidie applicare pro fundatore, 262. Aut utrum adhuc sit debitor? 376.

Duellum. Quodnam proprie tale dici potest? 397.

E.

Electio. Quinam eligendi ad beneficia præsertim curata? 247.

Eleemosyna. Potestne elargiri a Parochiano alienæ Ecclesiæ

sine injuria propriæ, 9, fictus mendicus adjurans, et petens per Christi vulnera Eleemosynam quomodo peccat, et ad quid teneatur, 255. Eleemosynam accipiens Parochus distribuendam, illam elargitur isti, qui ei confitetur, an bene, 264. In communibus pauperum necessitatibus non largiens Eleemosynam potestne absolvi, 296. Pauper fictus, et alius vere talis, sed laborare potens, ad quid tenentur? 356.

Emptio. Licitumne in contractu emptionis apponere pactum, 141. Licetne perito in cognoscendo gemmarum valore emere gemmam pretio per alios minus peritos taxato, 266. Aut licetne emere a mercatore omnia ejus credita, quibus recuperandis modica spes affulget, sed pretio longe minori, 414, quomodo redditur illicita ratione licitationis? 443.

Excommunicatio caditne in puellam percutientem Clericum ipsam tangere volentem, 180, 364, aut in Romipetas se invicem percutientes, 190, aut in ebrium percutientem Clericum, quod prævidit, 205, aut in Confessarium absolventem complicem ex ignorantia vincibili excommunicationis, 226, aut in legentem librum hæreticum, sed ignorantem excommunicationem, 228, aut in percutientem Romipetam, 374, 420, aut in surripientes merces infidelium in mari navi in scopulos allidente, 380, aut in ratihabentem occisionem Clerici, 421. Excommunicatione lata, ut revelentur bona defuncti divitis, teneturne filius contra Patrem revelare, 312. Lata contra eos, qui non restituunt bona defuncti, ligatne creditorem, qui se compensavit in bonis defuncti, 337. Sacerdos excommunicatus, sed occultus, potestne instante sui electione, in Parochum tacere, 385, licitumne excommunicatum salutantem resalutare? 409.

F.

Falsificatio. Qui construit falsum Breve Datariæ, potestne dici falsificator litterarum Apostolicarum? 187.

Festum, quando, et per quænam opera violatur, 29, 227, 298, 309. Potestne mater filiabus injungere opera servilia die festo, ne vagentur per civitatem, 310. Potestne celebrari festum alicujus Sancti sub ritu duplici a Parocho, qui illius Sancti costam obtinuit? 349.

Fides. Professio Fidei a quibus fieri debet, 159. Metu mortis adactus a Lutherano, ut legat opera Lutheri, aut coram ipso Missam celebret, potestne id licite? 384.

Filius externe non recognoscens suum Patrem, quamvis interne diligat, ut honestum assequatur officium, an peccat, 183, aut ludendo, et pecunias perdendo, 203, aut quando contra honorem parentibus debitum, 217, estne liber in eligendo statu? 219.

Furtum. Quinam cooperari dicuntur ad furtum. 51. Qui furatus est equum, et illum locavit pluribus annis, ad quid, 54, 430, aut qui intendens furari vas argenteum frangit vasa vitrea magni momenti, 54, aut mandans, 62, aut suadens, 63, aut furatus pullum, qui adolevit, 84. Qui aufert animo restituendi, peccatne, 87. Quid sentiendum de furtis filiorum familias, 278, quid de furtis uxoris, 393, quid de furtis minutis, 416. Furatus fœnum teneturne ad aliquid, dum die sequenti residuum milites surripuerunt, 287. Furi volenti auferre plura potestne quis opem ferre in jam ablatis alibi asportandis, 414. Ad quid teneturfamulus videns furem, et tacens? 424.

G.

Gabellas. Defraudans gabellas, an peccat? 185.

H.

Hæresis. Quid ad illam incurrendam requiritur, 38, 305, 420. Potestne tempore Jubilæi quilibet ab hæresi absolvere? 106, 390.

Homicidium perpetrans potestne absolvi a simplici Confessario, 19. Licetne occidere judicem injuste accusationem petentem, 82. Occisor proditorius gaudetne immunitate Ecclesiastica, aut saltem potestne a Parocho tradi ministris publicis, 141, occidens ex defectu plenæ advertentiæ ad quid, 214. Deprehensus in adulterio a marito, ac stricto gladio invasus maritum occidens an peccat, aut irregularitatem incurrit, 259. Quis consulit Domino, ut furem insequatur, a fure dominus occiditur, ad quid consulens; estne irregularis, 364. Qui non scit, se efficaciter influxisse in homicidium, estne irregularis, aut ad aliquid tenetur? 449.

Horæ Canonicæ. An satisfit, dum quis se vestibus exuens illas persolvit, 121. Possuntne omitti a Sacerdote magno mœrore gravato ob obitum matri, 174. Teneturne tenue habens beneficium ad horas, 175, 335. Cum distractione persolvens quomodo peccat, 279. Licitumne transferre officium Sancti ad libitum: 322, aut in nocte Nativitatis Domini post Laudes immediate recitare diurnas, 328, aut in itinere se accommodare loco, in quo quis commoratur, 344, aut omittere illis diebus quibus quis laborat febri quartana? 352.

I.

Idololatria. Potestne Parochus sine culpa idololatriæ affligere particulam consecratam hostiæ grandiori non consecratæ? 280.

Jejunium quando violatur, 27, 170, 216, 218. Quinam excusantur a jejunio, 36, 40, 274. Dubitans, utrum compleverit annum 21, teneturne jejunio, 108. Peccatne, qui in die jejunii morose delectatur de esu carnium. 197. Dispensatus in jejunio curat hanc facultatem extendi ad totam familiam, an bene, 243. Dispensatus tempore Quadragesimæ utens carnibus pro refectione quomodo peccat, 308, estne talis immunis a jejunio in vigilia S. Mathiæ et Quatuor temporibus, 354. Teneturne ad jejunium fœmina prægnans, dum ex una parte sentit, se per jejunium vincere tentationes, ex alia timet periculum fœtui? 429.

Immunitas. Quinam gaudent immunitate Ecclesiastica? 178, 240, 288.

Impedimenta matrimonii. Quando contrahitur impedimentum affinitatis, 26, 302. Criminis, 22, 30, 87, 88, 220, 417. Erroris, 47, Impotentiæ, 56, publicæ honestatis, 177, 254, Raptus, 251. Teneturne quis sciens impedimentum, illud ante matrimonium contrahendum revelare, 220. Quid agendum Confessario, dum pœnitentem invenit cum impedimento ignoranter contraxisse matrimonium, 319. Votum emissum a juvene numquam concumbendi cum fœmina, impeditne, ne matrimonium contrahere et consummare possit, 372. Impedimentum impotentiæ an cessat, dum quis fit potens per contactum reliquiæ cujusdam Sancti? 443.

Imprecatio. Licitumne alteri imprecari mortem ex bono fine? 38.

Incestus. Quando committitur, 376. Quid agendum Confessario, dum quis peccatum incestus confitetur? 445.

Indulgentia quando lucrari potest, et adhuc subsistit, 163. Quomodo explicanda, 335, 407. Estne valida publicatio indulgentiarum Diœcesi concessarum facta Parocho non exspectatis circularibus perVicarium transmittendis, 345. Potestne lucrari ab eo, qui dolet de mortalibus non advertendo ad venialia? 403.

Infanticidium quando ad culpam imputabile? 32, 140, 147.

Inimicitia. Quænam signa inimico exhibenda? 34, 42, 314, 387.

Irregularitas an incurritur a Sacerdote cum protestatione furem accusante, qui postea ad mortem condemnatur, 78. Aut a ministrante vinum graviter ægrotanti, ex quo moritur, 265. Aut ab occidente Clericum, sed ignorante, homicidam incurrere irregularitatem, 283. Aut a Clerico peccante cum conjuge, quæ a marito deprehensa occiditur? 406.

Jubilæum potestne lucrari, qui illo exspirante præsentat se Confessario involutus occasione promixa peccandi, 391. Aut

qui veniens ultima die nullum adhuc opus præscriptum implevit, et eadem die jejunium fregit, *ibidem.* Qualis pro Jubilæo lucrando elargienda intelligitur eleemosyna? 433.

Judex cuinam parti, stantibus æqualibus motivis, adjudicare debet sententiam, 246. Aut potestne in ejus favorem ferre, a quo pecuniam accipit? 237.

Judicium quando temerarium? 43.

Juramentum ex quibus formulis dignoscitur, 35, assertorium et promissorium quomodo obligat, 36. Quando validum, 41, 51. Quando graviter peccaminosum, 116, 274. Quis commutare potest juramentum, 214. Quis censendus perjurus, 290, 308. Res juramento latroni promissa estne danda? 371.

L.

Lucrum proveniens ex laboribus propriis conjugis potestne ab illa retineri, vel debetne hæredibus reddi, 58. Reportatum ex ludo inspiciendo chartas alterius, aut eas noscendo, an restituendum? 101.

Luxuria. Peccatne neque consentiens, neque curans repellere cogitationes venereas? 405.

M.

Maledictio. Maledicens dici, horæ, ventis, pluviis, quomodo peccat? 114.

Maleficium novo maleficio destruere an licitum? 260.

Matrimonium. Possuntne ab eo contrahendo parentes filios impedire, 11. Peccantne parentes, si contracto ipsis invitis matrimonio prolibus reconciliari recusant, 23. Ex metu contractum, accedente copula estne validum, 52. Contrahentes cum vera intentione illud ineundi, sed inhabiles, an peccant, 70. Estne validum contractum coram Capellano fraude et dolo licentiam ei assistendi a Parocho obtinente, 83. Contractum ab impubere an saltem vi sponsalium valet, 145. Quisnam dicendus proprius Parochus contrahentium, 153, 257. Quænam publicationes ad illud requiruntur, 161. Contrahentes cum impedimento, quod ignorant, ad quid tenentur, 178. Post ultimam denuntiationem potestne statim contrahi, 193. Quid licitum conjugibus in matrimonio, 197. Si matrimonium nullum, ad quem pro dispensatione recurrendum, 258. Licetne viduæ transire ad secundas nuptias etiam præviso gravi damno prolibus suis secuturo, 268. Volentes contrahere secreto, ideoque domicilium transferentes ad locum, ubi Tridentinum non est receptum, an va-

lide contrahunt, 277. Quando peccat Parochus matrimonio assistendo, 311. Quis potest benedicere nuptiis, 326. An licite contrahit, qui gravatus magnis debitis satisfacere creditoribus potest perseverando in viduitate, secus non? 361.

Medicus quomodo peccat non monendo infirmum, ut consulat animæ suæ, 131, 245. Potestne deserere infirmum confiteri nolentem, 167. Tangendo pulsum puellarum graves motus sentiens teneturne abstinere a curatione? 272.

Mercator mentiendo merces sibi pluris constitisse, ad quid, 446. Si correptus se non emendet, quid agendum? *ibidem.* Si dolo, vel fraude inducat emptores ad solvendum pretium summum, teneturne restituere? 447.

Meretrix potestne promissum pretium juste exigere, 206. Peccans cum Hebræis aut castratis teneturne id exprimere, 388. Debetne reputata honesta excessivum restituere pro sui corporis usu pretium? 442.

Missa. Quinam excusantur ab auditione Missæ, 39, 116, 132, 133, 253, 323, 426. Satisfacitne præcepto audiendi Missam voluntarie distractus, 83. Aut confitens per totum tempus Sacri, 134, 332. Aut qui fovet turpes cogitationes sub Sacro, 132. Licetne interdicto audire Missam in oratorio privato, 137. Confabulantes tempore Missæ, sed interpolate, an satisfaciunt præcepto, 246. Vel si audiunt Missam e fenestra domus suæ, 256. Vel famuli in oratorio privato domini, 283. Quæ præparatio Sacro præmittenda, 10. Sacerdos non habens nisi indumenta coloris nigri potestne in die festo illis uti, 7. Non habens copiam Confessarii jurisdictionem habentis in reservata, eliciendo contritionem, ac celebrando, an peccat, 100. Peccatne Parochus, non monens rusticos ante januam Missam audientes, 106. Aut Sacerdos celebrans parva cruce in tabernaculo depicta, 128. Licetne post calicis sumptionem aqua calicem purificare, 129. Celebrans in peccato teneturne quamprimum confiteri, 131. Licetne plura Sacra in privato oratorio celebrare, 133. Aut ante auroram, 148. Aut in oratorio violato, 194. Aut tres Missas legere in nocte Natalis Domini, 213. Vel qui audit Missam in hac nocte, teneturne ad aliam, 267. Potestne superior regularis benedicere indumenta sacra sibi a Parocho oblata, 135. Quando potest celebrari Missa de Requiem, 186. Aut de quibus Sanctis licitum celebrare, 201. Licitumne aliquid addere in Canone, 202. Peccatne celebrans absque tonsura clericali, 238. Dum integer deest Canon in Missali, potestne Sacerdos celebrare in die festo, 313. Peccatne Sacerdos omittens orationes præscriptas, dum se sacris induit vestibus, 315. Aut potestne Sacerdos non habens Ministrum in Missa sibimet respondere, et ministrare, 320. Celebrans pro defuncto Patre alterius, quali debet oratione uti, 322. Debetne celebrans recordatus peccati gravis in culpabiliter omissi elicere contritionem, 351. Licitumne

post consecrationem peractam interrumpere Missam ad subveniendum morituro, et non præsentibus aliis particulam consecratam præbere, 423. Quid faciendum Sacerdoti, dum finita Missa invenit fragmentum in patena, 196. Aut dum hostia cadit in calicem, 207. Porro varios casus circa stipendia Missarum resolutos lege pag. 2, 90, 198, 202, 212, 287, 294, 310.

Mutuum. Ad quem spectant fructus prædii dati in pignus pro mutuo, 14. Licitumne mutuum sub usura accipere, 243. Licetne mutuare quantitatem pecuniæ, cujus valor minuendus erit, cum pacto illam reddendi juxta valorem, quo traditur, 366. Qualis obligatio in mutuo licite imponi potest, 297, 439. An tenetur mutuatarius solvere interesse lucri cessantis, si sponte oblatum fuit mutuum 439. Licitumne in mutuo aliquid accipere ultra sortem? 444.

O.

Occasio. Occasionem peccandi nolens evitare potestne a Confessario juste non absolvi, 37. Potestne mater vidua non habens alium lectum dormire cum filio adulto in eodem lecto, 149. Occasionem peccandi præbens quomodo peccat, 225. Puella contractis sponsalibus sciens sui præsentiam sponso esse occasionem peccandi, tenetur ne illum vitare? 232.

P.

Parentes non mittentes filios ad Doctrinam Christianam an peccant, 93. Possuntne damna sibi illata v. g. ob vulnera aut mortem remittere inferenti sine præjudicio prolium, 102. Possuntne habentes plures filios uni, ut promoveatur ad S. Ordines, castenetum, quo tota sustentatur familia, pro congruo patrimonio assignare, 126. Peccantne, dum recusant patrimonium filio promoveri ad S. Ordines peroptanti, 167. Quomodo peccare possunt in dilectione prolium, 215. Possuntne dissimulare filiorum peccata? 221.

Parochus omittens signum Salutationis angelicæ an graviter delinquit, 15. Quid agendum, dum vocatus ad infirmum invenit eum phreneticum, 21. Aut ignorantem articulos fidei, 23. Potestne dare Eucharistiam puero infirmo, de quo dubitatur, utrum satis eam discernere valeat, 57. Quoties tenetur suorum Confessiones excipere, 63. Quoties et quando pro populo applicare, 104, 107, 110. Quoties habere concionem ad populum, 113, 114, 116, 146. Aut satisfacitne, si loco concionum populum doceat Catechismum, 116. Aut si curet hæc proponi a Capellano, 117. An peccat non curans, ut mittantur filii ad Doctrinam

Christianam, 93. Etiamsi a suis parentibus instruantur, 115. Aut si doceat quidem publice Doctrinam Christianam, sciat tamen plures illam non capere, satisfacitne tamen officio suo, 113. Licetne Parocho frequenter a sua paræcia abesse, 142, 256, 300. Potestne copulare divertentes ex alia Diœcesi ad suam Parochiam, 68. Teneturne Ecclesiam matricem adire, ut fontis benedictioni assistat, 108. Aut sufficitne excusationem mittere per famulum, 109. Potestne alienare bona Ecclesiæ, 112. Aut vendere, 200. Quid agendum, dum pergens ad celebrandum vocatur ad ægrotum periclitantem, 153. Potestne omnia onera Capellano sustinenda relinquere, ut orationi ac propriæ quieti vacet, 129. Aut prohibere, ne in oratoriis publicis Missa celebretur ante Parochialem, 138. Aut resistere Regularibus pulsantibus campanam ante sonitum Ecclesiæ Parochialis Sabbato sancto, 156. Aut celebrare in die festo pro defuncto, 165. Aut renuere matrimonio assistere, 182. Aut resistere diviti disponenti, ut absque omni pompa ad tumulum deferatur, 189. Aut cædere arbores frugiferas sui beneficii, 204. Aut inducere Parochianum ad eligendam sepulturam in propria Parochia, 222. Aut dare licentiam Parocho alterius Diœcesis excipiendi Confessiones in sua, 291. Aut assistere matrimonio, dum sponsi ignorant necessaria necessitate præcepti, 293. Aut ex stipendiis Missarum ab aliis lectarum quid retinere pro ædificanda Ecclesia, 295. Carens luminibus opportunis pro altari an juste recusat celebrare Missam ad consecrandam particulam pro ministrando Viatico, 192. Sciens quemdam non satisfecisse Communioni Paschali potestne dissimulare, 317. Teneturne sub mortali tenere lampadem accensam ante altare, 334. Estne æqualis cum Archipresbytero dignitatis, 336. Alienata cuppa calicis ad Ecclesiam spectantis ex compactis nummis inducens ad stuprum puellam Parochianam, quot committit peccata, 362. Teneturne etiam cum periculo vitæ succurrere ovibus?

Pauper potestne cædere ligna fructifera? 21.

Peccata. Distinctio numerica peccatorum unde cognoscitur, 33, 91. Estne necessario explicanda, 204. Non distinguens an lethaliter, an venialiter peccet, quomodo peccat? 293.

Pignus. Recipiens agrum sterilem in pignus, cumque excolens potestne fructus retinere? 211, 284.

Pœnitentia. Potestne venereo pœnitentiæ loco imponi, ut contrahat matrimonium, 67. Possuntne plures pœnitentiæ injunctæ et non impletæ per indulgentiam plenariam deleri, 69, ab uno Confessario imposita potestne mutari ab alio, 71. Aut injuncta consuetudinario abolita consuetudine debetne adhuc adimpleri, 74. Qualis imponenda, 234. Estne a pœnitente acceptanda, 236, 358. Potestne injungi gravis sub culpa veniali, 236. Cui impositum, ut audiat duas Missas, satisfacitne, si illas audiat simul

in duobus altaribus celebratas, 250. Aut si imposita eleemosyna, si hanc dat pauperi matri, 255. Peccator gravis non aliam exhibens Deo satisfactionem, quam a Confessario impositam, an peccat, 285. Quando adimplenda, aut in peccato peracta inducitne novum peccatum, 292. Potestne adimpleri per acquisitionem indulgentiæ plenariæ, 332. Aut imponi in operibus alias debitis, 390. Aut imponi loco pœnitentiæ, ut quis detegat impedimentum v. g. affinitatis extra Sacramentum, 433. Potestne pœnitens sibi commutare pœnitentiam, 458. Aut Confessarius, 450.

Pollutio procurata a conjugibus extra vas de communi consensu, quale peccatum, 71. Complacens de pollutione in somno habita an peccat, 261. Aut prævidens illam, si certos cibos comedat, 369. Teneturne polluens exprimere prava desideria? 412.

Promissio nondum acceptata estne revocabilis, 180, ligatne promittentem centum aureos cuidam, si alterum occiderit, 343. Qui promisit ingredi Religionem, postmodum puellæ nuptias, ad quid tenetur? 446.

R.

Reservatio. Caditne super peccatum ante ætatem ad reservationem requisitam commissum, ast completa ætate confessum, 32. Potestne directe a reservatis Confessarius absolvere eum, pro quo a Superiore petit licentiam, quam tamen necdum accepit, 61. Potestne habens duos casus reservatos, petensque licentiam, ut a quocumque Confessario absolvi possit, absolutus ab uno, et oblitus alterius, etiam ab hoc directe absolvi, 65. Caditne super peccata dubia, 78. Absolutio a casu reservato data ab eo, qui ignorat ignorantia crassa, esse reservatum, estne valida, 151. Quis potest absolvere a reservatis, 216. Absolutio a peccatis data pœnitenti oblito se irretitum excommunicatione, estne valida, 281, 436, Habens peccatum reservatum, et transiens ad aliam Diœcesim, ubi reservatum non est, an valide absolvitur, 282. Absolvens a peccatis, et non advertens esse reservata, an peccat, 287. Moribundus a reservatis absolutus, et reconvalescens, ad quid tenetur, 303, 348. Licentia a reservatis absolvendi obtenta a Confessario an adhuc subsistit, dum pœnitens in alia reservata incidit, 333, 338, 428. Qui nescit casum esse reservatum, an a quolibet absolvi potest? 471.

Restitutio. Differens restitutionem quomodo peccat, 30. Quid tenentur restituere sequentes: Occasionem furandi præbens, 40, 406. Possessor bonæ fidei, 77, Dum ignoratur dominus, 79. Puella varia accipiens a juvene munera, sed non consentiens in copulam, quam ipse affectat, 81. Vendens bona fide bovem, sed inculpabiliter latentem morbum ignorans, 82. Consulens 96, accepta pecunia tacens, 103, 402. Juvenis ab Amasia ac-

ceptans munera, et illam respuens, 174. Fur, dum res apud ipsum perit, quæ periisset apud dominum, 211, auferens id, quod erat in spe, 224. Possessor bonæ, dein dubiæ, postea certæ fidei, 239, 394, non claudens ostium, ex quo furtum sequitur, 290, non manifestans defectus rei vendendæ, 291, mandatarius in defectu mandantis, 324, inveniens thesaurum in fundo domini, 361, præscribens bona fide, 383, commodatarius, dum res commodata fuit furto ablata, 403. Possessor bonæ fidei, dum audit rem emptam fuisse furto sublatam, 404. Perdens in ludo, aliumque cogens, ut ludum prosequatur, ex quo lucratur, 435. Auferens triticum, cujus pretium crevit, 448. Ad quid tenetur, qui furatus est vitulum valoris, 10, educavitque in bovem valentem 20, qui decrevit ad 15, 110. Potestne restitutio fieri rem ablatam in eleemosynas erogando, 125. Daturne gravis obligatio restituendi in furtis minutis, 224. Ad quid obligatur extreme pauper mutuas accipiens pecunias, 226. Ad quid famulus accipiens a gravato ære alieno stipendia, ex quo fit magis impotens ad satisfaciendum creditoribus, 229. Non restituens, imo nova contrahens debita, ne a statu suo decidat, an peccat, 235. Licitumne inventum annulum ad solvenda debita insumere, 238. Incendere intendens domum inimici ex ignorantia incendit domum amici, ad quid, 273. Facta condonatione mandatario teneturne adhuc mandans? 324.

Restrictio mentalis quando habetur? 45.

Reus perpetuo carceri mancipatus an fugiendo peccat, 192, tenecturne judici fateri delictum, 199, potestne occidere custodem carceris? 377.

S.

Sacrilegium. Quid requiritur ad furtum sacrilegum in Ecclesia, 76, abutens sententia S. Scripturæ ad jocos estne sacrilegus? 305.

Satisfactio. Potestne quis satisfacere pro pœna temporali peccatis debita per opera alias debita, 289. Sacramentalis potestne simul præstari recitando easdem preces pro Jubilæo injunctas, 350. Tenecturne quis satisfacere suis creditoribus cum diminutione dotis filiarum? 442.

Scandalum. Parochus coram Parochianis suis scurriles instituens sermones peccatne peccato scandali, 1. Aut Diaconus vocatus a Parocho in die Purificationis B. V. ad obeundum munus suum, et venire renuens, 4, aut Sacerdos recusans interesse publicis supplicationibus, 175, aut Parochus ad turpia sollicitatus dicens: Bonum tibi, quod Parochus sim; si non essem etc.

327, aut sollicitans puellam ad secum concumbendum, ut experiatur castitatem ejus? 389.

Sepultura. Baptizatus infans sub conditione, in dubio, utrum vivat, potestne sepeliri in loco sacro, 41, aut fur cadens ex arbore, et sensibus destitutus? 102.

Sigillum frangitne Parochus ex Confessione sciens famulum esse furem, claudensque capsulas prius non clausas, 109, aut dicens, in tali oppido gravia patrari delicta, 111, aut recusans assistere matrimonio, dum sponsos occasione Confessionis in Doctrina Christiana minus instructos invenit, 124, aut rogans amicum, ut a Pœnitentiario petat facultatem absolvendi ab incestu in Confessione audito, 158, aut vocatus ad consuetudinarium, renuensque venire, 263, aut dicens, Pœnitentem nondum absolutum, 265, aut eum esse scrupulosum, 284, aut publice excommunicatum a se absolutum? 347.

Simonia ad quid obligat Parochum simoniace electum, 152, quando in electione committitur, 248, quando in venditione rei sacræ, 303. Parochus per se nolens docere filios pauperum, sed divitum, qui munera ad eum deferunt, committitne Simoniam, 306, aut dum accipit pecuniam ab eo, qui non communicavit in Paschate, 343, quando per obsequia præstita committitur simonia? 417.

Sollicitatio. Quando Confessarius dicitur sollicitans in Confessionali? 316. Vide *Denuntiatio.*

Sponsalia conditionata quando valent, 19, 67, 73, quamdiu obligant, 406, quemnam inducunt effectum, 24, 34. Licetne resilire, 44, 218, 268. Cum indigno inita suntne valida, 46. Contractis sponsalibus emittens votum castitatis ad quid tenetur, 118. Sponsus peccans cum sponsa quomodo confiteri debet, 316. Licitumne sponsis delectari de copula habenda, 325, juramento firmata dissolvuntne priora, 344. Potestne adhuc dissolvi etiam defiorata a sponso sponsa, 359. Qualis requiritur promissio, 381. Prius contracta cum altera post mortem conjugis an reviviscunt, 381. Potestne resilire, qui sub spe matrimonii cognoscens puellam putans esse Virginem, sed corruptam inveniens denuo cognovit? 408.

Sterilitas. Licetne illam procurare ad evitandum periculum mortis conjugis? 72.

Stuprum quando committitur, 413, deflorans puellam sub spe matrimonii, ad quid tenetur? 65.

Superstitio. Nolens assidere mensæ, cui tredecim assident, quia timet, unum ex discumbentibus moriturum, peccatne peccato superstitionis? 330.

T.

Testamentum quando exequendum, 165, quando peccat in illo condendo, 237. Relinquens uxori pingue legatum, dummodo in statu viduitatis permaneat, perditne ingrediendo religionem, 341, aut perditne relictum a testatore sub conditione, ut caste vivat, si transeat ad secundas nuptias, 378. Executor testamenti potestne quid retinere ut fructum industriæ? 377.

Testis. Testatus falsum circa patrimonium potestne a quolibet absolvi? 325.

V.

Venditio, licitumne frumentum vendere ultra taxam, 233. Quo pretio licet vendere credito merces, 275, 414. Si quis vendit domum locatam tempore locationis, nulla in contractu de pensionibus mentione facta, ad quem pensiones illæ pertinent, 349. Licetne emere, et statim revendere majori pretio, 429. Quomodo redditur illicita quoad stateras? 434.

Viaticum potestne dari amenti, 147. Aut debetne administrari moribundo non habenti mortalia, et renuenti confiteri venialia, 271. Teneturne de mane communicans, et vespere ad mortem infirmatus sumere Viaticum, 339. Licetne currere Parocho aut Capellano ad Viaticum dandum ægroto quamprimum discessuro, 452. Aut Missam interrumpere, 453. Quid agendum, dum ante Viaticum infirmus denuo vellet confiteri? *ibid.*

Visitator potestne supra justam taxam aliquid exigere, 11. Potestne Parochus suos Parochianos ad eam obligare, 12. Diffamans Visitatorem quomodo peccat, 12. Licetne Parocho aut Capellano rogato a Patrono Ecclesiæ procurare tempore visitationis alia indumenta sacra, ne quid indecorum Patrono a Visitatore statuatur? 14.

Unctio extrema potestne administrari a Sacerdote, qui caret stola, 119. Aut superpelliceo, *ibid.* Aut qui caret utrisque, *ibid.* 278. Potestne fieri a duobus Sacerdotibus, 150. Debetne Parochus inungere puerum, de quo dubitat, utrum ad usum rationis pervenerit, 263. Aut puerperam asserentem, sentire se mori, quamvis obstetrix neget, 300. Quale oleum est materia ejusdem valida? 385.

Votum. Potestne maritus votum uxoris irritare, 84. Quando obligat votum, 160, 163, 209. Et quomodo, 166, 190, 307, 341. Quando adimplendum, 184. Quamdiu obligat, 307. Voto ca-

stitatis adstrictus fornicans quomodo confiteri debet, 261. Votum jejunandi in Festo S. Apolloniæ, si inciderit in diem Dominicam, estne adimplendum? 337.

Usura. Conficiens instrumentum usurarium sub nomine liciti contractus, an tenetur ad restitutionem? 342. Vide *Contractus.*

LAUS DEO SEMPER.

239.6
L.176
4811
LAMBERTINI Prosper
AUTHOR
Casus Conscientiae
Tomus I 1732-1751 Bononiae
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
4811